XIV. E. 40
95-96
BIBLIOTECA NAZ. Vittorio Emanuele III
XIV
E
40
NAPOLI
Digitized by Google

Digitized by Google

A

Digitized by Google

DE

LITERIS ENCYCLICIS DISSERTATIO

FRANCISCI DOMINICI BENCINI

ABBATIS SANCTI PONTII

AD MAGNUM

VICTORIUM AMEDEUM

SARDINIAE REGEM.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III · NAPOLI

AUGUSTAE TAURINORUM M.DCC.XXVIII.

Ex Typographia JOHANNIS FRANCISCI MAIRESSE.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

MAGNO

VICTORIO AMEDEO

SARDINIAE REGI

FRANCISCUS DOMINICUS BENCINI F.

QUae res in veteri nuncupandorum Librorum conſuetudine plurimum poſſunt, conditio Autoris, Moecenatis amplitudo, & Operis argumentum, eae ſimul omnes fecerunt, REX INVICTISSIME, *ut tenue hoc Literarum noſtrarum Munuſculum ad Majeſtatis Tuae pedes defer-*

Digitized by Google

rem ; atque omnem pariter metum , & trepidationem exuerem , qua Tuum ad Auguſtiſſimum Conſpectum nunquam non corripior , perinde ac ſolent oculi ad Solis jubar , quum fulget in ſummo Coeli faſtigio , feliciſſimumque ſub ſe Terrarum Orbem & illuſtrat , & recreat . Nam ſi ad Te aliud afferrem nihil , quàm piae ſincerae-que venerationis conſcientiam , verendum mihi haudquaquam erat , quin eam probares , & quae incredibilis eſt Clementia Tua , eo etiam favore complecTereris , quo Aeternum Nùmen , cujus ipſe perſonam agis , caſtam potius , & religioſam mentem , quàm pingues hoſtias , & peregrina Cultorum ſuorum donaria complectitur . Nunc verò quùm non ſine maxima , qua poſſum , grati animi ſignificatione , eâque duratura quandiù ſcripta noſtra aetatem ferent , ſuuſque Sanctioribus Literis honos habebitur , Regiam interpellem Munificentiam Tuam , qua me Tibi beneficiis immortalibus devinctum eſſe voluiſti ; in eam ſpem fidenter totus devenio , futurum , ut palam facias, hos qualeſcumque labores meos Tibi , REGUM SAPIENTISSIME , *non improbari .*

Notum

Notum oppidò, & pervulgatum eſt, hoc jure meritoque noſtrorum temporum, Tuique Imperii felicitati adſcribendum, quòd quicumque ſummo ſtudio, labore, atque induſtria ad rem publicam Literariam, ferè ubique conſeneſcentem, ornandam, augendamque incumbunt, Te Vindice, Te Patrono, dicam etiam, Te Autore, atque Judice glorientur. Quanta verò eſt ad ſublimiorem Divinarum rerum cognitionem promovendam, ad defoecatiorem Religionis ſcientiam, ad Fidei defenſionem, uno verbo, ad veterem Orthodòxam Theologiam reſtituendam Animi Tui contentio? Quàm divinum illud eſt propoſitum Tuum, quo frigeſcenti Pietati, ac Fidei excitamenta ubique, & praeſidia in florentiſſimo hoc Imperio conſtituiſti? Superabit, vereor, Annalium fidem quidquid inter praeclara Tua, & ad immortalitatem comparata facinora olim audiet Poſteritas. Te ſcilicet pro Italiae libertate Sacrum, & Auguſtum Caput, cujus incolumitatem debuerant omnes periculo ſuo paciſci, hoſtibus potentiſſimis objicere non detrectaſſe. Te ſcientia rei militaris, autoritate, fel icitate clarum, poſt reſtitutam Le-

gum

Digitized by Google

gum Majeſtatem, ſumma dignitate, & incomparabili moderationis laude Rempublicam difficillimis temporibus & defendiſſe, & rexiſſe. Te omni ſtudio ad ſalutem Populorum curandam, vehementi accuratione ad vitiorum licentiam compeſcendam, incredibili Munificentia ad bonas Literas, Arteſque juvandas incubuiſſe. Te denique & Auguſti ſapientiam, & Titi humanitatem, Trajani probitatem, Conſtantini Religionem, pietatem Theodoſii, & Caroli cognomento Magni gloriam, famamque complexum, ad illud dignitatis faſtigium evectum eſſe, quo nihil eſt in rebus humanis auguſtius, atque ſublimius. Adeo ea eſt Virtutis felicitas, ut ſuis quidem contenta viribus, ſola, ſine Fortuna quamplurimum poſſit: Ea Fortunae indoles, ut ſine Virtute parum admodum poſſit, ac prope nihil: Altera verò alterius ope ſic adjuvetur, ut ſimul conjunctae non tantum aggredi quaecumque ardua, & Mortalibus impervia, ſed omnino praetergredi valeant.

Hoc igitur, REGUM OPTIME, *fortunis meis abunde pulcrum, & magnificum acceſſiſſe.*

non

non dubito, ut inter alias qualeſcumque lucubrationes meas, hanc potiſſimùm de Eccleſiaſticis priſci Aevi Literis ampliſſimo Nomini Tuo inſcriberem, quae ad Religionem à novitatis labe vendicandam momenti plurimum eſt aliquando habitura. Ignorat hodie nullus, Tibi interdum à graviſſimis Regni curis tantum animi ſupereſſe, ut, quò Literarum decus, & amplitudinem augeas, haudquaquam graveris, ſcriptiones illas praeſertim cognoſcere, & acute dijudicare, quae vel ad res feliciter, ac praeclare gerendas, vel ad Rempublicam ſapienter religioſeque moderandam, adjumento eſſe videantur. Major mea eſt de Tua gravitate, moderatione, pietate opinio, quàm ut tantillum ſuſpicer, conatus hoſce meos poſſe à Te improbari, ex quibus quid Religionis incolumitati, quid ſervandae Eceeſiarum firmitati accedat, facile intelliges. Fruar in tempore, REX CLEMENTISSIME, *judicio Tuo, fortaſſe non cariturus apud Poſteros, quum obtrectatio deceſſerit, induſtriae teſtimonio: atque agam deinceps omni contentione, quò vel ex hoc ampliſſimo ſuffragio Tuo doceatur, nihil praecelſis mentibus eſſe*

à

Digitized by Google

à natura proclivius, quàm ſumma quaeque complecti, ſuique ſimillima. Ego verò id certe aſſecutus videbor, ut mihi, quod votorum meorum Caput eſt, Auguſtiſſimo Patrocinio Tuo quamdiutiſſime liceat gloriari. Dabam Taurini Ad V. Non. Octobr. Ann. M.DCC.XXVIII.

PROOE-

Digitized by Google

PROOEMIUM OPERIS.

OCtavus Annus ſupra Trigeſimum jam vertitur, ex quo ad Fidei, & Religionis diſciplinam illuſtrandam, vendicandamque, Romae primùm, tum in hac Taurinenſi Academia divino munere, Summorumque Principum autoritate admotus fui. Ac principio quidem ſaepè mecum reputavi, quid demum cauſſae eſſet, quod, quum tam multae lucubrationes Virorum pietate, ac doctrina praeſtantium, ſummo Catholicae Eccleſiae bono prodierint, levi nihilominus, & nullo ferè profectu ab alienae Communionis hominibus exceptae ſint, nonnullae etiam ad haereticalis pertinaciae argumentum traductae: Donec in mentem venit, ortum id maximè ex anticipata quadam illorum opinione, in qua evellenda, praecipua Polemicorum deſudare debet induſtria; quodque niſi fiat, omnis perit labor, atque opera luditur in ſingularibus de dogmatis contentionibus. Scilicet ut illi nobis plerumque non intercedunt, quum de Scripturarum Divinarum autoritate, & pondere, ac de Fidei capitibus, quae iiſdem Divinis Inſtrumentis diſerte evidenterque prodita ſunt, ex inſtituto noſtro diſquirimus; ita quaecumque nos à Dei verbo tradito repetimus dogmata, atque à Patrum, Conciliorum, Pontificum, ceterorumque Scriptorum perſuaſione, & monumentis literarum hactenùs illibatè cuſtodita, docemus, multis illi ambagibus, innumeriſque contentionum moleſtiis implicant, hac imprimis de cauſſa, quod velut res in utramque partem verſatiles ab ipſis Veteribus habitas, opinentur, eaſque in tantum adiaphoras, ut

qualitercumque doceantur, nec fides inde, nec vera Eccleſia labaſcat. Ad haec inſuper haerere pleroſque, ambigere, atque inſidioſè à Catholicis ſciſcitari novimus, qua fieri ratione poſſit, ut Divinae plurimorum dogmatum Traditiones, quae in ſacro Eccleſiarum Depoſito à Chriſto, & Apoſtolis conſignatae feruntur, eodem planè cenſu, ac ne hilum quidem, ut decet, immutatae ad nos uſque pervenerint. Temporum diuturnitas omnia paſſim intervertit, ac delet, aera etiam, & ſaxa: nec quidquam eſt, ſive à neceſſitate, uſuque, ſive à pietate, & Religione commendatum, quod Hominum aut ſocordia, aut impietate, aut fraude ad ſeram Poſteritatem vitiatum non tranſmittatur. Hinc, opinor, fermè omnis in Religione diſſenſus oritur, & animorum, ſententiarumque mira colliſio: Hinc Sectariorum in Romanam Eccleſiam ſcommata, ſannae, odia, inſectationes, & pertinax ab eadem ſeceſſus. Catholici verò, tametſi de ea, quae oretenus tradita Fides eſt, & hodieque perſeverat, ex Divinis ipſis Scripturis ſat erudiamur, & generalem quandam normam adipiſci poſſimus, qua germanae Traditionis characteres conſtituantur; ita ſemper nihilominus cenſui, ſingulares dogmatum Traditiones vix pro dignitate adverſus noſtrorum temporum Scepticos vendicari, & contentioſis hominibus ſuaderi poſſe, niſi certam fixamque rationem compererimus, qua eaedem à primaeva origine, & deinceps, aetate qualibet, & quacumque patuit Chriſtianus Orbis, non à Patribus dumtaxat, & Scriptoribus, quibus illi quidem opinationes affingunt, atque etiam, ſi Diis placet, aberrationes, ſed inſuper abs unanimi, conſtantique Epiſcoporum, Ec-

clesia-

cleſiarum, & Populorum omnium fide, conſenſu,
ac perſuaſione repetantur. In his majeſtas elucet,
ac dignitas Catholicae Eccleſiae, quam Divinus Pa-
racletus agit, & dirigit, ut ab avito Fidei cando-
re, à Dogmatum puritate, atque à recta Scriptu-
rarum intelligentia nunquam deſciſcat. Equidem
nemo, qui ſecum parumper reputet ſummam Pa-
trum ſolertiam in explanandis Fidei dogmatis, ſo-
licitum Epiſcoporum zelum in vendicandis, in cu-
ſtodiendis Eccleſiarum ſummam religionem, & mi-
ram Populorum in profitendis conſenſionem; ne-
mo, inquam, niſi cor Zenònis habeat, aut jecur
Cratetis, eò adducetur, ut iis aſſentiri detrectet,
quae tot retrò Seculis, & tanto animorum concen-
tu Eccleſia Chriſti tenuit, & profeſſa eſt. *Ecquid
enim veriſimile eſt*, aïebat Tertullianus, de Praeſcript.
cap. 28., *ut tot, ac tantae Eccleſiae in unam fidem er-* 196
*raverint? Nullus inter multos eventus unus eſt exitus:
variaſſe debuerat error doctrinae Eccleſiarum. Ceterum
quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed
traditum.*

II. Haec igitur animo reputanti, atque in erudi-
tae Antiquitatis rudera, & mores ſedulò inquirenti,
opportunè ſuccurrit priſtina Encyclicarum Litera-
rum diſciplina, quibus Eccleſiaſtici Praeſules ad
Dogmatum puritatem, atque ad Animorum unita-
tem ſervandam, uſos diù fuiſſe compertum eſt. Haec,
niſi fallor, praecipua ratio fuit, qua priſcae Apo-
ſtolicae Eccleſiae, & quae ab iis duxere originem,
Coeleſtis doctrinae Depoſitum innoxium, & ab om-
ni labe, interpolatione, & fraude tutiſſimum ſerva-
verunt. Hic lydius, pene dixerim, lapis fuit, ad
quem & olim Majores noſtri, & nos ipſi Traditio-

nem ſingularium Dogmatum exigentes, Fidei antiquitatem, univerſalitatem, conſenſionem, adverſus profanas hujuſcemodi aevi novitates, nullo negotio, magna verò ſecuritate deprehendimus. Non ſecùs enim ac Principum Leges, & Edicta, quondam in Provinciis, & Urbibus evulgata, atque in normam regundae, moderandaeque Reipub. adſcita, etiam poſt innumeras temporum, Imperiorum, ac rerum omnium viciſſitudines, qui tùm mores fuerint Populorum, quomodo lites, & univerſim reliqua Civium officia peragerentur, quae Magiſtratuum, ac Subditorum placita, quae denique totius vitae inſtituta eſſent, procul omni dubietate edocent Poſteros, & erudiunt: ita fere Traditio dogmatum, Apoſtolicis Eccleſiis ſemel contradita, ac ceteras ſubinde per univerſum Chriſtianum Orbem pervagata, atque unanimi fide, conſtanti perſuaſione, & identidem repetita in Encyclicis Literis profeſſione, recepta ubique, & cuſtodita; inter plurimas ſceleſtorum Hominum aberrationes, fraudes, & corruptelas; imò, quod dolendum magis, verendumque fuerat, ipſas inter ſtudiorum, rituum, diſciplinae, morumque luctuoſas immutationes, perſtitit eadem, nullâ ſui parte major, nullâ minor, & cujuſmodi à Chriſto, & Apoſtolis profecta eſt, eadem ad noſtra tempora, potiſſimum Encyclicarum ope, ſincera perſeverat. Nam quum Epiſcopis omnibus, & conſtitutis apud eoſdem Doctorum Preſbyterorum Collegiis, animo haereret praeceptum illud ſaluberrimum, quo Redemtor ſervari religiosè caverat Fidei unitatem, & animorum; ſi quos forte contra niti, & ab avita ſententia declinare viderent, continuò reſpicientes ad Depoſitum dog-

matum

matum, excuſſis praeſertim Literis Praedeceſſorum, ultrò citroque in Orbem datis, & quas, velut certam unius communionis teſſeram, Eccleſiae Originales, & Matrices ſervaſſent; denuò repetebant priſcas fidei profeſſiones, mutuis conſcriptis, atque invicem, & ubique ſubſcriptis Epiſtolis, tanta plerumque animorum conſenſione, ut novitii errores, Eccleſiaſtici hujus Magiſterii robore confixi, damnatique exularent; omniſque Eccleſia, ne θάλπειν ὄφιν ἐν τῷ κόλπῳ, ipſos jam Autores errorum, & novitatum deteſtaretur. Hinc auditae paſſim, & adhibitae primis VIII. Seculis Epiſtolae Communicatoriae, Pacificae, Formatae, aliaeque id genus multae, quibus Epiſcopi cum Primatibus ſuis, Primates inter ſe ſe, & univerſi cum Petri Cathedra, quae centrum communionis eſt, in una Fidei, & animorum ſocietate cohaereſcere, inſuper Divinorum Codicum corruptores, & quotquot audaces eſſent Traditionum interpolatores, odiſſe, exſecrari, & damnare, invicem teſtabantur. Et optimo quidem jure Sanctiſſimi illi Praeſules tam auguſtum perinde atque obvium Religionis cuſtodiendae ſubſidium in mores receperunt. Etenim quum Leges duas, inter ſe diſcrepantes, unde ἀντινομία profluit, minimè conſervari poſſe, conſtet, ſitque turpe, in ea Civitate, quae legibus teneatur, diſcedi à legibus, quippe hoc unum vinculum eſt dignitatum, quibus Populi ſalus perſiſtit, hoc praecipuum fundamentum libertatis: multò id verius obtinet in Legibus Chriſtianorum, à quarum puritate, integritate, & uſu ipſa pendet aeterna ſalus, quaeque ſunt Apoſtolorum, & Chriſti dogmata, ſcripto partim, partim vivae vocis oraculo promulgata, atque Epi-

Digitized by Google

ſcoporum, Doctorumque vigilantiae tradita, ut ad Nepotes, ac Poſteros integra, & illibata tranſmitterent.

III. Tametſi verò difficillimum ſit in omni conquiſitione rationis exordium, lubet, rem hanc à ſimpliciſſimis originibus ſuis repetere. Eccleſiam Chriſtus inſtituit, columnam, & firmamentum veritatis, fecitque ampliſſimo ſuo munere indefectibilem, quoties de Divino jure reſponſa ferret. Sed quoniam ita hominum animis naturae quodam vitio comparatum eſt, ut quandiu hoc labili corporum ergaſtulô obſtricti ſunt, vix citra erroris periculum intelligant, judicentve; ſpopondit inſuper, ſemet eidem Eccleſiae adfuturum ad Seculorum uſque conſummationem, ne unquam Inferorum portae praevaleant; imò & alium Paracletum divinitùs miſſurum, qui veritatem omnem edoceat, Paſtoreſque, & fideles in recto Fidei tramite ita contineat, ut non vi aliqua exteriore, non machinis, non fraudibus deduci poſſent ab ea profeſſione dogmatum, quae vel perſemet docuerat, vel per Apoſtolos in Eccleſiae Depoſito mandaverat cuſtodienda. Haec quum certa ſint, atque extra dubitationis aleam poſita, ſive Sponſoris majeſtatem, ſummamque veritatem, quae nec fallere poteſt, nec falli; ſive etiam mirabiles penſemus effectus, qui Eccleſiam, quamquam gravibus ad hunc uſque diem agitatam procellis, in ea tamen fide, quam accepit, hactenus permanſiſſe, teſtantur: Age jam, quae fuerit de ejuſdem autoritate, unitate, candore apud primitivos Fideles perſuaſio, exquiramus. Ac primùm quidem de conſtituto apud illos, fixoque praejudicio, quo Eccleſiae ſententiam, velut aequam ſemper, & irre-

Digitized by Google

vocabilem, ſuſcipiebant, malo hîc habeantur Auguſtini verba, quam mea. *In hac re* (inquit ille adverſus Creſconium lib.1. cap.33.) *à nobis tenetur veritas, quum hoc facimus, quod univerſae jam placuit Eccleſiae, quam ipſarum Scripturarum commendat autoritas; ut quoniam ſacra Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit, eandem Eccleſiam conſulat, quam ſine ulla ambiguitate Scriptura demonſtrat.* Et in Pſal. 57. *Quiſquis à ventre Eccleſiae ſeparatus fuerit, neceſſe eſt, ut falſa loquatur .... Poteſt fieri, ut homo mentiatur: non poteſt fieri, ut Veritas mentiatur. Ex Veritatis ore cognoſco Chriſtum, ipſam Veritatem: ex Veritatis ore cognoſco Eccleſiam, participem veritatis.* Praeclara quoque illa ſunt ejuſdem verba in Pſal. 9. v. 12. *Ipſa, quae nunc eſt, Eccleſia, niſi Dominus non habitaret, iret in errorem quamlibet ſtudioſiſſima ſpeculatio.* Eſt verò ſupremum hoc Magiſterium ita Eccleſiae traditum, ut ſive eadem in Capite ſit adunata, eoque tum inviſibili, quod Chriſtus eſt, univerſam compagem Divinis chariſmatibus animans; tum in humano, & aſpectabili, quod eſt ejuſdem externa velut baſis, & fundamentum; ſive in Oecumenico Concilio ex omni Chriſtiano Orbe ſit congregata; ſive denique per eundem Orbem diſperſa, & ſuorum ubique Praeſulum, ac Doctorum ore, conſenſuque definiens, perinde vim ſuam exſerat, à recta Scripturarum, & Traditionis regula nuſquam aberratura. Nihil attinet hoc loco dicere, quae ejuſdem ſint partes, quae vis, quae dignitas in Capite, aut in Oecumenicis Synodis: Sed quemadmodum diffuſa per Orbem agat, aut judicet, ex inſtituto noſtro aperiemus. Omnis autem haec ratio duabus omnino partibus continetur, quarum alteram *Paſſivam* vocant, quia traditam

396

fidem tenet, & profitetur; *Activam* alteram, quia Dogmatum ſuſceptorum veritatem edocet, & quae receptae profeſſioni ſint conſentanea, definit. Neque enim Eccleſiae actio, & Magiſterii dignitas aliud exigunt quidpiam, quam perſpicere, quid in unaquaque re verum, ſincerumque ſit, quid conſentaneum Fidei, quid conſequens, quid repugnans. *Ceteram turbam*, inquit Auguſtinus, cont. Epiſt. Fundam. cap. 4., *non intelligendi vivacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimam facit*. Utroque hoc munere veteres Chriſtianos, & Antiſtites, qui ſanè tanti nominis menſuram implebant, uſu Encyclicarum Literarum perfunctos eſſe, ex noſtris Diſſertationibus tum, reor, conſtabit, quum & Populos, novitia dogmata haereticorum hominum exhorreſcentes, & Epiſcopos, ac Doctores, ubique ad Depoſitum exigentes, & per Epiſtolas, circumquaque ſuſceptas, placita eadem exſecrantes contemplabimur.

IV. Unde verò inſtitutio hujuſcemodi ad Eccleſiam manarit, & quo praeeunte, tandiù obtinuerit, nec difficile, & perſemet jucundum erit aſſequi, ſi B. Pauli Epiſtolam ad Ephesios, quam fuiſſe Encyclicam, in Diſſert. II. commonſtrabitur, non oſcitanter perluſtremus. Id in ea ſibi ſumſerat Gentium Apoſtolus, ut Eccleſiae, & Capitis naturam, membrorum ordinem, & Praeſidum, Doctorumque officia, & dotes monſtraret: Quorum omnium conditionem compendio perſtringens, aït cap. 4. v. 7. *Unicuique autem Noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti*. Et ferè è veſtigio ſubjungit. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores*. Nihil enimvero eſt in corpore quovis Po-

litico

litico tam compoſitum, tam mirè compactum, & coägmentatum, velut in hac Eccleſiae ordinatione deprehenditur, ubi partes cùm inferiores, tum principes, ſuis licet diverſae, diſtinctaeque gradibus, eodem tamen Spiritu, eadem fide conjunctae, ad unum finem omnes collineant, ſcilicet, ut pergit ibidem Apoſtolus, *ad conſummationem Sanctorum, in opus Miniſterii, in aedificationem Corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in menſuram aetatis plenitudinis Chriſti; ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia Hominum, in aſtutia, ad circumventionem erroris*. Paſtores ii, & Doctores, conſtituti uſque ad Seculi conſummationem in opus Miniſterii, & Eccleſiae aedificationem, iidemque una dogmatum profeſſione colligati, quacumque demum ratione, ſive adunati in Capite, ſive in Generalibus Synodis collecti, ſive etiam per Orbem diſperſi, decreta condant, ferantque ſententiam, modò unanimes ſint, divini Spiritus directione potiuntur: atque adeo quotquot illis adhaereſcunt, nec ab Eccleſiae corpore uſquam divelli, nec inanis doctrinae vento poterunt circumferri. Namque & Redemtoris promiſſa generatim de Eccleſia pronunciata ſunt; & praeſertim ubi cetera media non ſuppetant, etiam diſperſa Eccleſia, quae, ſibi, & ſuo Capiti conſtans, quidpiam Encyclicis Literis ad fidei, aut morum integritatem, puritatemque decernat, eodem planè jure gaudeat neceſſe eſt.

V. Equidem primis Eccleſiae Seculis, quibus publicorum Coëtuum habendorum facultas politicis Legibus erat intercepta, aut ab arbitrio ſummarum Poteſtatum ſuſpenſa; publicus etiam Curſus ſine Im-

periali Diplomate interdictus, nonne ſimplici Epiſcoporum conſenſu, Encyclicis praeſtito, ſine Generalium Conciliorum adunatione decernebatur, quid eſſet in rebus dubiis conſectandum? An non ſexcentae haereſes, ante Synodum Nicaenam exortae, ſola ſine Synodis Paſtorum conſenſione obrutae ſunt, & compreſſae? Ebionem, Cerinthum, Menandrum, Nicolaum, & ceteros ſubinde gregales quod Judicium proſcripſit, niſi ſola Apoſtolicae fidei in Eccleſiis conſcientia? Vix Baſilidis, & Saturnini impiae machinationes adverſus Evangelicam veritatem, & Eccleſiae dogmata emerſerunt, quum *eodem tempore plurimi Eccleſiaſtici Viri patrocinium veritatis ſuſciperent, & pro Eccleſiaſtica, Apoſtolicaque doctrina diſertiſſime decertarent; nonnulli etiam aſſertiones ſuas, ſcriptis proditas, tanquam remedia, ad cavendas ſupradictas haereſes*
315 *comparata, Poſteris reliquerunt*. Inquit Euſebius H. E. lib. 4. cap. 7. Et hoc potiſſimum medio, pergit idem, *Catholica Eccleſia, quae ſola vera eſt, ſemperque ſui ſimilis, & conſtans, novis quotidie incrementis augebatur; gravitate, ſinceritate, ac libertate, modeſtia denique, & ſanctitate vitae cujuſdam, Philoſophiaeque divinae omnium oculos non Graecorum modo, verum etiam Barbarorum perſtringens*. Quod autem laudatiſſimus ille Hiſtoriae Eccleſiaſticae Parens lib. 5. cap. 16. memorat de Montaniſtarum damnatione, quae Epiſcoporum conſentientium Epiſtolis, & diſputationibus peracta eſt, magnam argumento, in quo verſamur, lucem foeneratur. *Et adverſus Cataphrygarum quidem haereſim, propugnator veritatis Deus tum Apollinarem Hierapolitanum ...... tum alios eum illo quamplures, doctrina, & eloquentia praeſtantes, tanquam validum, atque invictum telum excitavit*. Haec ille de Apollinaris laboribus, ut ce-

terorum Epiſcoporum animos ad haereſim improbandam accenderet. Jam verò de Montani fraudibus, & conatibus, queis primùm Phryges, tum Eccleſiam univerſam, ad quam ſibi aditum omnem ſenſerat praecludi Encyclicis Apollinaris ſcriptis, dehoneſtare, ac laceſſere molitus eſt. *Hi perpauci erant Phryges, huiuſmodi fraude decepti. Univerſam verò, quae per Orbem terrarum ſparſa eſt, Eccleſiam idem ille arrogantiſſimus Spiritus maledictis appetere eos docebat, eo quod nec honorem, nec aditum ullum ad ipſam Pſeudo-propheticus Spiritus reperiret. Nam quum Fideles, qui in Aſia erant, ſaepius, & in plurimis Aſiae locis eius rei cauſſa conveniſſent, novamque illam doctrinam examinaſſent, & prophanam, atque impiam judicaſſent, damnata Haereſi, iſti ab Eccleſia, & Fidelium communione ejecti ſunt.* Apollina- 170
ris Hierapolitanus Epiſcopus, & Metropolita Serapionem Antiochenum Patriarcham, cui erat ſubjectus, hauddubiè illius haereſis commonefecit. Nam id erat in more poſitum, ut Epiſcopi, & Metropolitae quaelibet recèns exorta dogmata Hierarchae ſuo patefacerent, & illius operâ ceteris Primatibus, & per Orbem Epiſcopis; quatenus ſiqua adverſus novitates Encyclica conſcriberetur, ea abs unanimi omnium ſubſcriptione, & ſuffragio robur, ac magiſterium ſumeret: quod ſuo loco prolixius, & accuratius diſputabitur. Hinc Serapion in Encyclica, 190
cujus fragmentum Euſebii ſolertiâ adhuc legimus, ibid. cap. 19. in hunc modum ſcripſit. *Atque ut ſciatis, qualiter univerſa, quae in terris eſt, Fraternitas, operationem illam ſimulatae factionis, quae nova Prophetiâ nominatur, averſata, atque abominata eſt, Beatiſſimi Patris Claudii Apollinaris, qui Hierapolitanae Urbis in Aſia Epiſcopus fuit, Literas ad vos miſi.* Conſenſum, ſubinde

praeſtitum Encyclicae Serapionis, memorat Hiſtoricus, dum ſubſcriptiones diſtinctè aliquas recitat, ceteras generatim ita perſtringit. *Sed & aliorum complurium Epiſcoporum, idem cum illis ſentientium, ſubſcriptiones, propriis ipſorum manibus appoſitae, in illa, quam dixi, epiſtola leguntur*. Tanta deinde fide, & obſequio à ſingulis Eccleſiarum ordinibus decretum illud Encyclicum ſuſceptum eſt, ut unius, ejuſdemque vi, & pondere Fideles communionem haereticorum illorum aufugerent. Iccirco Beatiſſimus ille Apollinaris in ſuperioribus ſcripſerat, ibid. cap. 16. in fine *Quamobrem quotieſcumque Eccleſiae Viri, ad Martyrium pro vera fide ſubeundum vocati, una cum quibuſdam de Phrygum haereſi, qui Martyres dicuntur, caſu quodam coïerint, ſemper ab illis diſſentiunt, & communionem eorum ſolicite vitantes, glorioſum Martyrii exitum conſequuntur; quippe qui Montani, & Muliercularum Spiritui aſſenſum commodare, nefas ducant*. Praeclariſſima haec ſunt priſci moris veſtigia, haec Magiſterii Eccleſiaſtici in Paſtoribus, ubique diffuſis, non ambigua, nec marte noſtro meditata ſpecimina, ex quibus, quantum praeſidii in conſenſione Eccleſiarum, & Epiſcoporum poſitum ſit, ad rectam fidem conſtituendam, atque ad omnem comprimendam haereſim, abunde perſpici poteſt. Nemo unus ignorat, emerſiſſe tunc multò plures, & nihilo difficiliores de Religione contentiones, atque infenſiſſima exarſiſſe animorum, ſententiarumque diſſidia: Et tamen quotuſquiſque eſt è Scriptoribus illorum temporum, qui memoret, Epiſcoporum Concilia ea de cauſſa celebrata fuiſſe, ſi quaedam particularia demas, quae, feneſcente II. Seculo, & deinceps à Metropolitis celebrata ſunt, ut iis, quae per Encyclicas decernebantur, quum

exa-

examini ſubjeciſſent, ſuffragio deinde, & ſubſcriptione conſentirent? Erat nimirum inſtar Synodorum ipſa Praeſulum conſtabilita inter ſe ſe Formatis, Communicatoriis, & Pacificis, dogmatum communicatio, fidei unitas, & recta Divinarum Traditionum intelligentia. Fidelibus quoque inſtar Generalis Concilii erat quidquid noſſent ab Epiſcopis, & Doctorum Collegiis in unaquaque controverſia diſcuſſum, & unanimi omnium conſenſione definitum. In ea enim ſententia verſabantur, id rectiſſime cogitabant, Eccleſiae diſperſae, perinde atque in Synodis adunatae, deſponſatam eſſe, oppigneratamque à Chriſto veritatem: Non erraſſe eam ante Synodos, nec eorum, quae pridem univerſim decreverat, palinodiam in Synodis canere; eaſque licet hoſtili quadam vi praepediri contingeret, nullo errorum impetu columnam veritatis concuti poſſe: ſed eandem ſemper & ante Synodos, & ſine Synodis Eccleſiam, in unum quidpiam coëuntem ſub Chriſto Capite, Divini Spiritus oraculum in medio habituram.

VI. Hinc Veteres Tractatores, & Patres dogmatum aſſerendorum rationem ferè univerſam deduxere, qua Novatores, quotquot eſſent, ad doctrinam, judiciumque Eccleſiarum provocare conſueverunt. Id quod imprimis diſcere eſt ab Irenaeo, qui ipſo 167
fere initio Operis, quod adverſus Haereſes exaravit, ſacram hanc velut anchoram Fidei arripit, & Valentino opponit. *Eccleſia enim*, inquit lib. I. cap. 2., *per univerſum Orbem uſque ad fines terrae ſeminata, & ab Apoſtolis, & à Diſcipulis eorum accepit eam fidem &c.* Symbolum hîc recenſet, & ſubinde proſequitur cap. 3. *Hanc praedicationem quum acceperit, & hanc fidem, quemadmodum praediximus, Eccleſia, & quidem in univerſum*

Mun-

Mundum diſſeminata, diligenter cuſtodit, quaſi unam domum inhabitans, & ſimiliter credit iis, videlicet quaſi unam animam habens, & unum cor, & conſonanter haec praedicat, & docet, & tradit, quaſi unum poſſidens os. Ubi in ea, quae ubique eſt, Eccleſia quod *Paſſivum* eſt, ab *Activo* ſecernit, & ut fidei, ita doctrinae Magiſterium commendat. Quae vero ſubjungit, utriuſque muneris rationes mirum in modum illuſtrant. *Nam etſi in Mundo loquelae diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus Traditionis una & eadem eſt. Et neque hae, quae in Germania ſunt fundatae Eccleſiae, aliter credunt, aut aliter tradunt: Neque hae, quae in Hiberis ſunt, neque hae quae in Celtis, neque hae, quae in Oriente, neque hae, quae in Aegypto, neque hae, quae in Lybia, neque hae, quae in medio Mundi ſunt conſtitutae. Sed ſicut Sol creatura Dei in univerſo Mundo unus & idem eſt; ſic & lumen, praedicatio veritatis ubique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire.* Quemadmodum verò & ſibi, & Religioni conſtans permaneat veritatis Magiſtra, eleganter alibi docet, quum ait lib. 3. cap. 40. *Fidem, perceptam ab Eccleſia, cuſtodimus, & quae ſemper à Spiritu Dei, quaſi in vaſe bono eximium quoddam, juveneſcens, & juveneſcere faciens ipſum vas, in quo eſt. Ubi Eccleſia, ibi Spiritus Dei, & ubi Spiritus Dei, illic Eccleſia, & omnis gratia. Spiritus autem veritas.* His ita conſtitutis, falſos Fratres, & impoſtores aggreditur, eoſque duplici momento dumtaxat refelli docet, ibid. cap. 2., ſcilicet vel divinis Scripturis, *vel quum ad eam iterum Traditionem, quae eſt ab Apoſtolis, quae per ſucceſſionem Preſbyterorum in Eccleſiis cuſtoditur, provocamus eos.* Ope nimirum Epiſtolarum, quibus, quale ſit apud omnes Depoſitum, quae profeſſio, quae fides, exploramus. Nam, ut proſequitur cap. 3. Irenaeus, *Traditionem*

Apo-

Apoſtolorum, in toto Mundo manifeſtatam, in Eccleſia adeſt perſpicere omnibus, qui vera velint audire. Et habemus annumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & Succeſſores eorum uſque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Placuit Irenaeo, id omne ulterius experiri, & inter ceteras, ad Romanam Eccleſiam provocat, ad quam *propter potentiorem Principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undique Fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quae eſt ab Apoſtolis, Traditio*. Ejus rei gratia Urbis Pontifices ad ſua uſque tempora cenſet: *Et hac ordinatione*, inquit, *& ſucceſſione, ea quae eſt ab Apoſtolis in Eccleſia Traditio, & veritatis praeconiatio pervenit uſque ad nos. Et eſt pleniſſima haec oſtenſio, unam, & eandem vivificatricem fidem eſſe, quae in Eccleſia ab Apoſtolis uſque nunc ſit conſervata, & tradita in veritate*. Admirabilem eandem conſenſionem experitur quoque in Eccleſiis Epheſina, & Smyrnenſi, quarum alteram Paulus, & Johannes, alteram Polycarpus fundaverant. De iis autem fidenter quoque aſſeverat. *Et teſtimonium his perhibent, quae ſunt in Aſia, Eccleſiae omnes.* Quamobrem univerſam diſputationem ita concludit cap. 4. *Tantae igitur oſtenſionis quum ſint haec, non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere, quum Apoſtoli, quaſi in Depoſitorium dives, pleniſſime in eam contulerint omnia, quae ſunt veritatis. ..... Quid enim & ſi quibus de aliqua modica quaeſtione diſceptatio eſſet, nonne oporteret in antiquiſſimas recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli converſati ſunt, & ab eis de praeſenti quaeſtione ſumere quod certum, & re liquidum eſt? Quid autem ſi neque Apoſtoli quidem Scripturas reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordinem ſequi Traditio-*

nis

nis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Eccleſias. Sed tam eſt acer, & adeo frequenter, atque appoſitè in hoc argumento verſatur magnus ille Eccleſiaſticae pacis, & dignitatis vindex, Irenaeus, ut aliud fere nihil ſibi agendum conſtituiſſe videatur, quam ut ſcriptis ſuis Poſteros erudiret, puritatem dogmatum, & fidei candorem in Eccleſiarum totius Orbis conſenſione inquirere oportere.

VII. Haeret iiſdem planè veſtigiis, eademque diſ-
196 putat perſuaſione Septimius Tertullianus, qui omnem cum Haereticis diſputationem exigens ad certos quoſdam explorandae verae fidei Canones, ita primùm ſtatuit, de Praeſcript. cap. 20. *Dehinc in Orbem profecti* (Apoſtoli) *eandem doctrinam ejuſdem fidei Nationibus promulgaverunt, & proinde Eccleſias apud unamquamque Civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei, & ſemina doctrinae ceterae exinde Eccleſiae mutuatae ſunt, & quotidie mutuantur, ut Eccleſiae fiant*. Colligit inde unitatem Eccleſiarum, quae vel in eo potiſſimum elucet, quod *eſt illis communicatio Pacis, & appellatio Fraternitatis, & conteſſeratio Hoſpitalitatis: quae jura non alia ratio regit, quam ejuſdem Sacramenti una Traditio*. Iccirco etiam in iis, quae de ſingularium Traditionum veritate moventur contentiones, Eccleſias ipſas interrogandas praeſcribit, atque adeo concludit ibid. cap. 21. *Conſtat proinde, omnem doctrinam, quae cum illis Eccleſiis Apoſtolicis, Matricibus, & Originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam, ſine dubio tenentem, quod Eccleſiae ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo accepit: omnem verò doctrinam de mendacio praejudicandam, quae ſapiat contra veritatem Eccleſiarum, & Apoſtolorum, & Chriſti, & Dei*. Hac fidei norma lib. 4. adverſus Marcionis deliramenta

Digitized by Google

Johanni Apoſtolo adjudicat ſacrum Apocalypſeos Librum: hoc veritatis indice contra Ebionem, Valentinum, Baſilidem, alioſque hujuſce furfuris homines, ſingularia paſſim Traditionis capita vendicat. Altum ubique eſt de Synodorum celebratione ſilentium: & eas ſicubi memorat, per quas *& altiora quaeque in commune tractantur, & ipſa repraeſentatio totius nominis Chriſtiani magna veneratione celebratur*: id agere illas dumtaxat edocet, ut quae ubique locorum in Eccleſiis ſingulis, atque ab Epiſcopis omnibus, Catholica communione praeditis, tenebatur fides, in Conciliis pro Chriſtiani nominis majeſtate eluceret. Ceterum appellat ubique Apoſtolicam in Eccleſiis Traditionem, & afflatum Divini Spiritus, nullo temporum lapſu, nulla humanarum rerum immutatione iiſdem defuturum: ubique ad Epiſcoporum non interruptas ſucceſſiones, ad Preſbyterorum Collegia, quae penes unamquamque Sedem conſtituta erant; ad animorum, ſententiarumque unitatem, atque concentum; denique ad auguſtiſſimam Eccleſiarum omnium compagem provocat, in qua una quaedam Apoſtolica prima eſt, à qua omnes; atque ut Apoſtolicae omnes ſint, omnes prima, & una dicuntur, dum in unum Corpus, & Spiritum unum, omnes toto undique Orbe admirabiliter colligatae, & coeleſti quodam nexu inter ſe ſe devinctae conſpirant. Quamobrem eleganter Magnus Auguſtinus in Pſal. 141. v. 4. *Quae* 396
Eccleſiae, ipſae Eccleſiae pluraliter dicuntur: propter unitatem Eccleſiae, una Eccleſia. Una eſt Columba mea, una eſt Matris ſuae. Propter congregationes Fraternas per loca multae ſunt Eccleſiae.

VIII. Senſerunt vim Magiſterii hujus quotquot

fere ab Eccleſiae primordiis uſque ad VIII. inte-
grum Seculum, aeſtu novitatis perciti fuere; & ne-
que, quid de Divinis, & Apoſtolicis Traditionibus
ſaperent, intelligentes, credula ingenia pernicioſiſ-
ſimarum opinionum laqueis implicare, moliti ali-
quando ſunt. Nolo hîc exempla congerere, quae
commodius, & accuratius in hiſcemet Diſſertatio-
nibus diſcutientur. Tantum quod res eſt, ex No-
vatiani, Pelagiique damnatione perſtringam. Ac
251 Novatianus quidem Encyclica Cornelii Pontificis,
cui Epiſcopi ex omni Orbe ſubſcripsêre, reus Schiſ-
matis actus fuerat, damnatuſque. Haerebat inter
alios de vi hujuſce Magiſterii Antonianus, quem,
ut ad juſtam cauſſae hujus aeſtimationem adduceret,
in hunc modum Cyprianus alloquitur. *Quam va-
num eſt, ut Novatiano, nuper retruſo, & refutato, & per
totum Orbem à Sacerdotibus Dei abſtento, nunc adulato-
res adhuc vobis patiamur illudere, & de majeſtate, ac di-
gnitate Eccleſiae judicare*. Scilicet Cornelii Encyclica
in autoritatem univerſalis Eccleſiae recepta fuerat,
quoniam unus toto Orbe Epiſcopatus indiſſociabili
collegio, & fidei vinculo ſibi cohaereſcebat. Hinc
nefas erat, poſteaquam, nihil praepediente locorum
intercapedine, omnes ubique Gentium Epiſcopi,
velut uno ſpiritu, unoque ore, inſtar Oecumenicae
Synodi, ad haereſim, atque haereticum damnan-
dum convenerant, de auguſtiſſimo hoc Magiſterio
ambigere velle, & ſuſtinere aſſenſum. Quapropter
370 Pacianus idipſum Sympronianо Novatiano Epiſt. 1.
fidenter oppoſuit. *Parva vobis de Apoſtolicis Viris, par-
va de primis Sacerdotibus, parva de Beatiſſimo Cypriano
Martyre, atque Doctore currit autoritas? An volumus do-
cere Doctorem? Quid & earum partium Sacerdotes, quos*

per totum Orbem cum eodem Cypriano pax una ſolidavit? Quid tot annoſi Epiſcopi, tot Martyres, tot Confeſſores? Haec ſubinde amplificat, eidemque Magiſterio inhaerens, *ſecurus nulla alia certaminum argumenta quaerit.* Pelagii verò haereſim, fraudes, & placita quid niſi Innocentii, & Zoſimi Literae, in Orbem tranſmiſſae, toto pariter Chriſtiano Orbe proſcripſit? Ea de re B. Proſperi verba digna ſunt, quae hîc adſcribantur. *Quondam*, ſcribit ille adv. Collat. cap. 41., *Beatae Memoriae Innocentius nefandi erroris capita Apoſtolico mucrone percuſſit, quando Pelagium ad profitendam in ſe, ſuoſque ſententiam, Palaeſtinorum Epiſcoporum Synodus coärctavit: Quando Africanorum Conciliorum decretis Beatae Recordationis Papa Zoſimus ſententiae ſuae robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem, gladio Petri dexteras omnium armavit Antiſtitum.* Et ante Proſperum Auguſtinus, lib. 4. ad Bonif. cap. ult., de eadem Pelagianorum damnatione pertractans, Cypriani, & Ambroſii prolatis teſtimonis, *Quid ergo*, inquit, *quod jactant rabioſa nunc mentis caecitate, toto penitùs Occidente non minus ſtultum, quam impium dogma ſuſceptum? Quandoquidem, Domino miſerante, ſuamque Eccleſiam miſericorditer gubernante, ſic vigilavit Catholica fides, ut non minus ſtultum, quam impium dogma, quemadmodum Manichaeorum, ſic etiam non ſuſciperetur iſtorum.* Et optimo quidem jure. Non ſecus enim haereſis haec, Epiſcoporum & Capitis conſpirante judicio, compreſſa eſt, quam fuerit olim Manetis inſania, Archelaï primum diſputationibus, tùm Epiſcoporum, quos ille commonuit, concordi profeſſione rejecta. *Quid eſt ergo quod dicunt* (proſequitur Auguſtinus) *de ſimplicibus Epiſcopis, ſine Congregatione Synodi in locis ſuis ſedentibus, extorta ſubſcriptio eſt? Numquid Beatiſſimis,*

[margin: 444 beside "de re B. Proſperi…"; 396 beside "Auguſtinus, lib. 4."]

& in fide Catholica excellentiſſimis Viris , Cypriano , & Ambroſio , ante iſtos , adverſus iſtos extorta ſubſcriptio eſt ? ...... Aut vero congregatione Synodi opus erat , ut aperta pernicies damnaretur ; quaſi nulla haereſis aliquando ſine Synodi congregatione damnata ſit . Quum potius rariſſimae inveniantur , propter quas damnandas , neceſſitas talis extiterit : multoque ſint , atque incomparabiliter plures , quae ubi extiterunt , illic improbari , damnarique meruerunt , atque inde per ceteras terras devitandae , innoteſcere potuerunt. Verum iſtorum ſuperbia , quae tantum ſe extollit adverſus Deum , ut non in illo velit , ſed potius in libero Arbitrio gloriari , hanc etiam gloriam captare intelligitur , ut propter illos , Orientis , & Occidentis Synodus congregetur . Orbem quippe Catholicum , quoniam , Deo eis reſiſtente , pervertere nequeunt , ſaltem commovere conantur : quum potius vigilantia , & diligentia Paſtorali , poſt factum illis competens , ſufficienſque judicium , ubicumque lupi iſti apparuerint , conterendi ſint . Oppidò praeclara eſt omnis haec Auguſtini in rem noſtram diſputatio, qua dos ſupremi indefectibilis Magiſterii aſſeritur Eccleſiae, vel per Orbem diſperſae, ſibi tamen, & cum Capite ſuo conſentienti; qua haereſes plurimas citra Synodorum celebrationem, docet, ubi eruperant, ibi compreſſas, corrogatis ope Encyclicarum ſuffragiis Epiſcopalibus; qua ipſam hanc judicandi rationem perſpicue, & nervoſe a cavillationibus vendicat; qua denique, omnes appellationes Synodorum ita pertinacibus adimit, ut vel ad obſequium redigat, vel poenae, & damnationi relinquat. Quod Juliano proponit, & aliis XIII. Epiſcopis, qui poſt hujuſmodi circularia decreta, queis adjunxerat robur Apoſtolicae Primae Sedis conſenſio, ſpe Concilii ſibimet blandiebantur. *Quid adhuc* (inquit lib. 2. Oper. ult. adv.

Jul. cap. 103.) *quaeris examen, quod apud Apoſtolicam Sedem factum eſt? Quod denique jam factum eſt in Epiſcopali judicio Palaeſtinae: Ergo haereſis ab Epiſcopis non adhuc examinanda, ſed coërcenda eſt Poteſtatibus Chriſtianis.*

IX. Multa hîc commemorare in promtu eſſet, ad priſcam hanc diſciplinam illuſtrandam comparatiſſima, à quibus conſultò temperandum eſt, tum quod commemorata hactenus, ſat Veterum ea de re perſuaſionem teſtentur; tum quòd ſatiùs videatur, ſtudioſum Lectorem ad eas Diſſertationes vocare, in quibus non perfunctoriam de Encyclicis commentationem Eruditorum commodis, & Eccleſiae bono exhibemus. Neque enim in hanc aleam ſtudia noſtra conjecimus, Argumenti tantum dignitate, ubertate, uſu, varietate, & quae ab omnibus hiſce profluit, incredibili jucunditate pellecti: ſed zelus vendicandae Catholicae Eccleſiae, & Divinae Traditionis adverſus profana inſanientis humanae ſapientiae ratiocinia, ipſaque officii conſcientia fecit, ut diutius in hanc rem meditaremur, conſuleremus, ubicumque licuit, Veterum ſcripta, & priſcarum Eccleſiarum archiva, origines, mores, & ſiquid aliud nobis lucem afferre aliquam poſſet, non indiligenter verſaremus. Interdum etiam placuit, exemplo veterum Polemicorum, Apollinaris, Irenaei, Tertulliani, Auguſtini, aliorumque clariſſimorum Fidei, & Traditionis Aſſertorum, hanc diſputandi rationem experiri in Dogmaticis Controverſiis, quibus Eccleſiaſticos Viros, magna Dei miſeratione ad hanc palaeſtram vocatos, quotidie informamus. Difficile autem dictu eſt, in hiſce Dogmatum commentationibus, ſimulque vendiciis, quantum ſoliditatis ad

ſuadendum, roboris ad convincendum, perſpicuitatis, & apodixeos ad confirmandum in fide, oblectandumque Chriſtianum animum, ſumant quae paſſim proferenda ſunt revelatae divinitùs, traditaeque veritatis documenta. Nihil hìc fucatum, & ſuſpectum, nihil obſcurum, aut impeditum, nihil alienum, aut redundans: ſed ſingula, quae Catholici hodieque profitemur fidei capita, eadem plane, atque in integrum eſſe demonſtrantur, quae primis VIII. Seculis, non tantum inter Patrum opinationes, aut placita Pontificum, & Scriptorum fuere recepta, ut immeritò Novatores ſuſpicantur; ſed omnium, qua latè quondam patuit Chriſtianus Orbis, Epiſcoporum, Doctorum, Populorumque perſuaſione, conſtanter, & ſemper in Encyclicis credita ſunt, & ſuſcepta. Nae illi ignari, aut projectae frontis ſunt, qui in tanta, ac tam mirabili hominum, & temporum de iiſdem dogmatis conſenſione, fateri detrectant, una hac in re, etiamſi deeſſent cetera, ſingularem Numinis Providentiam in moderanda Religione, & Eccleſia ſplendeſcere. Fraudes verò obrepſiſſe, additamenta invaluiſſe, uno verbo, placita Hominum in fidei regulam commigraſſe, quis aſſeverare ſuſtineat, qui norit conſentientium ubique doctiſſimorum, ac Sanctiſſimorum hominum miram in aeſtimandis Fidei rebus, dijudicandiſque ſolertiam; acumen, & perſpicaciam, quam nihil potuit latuiſſe; diligentiam, quam nihil fugiſſe; induſtriam, cui nihil non facile, ac promtum; fidem denique, & doctrinam, qua non tam, quò vellent, impellebant, quam quò ratio ipſa, & Traditionis regula vocaret, plano velut tramite, ſecuras, & magna luce circumfuſas, Populorum mentes deduce-

bant? Hic ſcilicet erat Encyclicarum, quae de fi-
de conſcribebantur, uſus; haec praeſtantia, vis, &
dignitas magiſterii Eccleſiae, toto Orbe diffuſae, &
in una dogmatum profeſſione, aut ſententia conſen-
tientis. Quamobrem Johannes Chryſoſtomus, Homil. 398
43. in 1. ad Corinth., ejus rei exemplum in Apo-
ſtoli Pauli ſcriptis praeclare, ſciteque annotat ad
illa verba. *Sicut conſtitui Eccleſiis Galatiae, ita & vos
facite. Non addùcit*, inquit ille, *aut duas, aut tres Ci-
vitates, ſed totam Gentem. Quod quidem facit etiam in
dogmatibus, dicens: ſicut & in omnibus Eccleſiis Sanctorum.
Si hoc enim eſt validum ad fidem faciendum dogmatum,
multò magis ad facta aemulanda*. Et Magnus Baſilius, 370
quum Neöcaeſarienſes ſuos erudiret, quam normam
in rebus Fidei ſectari oporteret, ſcribit Epiſt. 56.
*Fuerat autem juſtius, res noſtras aeſtimare non ex uno, aut
altero eorum, qui ad veritatem haud recto pede ingrediun-
tur: ſed ex multitudine totius Orbis Epiſcoporum, qui gra-
tia Chriſti conjuncti nobis ſunt. Requirantur verò Piſidae,
Lycaönes, Iſaüri, Phryges, & qui utriuſque ſunt Arme-
niae, quotquot vicini nobis ſunt, Macedones, Illyrii, Gal-
li, Hiſpani, tota ſimul Italia, Siculi, Afri, & qui in Aegyp-
to adhuc ſani ſunt, & quae reliqua portio eſt Syriae, qui
quidem Literas ad nos mittunt, & viciſſim à nobis recipiunt:
ex quibus cum quae illinc ad nos feruntur, tum quae uni-
verſa iſthinc ad ipſos mittuntur, cognoſcere poteſt's, quod
unanimes omnes eodem ſenſu praediti ſumus*. Quid ni er-
gò & nos quoque ad hanc amuſſim exigemus Ca-
tholicam, quam tenemus, & vendicamus Fidem?
Cur & nobis non erit integrum, ubi de quopiam
ſingulari Dogmate venire in diſputationem cogunt
Catholicae Eccleſiae noſtrorum temporum deſerto-
res, ad primitiva ſanctiſſima tempora fidenter pro-

Digitized by Google

vocare? Non eſt equidem committendum, ut praecipuum veritatis ſubſidium nobis, quod aliquando ſocordia noſtra contingit, ab inimicis veritatis praeripiatur, quorum tricae, & contentiones, ſi veteris Eccleſiae fidem appellemus, ſpontè ſua diffluunt, atque evaneſcunt. Namque etiamſi illi Antiquitate paſſim, & priſca integerrima fide glorientur, ſubinde tamen ſunt eorum plerique ita in Sectis defendendis affecti, ut modo partium ſtudiis, & inſtituto ſcribendi inſerviant, famae ſint ſuae, & veritatis liberaliter prodigi, atque eruditae Poſteritatis ſecuri.

X. Nos itaque, quum in ea inciderimus tempora, quibus, nutante Fide, & frigeſcente Pietate; hoſtibus verò potentia, amplitudine, atque eruditione florentibus, appropinquantis Divini Judicii, ut Vin-
434 centius Lirinenſis in Commonit. aït, terribilis quaedam expectatio augeri efflagitat ſtudia defendendae Religionis: quod hactenus delineavimus, jam aggredimur opus, idque ad Fidei antiquitatem, univerſalitatem, & perpetuitatem demonſtrandam accommodatum. Hoc verò in VII. Diſſertationes partimur, fuſiores eas quidem, quam alii mallent. Sunt multa tamen, ex ipſis Eccleſiaſticae antiquitatis penetralibus eruta, eaque tanti momenti, ut paullò operoſius prolixiùſque ſint commentanda, quaeque Diſſertationum quantacumque ubertate, atque, ut ita dicam, loquacitate vix ſatis enucleentur: tantis illa ſunt ambagibus, tantis contentionum moleſtiis impedita.

In Diſſertatione I. vetus illa Encyclicarum conſcribendarum, de qua diximus, Eccleſiae diſciplina proponitur, ejuſque origo, partes, uſus, & auto

ritas

Digitized by Google

ritas generatim, & velut in Προθεωρία aperiuntur.

In II. Diſſert. ampliſſimam, & accuratam rationem inibimus omnium, quae de fidei Dogmatis ab ipſo Eccleſiae exordio uſque ad Concilium Generale I. motae ſunt, & uſu Encyclicarum diremtae, finitaeque controverſiae. Per quae equidem tempora affirmare auſim, vix unam, aut alteram fuiſſe haereſim, quae ſine Conciliis, vel ante Conciliorum ipſorum celebrationem, non fuerit improbata, & proſcripta magiſterio Epiſcoporum, & Eccleſiarum, ſubſcribentium ubique Encyclicis, & conſentientium.

In Diſſert. III., & IV. celeberrimas Epiſcoporum, & Synodorum Encyclicas Literas complectemur, quarum autoritate cum multiplices Arianorum Sectae, tum Macedoniani, Pelagiani, Neſtoriani, Priſcillianiſtae, Eutychiani, & quotquot fuerunt ad Synodum uſque Chalcedonenſem infeſtiſſimae haereſes, rejectae ſunt, & damnatae. Ad Commentaria deinde elucubranda nobiliſſimae Adlocutionis Patrum Chalcedonenſium ad Marcianum aggrediemur, in qua Sanctiſſimi Praeſules, velut orthodoxae Fidei profeſſiones, laudatas Eccleſiarum Encyclicas ſuſcipi oportere, decernunt, & in illis perſeverans Supremum Magiſterium confitentur. Quod ſane monumentum cum inter cetera, quae Religionis, Eccleſiaeque bono ad nos uſque pervenerunt, ſit praeſtantiſſimum, tum mirari vehementer ſubit, quemadmodum in tanta ſtudiorum luce ignotum quaſi hactenus relictum ſit, uſque adeò ut ab eruditiſſimis Viris alicubi vix memorari contingat.

In V. Diſſert. Eccleſiaſticam eandem diſciplinam à temporibus Chalcedonenſis Synodi uſque ad inte-

grum

grum IX. Chriſtianum ſeculum, viguiſſe docebimus. Namque in contentione Acaciana, in cauſſa Origenis, & Trium Capitulorum, in Monothelisſmi, & Iconomachiſmi damnatione, in Schiſmate Photianorum, & ſimilibus Eccleſiarum diſſidiis, multa ſunt priſci moris documenta, quae vim, praeſtantiamque magiſterii, in Encyclicis uſurpati, commonſtrant.

Poſtremae, quae ſequentur, duae Diſſertationes eandem fere diſciplinam in Eccleſia Judaïca obtinuiſſe olim demonſtrabunt. Ac in VI. quidem vendicias Libri Eſther complectimur, qui duabus velut partibus continetur, novem ſcilicet primis Capitibus, quae Scripturam Canonicam eſſe, non diffitentur Judaei, conſentiunt etiam Heterodoxi; niſi quod iſtorum aliqui veriti non ſunt, ſacrum opus tragicomicum omne dijudicare: poſtremis verò VII. Capitibus, quae ſunt pars altera, & à Judaeis ſimul atque Heterodoxis adſcitia omnino, & à quopiam ſubleſtae fidei Helleniſta fuiſſe aſſuta, judicantur. Divinum dictamen in toto, atque integro illo Libro, ut à Catholica Eccleſia ſuſcipitur, ita commonſtrabimus, ut oſtendamus, Mardochaeum partem primam conſcripſiſſe Epiſtolari libello, ad Synagogam, ac ceteros ubique Judaeos directo, ut noſſent, Divina Miſeratione jam Fratres immunes factos eſſe ab ea caede, quam Aſſuerus, & Aman comminati fuerant, atque ideò feſtum Phurim celebrarent: alteram verò partem, poſtremis VII. Capp. comprehenſam, quae in Hebraïcis Codd. deſideratur, & habent Additamenti nomine, LXX. Graeci Interpretes, continere epiſtolam alteram, ab ipſò Mardochaeo, atque Eſther conſcriptam, & ad Synagogam, Populoſque directam, ut totius Judaïcae

Eccle-

Eccleſiae decreto ſollennis, ac perpetua feſti Phurim obſervatio ſtabiliretur. Quae omnia ſi ex ſacrae, & profanae Antiquitatis conſenſu, accedente etiam priſcae Chriſtianae Eccleſiae perſuaſione, probè conſtituantur, Canonicus integer Liber ille nullo negotio monſtrabitur, nec ullus erit locus aut ſuſpicandae in primis Capitibus allegoriae, aut fraudis in poſterioribus, & adulterinae adjectionis aſſerendae.

In VII., & ultima Diſſert. de Libro II. Machabaeorum diſputabitur, quem Novatores omnes uſque adeo à Divinarum Scripturarum cenſu alienum exiſtimant, ut & multa ab eo peccari humanitùs in Hiſtoria, & Jaſonis Cirenaei epitomen fuſioris Operis eſſe, nil dubitent aſſeverare. Quod totum orationis genus, quàm à ſtudiorum, & partium praejudicio profectum ſit, deinceps fortaſſe erit in numerato, quum ſcilicet conſtiterit, nihil illum complecti praeter duas Epiſtolas, quas Hieroſolymitana Eccleſia ad Judaeos Aegypti incolas, & addictos Templo, quod Onias Heliopoli adversùs Legem conſtruxerat, providè, atque opportunè tranſmiſit, ut Schiſmati erupturo conſuleret, & indiceret ſacram Scenopegiae ſollennitatem. Multa in hanc rem congeremus ex Seleucidarum, Antiochidarum, & Syro-macedonum rebus, multa ex profanis illorum temporum inſtitutis, multa denique ex ipſa penitiore Machabaeorum Hiſtoria, rerumque aliarum ſynchroniſmo diſputabimus, ut has Judaïcae Eccleſiae Literas eſſe antiquas, ut feruntur, & Divino afflatu exaratas, demonſtremus.

XI. Hoc interim opus, inter cetera, quae publicae utilitatis gratia in ſacras, & profanas Antiquita-

tes commentati ſumus, prodire primùm in lucem placuit hac potiſſimùm mente (nihil enim attinet cauſſas alias hoc loco enarrare) ut habeant juniores Theologi in Dogmaticis ſtudiis certam, fixamque rationem explorandi, quemadmodum tradita Dogmata conſtanter, ubique, & ſemper Catholica Eccleſia cuſtodierit, eademque ad noſtra tempora certâ Eccleſiarum, Populorumque perſuaſione fuerint illibatè ſervata. Ceterum, quum in mores ferè tranſierit, ut nulli promtius, & alacrius aliena vellicent, quam qui vel aliud agunt, vel nihil, futuros non dubitamus, quibus haec qualiacumque diſpliceant. Nihili ſcilicet eſt Homo ille, cui planè non invidetur, ſuique deſunt obtrectatores. Sint igitur. Noſtro nos pede metimur, & quae noſtra ſit ſuppellex, probè novimus, gratias ob eam rem habituri multas, ſiqui nos hoc onere relevent, nobiſque hanc unam laudem permittant, viam iis, qui inire velint, monſtraſſe. Quod ſiquis etiam laciniofas utriuſquè Antiquitatis monumentorum, SS. Patrum, Conciliorum, priſcorumque Pontificum, ac Theologorum Diſſertationes nauſeet, & prae iis aut rixoſas Scholae tractationes, aut criticas qualeslibet obſervationes, aut etiam humanarum Facultatum delicias concupiſcat, nae ille delicatiſſimi, & inſolentis faſtidii eſt, qui in Religionis ſapientia aurum praeterit, ut legat quiſquilias. Sua ſunt Hiſtoricis, Chronologis, Geographis, Philoſophis, & eruditis id genus Hominibus Regna latiſſima: Theologo verò in Scripturis, in Synodis, & Veterum ſcriptis verſari, tam ferè eſt neceſſarium, ut qui aliter inſtituuntur, ab hac praeclariſſima Facultate quamlongiſſimè abeſſe jure op-

timo

Digitized by Google

timo cenſeantur . Suppudet interdum , quod jam
fateri , ingenuitas eſt , quae invidia vacat , Medi-
cos alibi , Mathematicos , alioſque hujuſcemodi Ho-
mines tam mirè profeciſſe in Eccleſiaſtica eruditio-
ne , quantum magno cum Eccleſiae probro , & detri-
mento Noſtrates multi , in vanis plerumque con-
tentionibus ſuaviter enutriti , eam & ignorant , &
negligunt , & aſpernantur . Quocirca quum ad to-
tius Eccleſiae fundamentum ex priſca Traditione ,
& factis , dictiſque Eccleſiarum , atque Epiſcopo-
rum contra vicinos Haereticos tuendum venitur ,
tam frigidè cauſſa agitur , ut verſutis , captioſiſque
Miniſtellis prodi videatur . *Ipſa Chriſti ſchola eſt* (in-
quit Tertullianus in Scorpiaco , de Patribus , & Epiſ- 196
copis , Apoſtolorum ſucceſſoribus , differens) *quos &
ſibi Diſcipulos Dominus adoptavit , omnia utique edocendos ,
& nobis Magiſtros ordinavit , omnia utique edocturos* . Denique
fortaſſis erunt qui limam deſiderare videantur in ſty-
lo , quo nec rudi prorsùs , & inculto , nec ſolicito
ſemper , & anxio uſi ſumus . Facultas haec noſtra
munditiem curat quidem , ſed fucum negligit , &
affectationem , ſibique ſatis conſuluit , ſi verba ad
ſententiam exprimendam aptiora adhibuerit , licet
ea fortè non ſint à Cicerone probata . *Quid enim*
(aïebat non inconcinne Agobardus in opuſcul. pag. 814
5.) *prodeſt clavis aurea , ſi aperire quod volumus non poteſt ?
Aut quid obeſt lignea , ſi hoc poteſt , quando nihil quaeritur ,
niſi patere quod clauſum eſt* ?

Ad. R. P. Sacarello Conſult. S. Off. pro reviſione.

F. Jo: Albertus Alſerius Mag. Vic. Gen. S. Off.

Reverendiſſimi Patris Johannis Alberti Alſerii, Magiſtri, & Vicarii Generalis Sancti Officii juſſis lubentiſſimè obſecutus, incredibili exultantis animi alacritate attentam diligentiam ſolicitante, inſpiciendum, excutiendumque ſuſcepi Librum, cui Titulus. *De Literis Encyclicis. Diſſertatio Prima, Autore Abbate Franciſco Dominico Bencini, in Regio Archigymnaſio Primario Theologiae Profeſſore.* In hoc quidpiam, quod Orthodoxis Sacrae Fidei Canonibus, Eccleſiaſticae Diſciplinae, boniſque Moribus adverſetur, non modo non offendi, verùm integram tractationem alieno minimè elaboratam ingenio, analytica methodo explicatam, dictionis caſtitate, & elegantia excellentem, ſacra eruditione cum ex Veteribus Eccleſiae monumentis, tum ex Sanctis Patribus ſtudioſè conquiſita, & accuratè deducta, refertiſſimam, quàmmaximè ſuſpexi. Purum ergo, perennemque fontem aquae ſalientis in vitam aeternam egregium hòc opus appellare non dubito, (*a*) ex quo non tyrones modò, ſed Eruditi quique reconditiorem illius ſapientiae aquam libare poterunt, qua fidem ſaluberrimam gigni, nutriri, roborari, defendi, ni cum D. Auguſtino malimus contendere ultrò fatendum eſt. (*b*) Quarè cum ex abſolutiſſimo Opere Autori laudem, fidei decus, Eccleſiae non mediocrem utilitatem, meo quidem judicio, accedere intelligam, publica digniſſimum luce illud excudendum oppidò cenſebam. Taurini in Aedibus noſtris S. Joſeph die 13. Aprilis anni 1728.

(a) *Jo: cap. 4. B. 14.* (b) *Lib. 14. de Trinit. Dei cap. 1.*

Carolus Antonius Saccarelli Clericorum Regularium Infirmis miniſtrantium, in Regio Archigymnaſio Theol. Col., S. Off. Conſult.

IMPRIMATUR.

F. Jo: Albertus Alſerius Magiſt. Vic. Gen S. Off.

V. De Salutiis à Paeſana Cenſor.

V. Caſelette de Graveris pro Excell. D. Comite, & P.P. Ricardi, Magnae Cancellariae Cuſtode.

Digitized by Google

CAPITA DISSERTATIONIS.

§. I.

DE *Encyclicis, variiſque earum Appellationibus*. pag. 2.

§. II.

De Epiſtolis Encyclicis, quae Salutatoriae dictae ſunt, & Feſtivae. pag. 12.

§. III.

De Epiſtola Diaconica. pag. 24.

§. IV.

De Encyclicarum argumento, atque natura. pag. 41.

§. V.

De examine praemiſſo in Encyclicis ſive condendis, ſive recipiendis. pag 57.

§. VI.

De Encyclicarum Authoribus. pag. 74.

§. VII.

De Eccleſiarum Orientis, & Occidentis diviſione. pag. 88.

§. VIII.

De Actis in Encyclicarum evulgatione poſt inductam Eccleſiae Orientalis, & Occidentalis diviſionem, exemplo Sardicenſis Encyclicae. pag. 97.

§. IX.

De Dominicis Curſoribus. pag. 110.

§. X.

De Presbyteris Doctoribus, Diacono, Dominico Curſori, adſociatis. pag. 134.

§. XI.

De Pontificis, Primatum, & Metropolitanorum officiis in Encyclica qualibet ſuſcipiunda. pag. 142.

§. XII.

De Recitatione Encyclicarum. pag. 155.

§. XIII.

De Libellis, nonnunquam Encyclicae adnexis. pag. 167.

§. XIV.

De Votis ſubſcribentium Epiſcoporum, Encyclicae additis. pag. 180.

§. XV.
De Encyclicarum ſubſcriptionibus. pag. 187.
§. XVI.
De Tomis Encyclicis. pag. 208.
§. XVII.
De Tomo Encyclico, exſtante Parte III. Concilii Calced. in quo reliquorum Exemplar numeris omnibus abſolutiſſimum proponitur. pag. 226.
§. XVIII.
De Epiſtolis Antencyclicis. pag. 242.
§. XIX.
De Teſtimoniis, quae à Pontificibus, Conciliis, & Patribus mutuari ex Encyclicis conſuevère. pag. 267.
§. XX.
De primario Encyclicarum, & ſimilium Epiſtolarum Scopo, Fidei unitate, & Animorum concordia. pag. 287.

AD LECTOREM.

DUo ſunt, Amice Lector, quae admonuiſſe hoc loco non poenituerit. Primùm, in Chronologia Eccleſiaſtica Scriptorum, & Conciliorum, quam plerumque indicatam vides, eam rationem ſecuti ſumus, ut Scriptores quidem annis, quibus praeſertim claruerunt, aut clareſcere coeperunt, non quibus Opera ſua vulgarunt; Concilia verò iis, ad quos referuntur in Collectionibus Generalibus, alligaremus. Operarum deinde errata, quae in aliquibus Exemplaribus irrepſerunt, ut corrigas, monemus: velut ſunt pag. 3. Etimologico, pro, Etymologico. Pag. 19. ſcriptas, pro, ſcriptae. Pag. 28. preſeſerre, pro, praeſeſerre. Pag. 51. *Domino*, pro *Domne*. Pag. 133. ad marg. 535., pro, 553. Pag. 149. *Thophilum*, pro, *Theophilum*. Pag. 180. ſuſcribentium, pro, ſubſcribentium. Pag. 179. αὐτί, pro, ἀντί. Et ſiquae ſunt alia id genus leviſſima. Haec volebam, neſcius ne eſſes. Vale.

DE

DISSERTATIO I.

DE
LITERIS ENCYCLICIS
IN COMMUNI.

UT nulla diſciplina eſt, nulla facultas, reconditiorum Studiorum Viris vel mediocriter profutura, quae ad faciliorem ſublimioremque veritatis indagationem, multa ex principiorum explanatione adjumenta ſibi non comparet : ita, ut quod pertractandum ſuſcipimus Epiſtolarum Encyclicarum argumentum pro ſui dignitate majeſtateque eluceſcat, danda imprimis eſt opera, quatenus ea de ſingulis diſſeramus, quae in materia curſim ab aliis atque obiter tacta, veram ſuſcepti laboris ideam, juſtamque aeſtimationem ingenerent. Rem iccirco ab ovo, quod ajunt, aggredientes, earumdem Encyclicarum nomen, eſſentiam, diviſionem, latores, recitationis modum, atque alia huc pertinentia expendemus. Equidem in ſuſcepto labore veriſſimum illud eſſe comperi, quod fert vulgaris paraemia, diem ſcilicet à die doceri, & invenire hodiernum, quod heſternus praeteriit. Hinc enatae mihi paſſim novae per Veterum monumenta obſervationes, quibus, ut fieri potuit, completum benevolo atque erudito Lectori opus exhiberem. Ea itaque in priori hac Diſſertatione diſcuſſa exhibebimus omnia, ex quibus Encyclicarum materies, & forma verior exurgit ; haec eadem illuſtrius preſſiuſque demonſtraturi, quum editas in primitiva Eccleſia Encyclicas in Secunda Diſſert. recenſebimus.

Digitized by Google

§. I.

DE ENCYCLICIS, VARIISQUE EARUM APPELLATIONIBUS.

Synopſis.

I. *Tractationis ordo.* II. *Encyclicae unde dictae, & ortae.* III. *Encyclicarum in regimine Eccleſiaſtico uſus.* IV. *Cur Catholicae dictae ſint.* V. *Cur Tractoriae.* VI. *Tractatoriae.* VII. *Denunciativae.* VIII. *Declarativae.* IX. *Indicativae.* X. *Enthroniſticae.* XI. *Paſchalium Epiſtolarum in Veteri Teſtamento origo, & uſus.* XII. *Earumdem conſcribendarum, & vulgandarum in Eccleſia Chriſtiana ratio proponitur.*

Arte C. 285.

I. PRaeclarè, ſapienterque monuit Epicurus in Phyſicis ad Herodotum, nominum imprimis, & vocum habendam eſſe rationem. *Ante omnia* (inquit ille) *noſſe oportet, quae ſunt ſubjecta vocibus, ut habeamus ad quae referentes ea, quae ex opinione, vel in dubio poſita ſunt, dijudicemus, & ne temerè, & confusè nobis in infinitum officiant omnia, neve inanes ſine re voces habeamus; neceſſe eſt enim primam in unaquaque voce notionem conſiderare.* Quamobrem, anteaquam ad pleniorem ſuſcepti argumenti tractationem gradum faciamus, minimè ſupervacaneum duximus, varia hujuſmodi Epiſtolarum nomina primùm exponere. Ijs quippe expeditis omnibus, quae ad ἐτυμολογίαν origineſque attinent, nihil erit, quod ad rem ipſam diſcutiendam accedere prohibeat: factoque per generalem expoſitionem Syſtematis univerſi compendio, quidquid deinceps prolixius diſſerendum erit, minùs operoſum ſcribenti, legentique continget.

II. Atque, ut à genere ordiamur, hae Epiſtolae Encyclicae communiùs indigetantur à Graeco ἐν & Κύκλῳ quod eſt *in orbe*, ſeù *circulo*; ideò ſic nuncupatae, quod ad plurimos, ceù per orbem, dirigerentur. Eae autem, vel à Principe mittebantur, qui hac ratione publica Provinciis mandata proponebat, quae ſubditos vellet exequi; vel à Magiſtratu, ad ea manifeſtanda, quorum omnes admoneri intere-

rat,

rat, ut unitas, atque concordia ſervaretur: unde & legum earumdem cuſtodia, & regiminis ſubditorumque pax, & incolumitas emergunt. Id tamen Epiſtolarum genus peculiare Eccleſiae Chriſti fuiſſe videtur, quae, ut ambitioſa non ſecus, atque invidioſa nomina Praecepti, Edicti, Mandati & ſimilia miſſa faceret, ea omnia, quae ſive ad fidem, ſive ad mores, diſciplinamque ſpectantia, ab univerſis cognoſcenda duxit, per haſce Epiſtolas ſignificavit, quae ob id Graecis Encyclicae, Latinis Circulares ſunt appellatae, unde in magno Etimologico ad vocem *Encyclicae* cir.
annotatum, *quod ubique eſt commune*. Et Heſychius, *quod* 290.
ubique circumit, ubique permeat.

III. Eccleſia, quae velut acies benè, ſapienterque ordinata, ab ipſis initiis omnibus illis inſtructa fuit, quae ad perfectum regimen ſpectant, non eâdem ſemper ratione propriam juriſdictionem exercuit; ſed variis temporum circumſtantiis ſemet accommodans, varias regendorum fidelium vias inivit. Priſca enim illa aetate, qua, ut Optatus 368.
loquitur, in Republica Eccleſia erat, tametſi parùm exteriùs ſe proderet, eorum tamen omittebat nihil, quae ad ſui Conſtitutionem, ſubjectorumque ſalutem pertinerent. Sive enim delinquentes coërcendi eſſent, poeniſque multandi, ſive edicta promulganda, ſive aliud quidpiam agendum, quod ad Chriſtiani populi, Eccleſiarumque emolumentum ſpectaret, atque conferret, id omne vel per Concilia, vel, quod frequentiùs fuit, per haſce Epiſtolas perficere conſueverat. Hoc unum quippe medium iis temporibus, quibus perſecutores in Eccleſias incrudeſcebant, accommodum expeditumque videbatur. Quoties itaque Controverſiam fidei aliquam Eccleſiae totius conſenſu dirimi oportuit, quum in Coetum adunari Antiſtites, calamitas temporum prohiberet, ad errores, eorumdemque authores omnibus ſignificandos, adhibitae ſunt hae Epiſtolae, quas eadem priſca aetas *Clericas* nuncupavit, tùm ab iis, qui eaſdem perſcribebant, tùm à ratione qua dirigebantur, nomenclatura deducta. Eo ſane titulo à S. Cypriano indigetantur: idem- 248.
que Epiſtola 4. librata ratione conſcribendas edocet, quod in publicum Eccleſiarum bonum vulgarentur. *Perquam etenim grave eſt* (inquit S. Martyr) *ſi Epiſtolae Clericae veritas*

mendacio aliquo, & fraude corrupta eſt. Hinc in Encyclica à Confeſſoribus eidem Cypriano data, quae eſt num. 17., hanc legimus adjectam formulam: *Praeſente de Clero, & Exorciſta, & Lectore.* Ii quidem non nominantur: ſatis tamen Luciano fuit, qui omnium nomine Epiſtolam ſcripſit, ut authoritatem Encyclicae huic conciliaret, eos adhibere teſtes, qui ad Clerum pertinerent.

IV. Catholicae non eo quidem ſenſu dictae ſunt Encyclicae, quod de rebus ad Catholicam Eccleſiam pertinentibus agerent, ſed à voce καθόλος *Univerſus*, quòd ſcilicet ad univerſos Chriſti fideles dirigerentur. Hoc nomine ſaepiùs indigetantur à Patribus una & altera Petri, tres Johannis, Jacobi una, & Judae; ea ſanè de cauſa, quod non ad ſpecialem Eccleſiam aliquam, ſed ad univerſam per Orbem
990 Eccleſiam fuerint miſſae. Animadvertit id Oecumenius in Comment. ad Epiſtolam Jacobi: *Catholicae dicuntur illae Epiſtolae, quaſi Encyclicae: non enim ſeparatim gentem unam, aut civitatem, quemadmodum D. Paulus Romanos, aut Corinthios, his Epiſtolis alloquitur Diſcipulorum Domini Chorus, nimirum Petrus, Johannes, & Judas; ſed in univerſum fideles omnes.*

Hae aliaeque deinceps Epiſtolae, quae poſtmodum Encyclicae ſunt appellatae, meritò Catholicae nuncupabantur,
254 & Rationales, quod ad publicum Eccleſiae, Fidei, diſciplinaeque commodum ordinarentur. Hoc ſenſu Dionyſius Alexandrinus in Paſchali Epiſtola ad Hermammonem apud Euſebium l. 7. c. 10. loquens de Macriano, cujus impiis exemplis Valerianus Imperator factus eſt Chriſtianorum perſecutor, quique Rationalis officii munere tùm fungebatur, ad vocem alludens, ſcripſit. *Qui initio quidem, quum* καθολικοῦ; *id eſt, Rationalis Imperatoris diceretur, nihil rationi conſonum, nihil Catholicum ſenſit, aut publicum. Sed imprecationi propheticae ſubjacuit, quae ſic habet, Veh iis: qui prophetant ex corde ſuo, nec prae oculis habent bonum publicum.* Huc verba
368 quoque Optati referas, Catholici vocabulum explicantis lib. 2. *Ubi ergò erit proprietas Catholici nominis, cum inde dicta ſit Catholica, quod ſit rationalis, & ubique diffuſa?* Rectè ergò Catholicae, atque Rationales dicebantur Encyclicae, quum ad Eccleſiarum totius Orbis unitatem in fide, atque moribus ſartam tectamque ſervandam ordinarentur. Hinc fa-

ctum,

ctum , ut particulares Eccleſiae , Encyclicas quaquaverſum
dirigentes , Eccleſiae per univerſum Orbem diſperſae titu-
lum adjungerent , quo à reliquis Eccleſiis , atque ſectis ſe
ſe diſcriminarent . Quod perſpicere pronum eſt in Smyrnen
ſis Eccleſiae Encyclicâ , quae ad Catholicam Eccleſiam prae-
notata eſt , ut haec abs adulterinis Eccleſiae Coetibus ſe-
cerneretur . Iccircò in actis paſſionis Pionii Martyris , qui
paſſus eſt in Deciana perſecutione , legitur . *Tum Polemo :* 250
Chriſtianus , inquit , es ? Reſpondit Pionius : ſum profectò. Cu-
jus , inquit Polemo , es Eccleſiae ? Reſpondit Pionius , Catho-
licae ; nulla eſt enim alia apud Chriſtum . Cum enim & Se-
ctae reliquae Eccleſias haberent ſuas , meritò Pionius dixit,
ſe in Catholica, proindeque vera in Eccleſia eſſe .

Eodem quoque ſenſu Chriſtiano II. Seculo , quum
Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus , & ſuae Dioeceſeos , & 170
reliquos per orbem fideles Epiſtolis inſtituere ſuſcepiſſet ,
dediſſe Catholicas Epiſtolas ab Euſebio dicitur Hiſt. l. 4. c.
23. *Primum quidem de Dionyſio dicendum eſt , qui Corinthio-*
rum Eccleſiae Epiſcopatum geſſit , nec ſolum populis ſibi commiſ-
ſis , verum etiam aliarum regionum , & urbium incolis divinos
labores ſuos prolixè communicavit , omnium commodo utilitatique
inſerviens in Catholicis illis , quas ad diverſas Eccleſias ſcrip-
ſit , Epiſtolis . Id equidem ſibi muneris officiique arrogans
Themiſion quidam , graviter ab Apollonio , ſtrenuo ejuſ- 192
dem aevi exercitatore , eſt reprehenſus , cujus fragmentum
reſervavit Euſebius Hiſt. l. 5. c. 18. *Themiſion ſpecioſa ava-* 315
ritia obvelatus , qui Confeſſionis ſignum non pertulit , ſed magna
pecuniae vi erogata , vincula abjecit , cum ob eam cauſam mo-
deſtiùs deinceps , ac ſubmiſſiùs agere deberet , tanquam Martyr
ſe ſe efferens , auſus eſt exemplo Apoſtoli , conſcripta Epiſtola Ca-
tholica , eos quidem , qui fideliores ipſo exſtiterant, inſtruere ; no-
vae autem doctrinae patrocinari , ac poſtremò in Dominum , in
Apoſtolos , & in Sacroſanctam Eccleſiam impiè loqui . Ordina-
batur itaque Catholica quaevis Epiſtola ad Magiſterium ex-
ercendum , quod quidem ex recepta formulae intelligentia
ad Univerſos porrigeretur .

V. Encyclica à Latinis nuncupabatur Tractoria. Quem-
admodum enim à Circulo , ſeu quod undique circumiret ,
Encyclica apud Graecos audiebat , ità apud Latinos à tra-

Digitized by Google

ctu , ſeu curſu publico , quem Eccleſiaſtici Curſores , ultrò
citroque Epiſtolas ad Eccleſias deferentes , peragrabant, Tra-
ctoria dicta eſt . A Seculi uſu Vocis haec ſignificatio ad iſti-
uſmodi Epiſtolarum genus indigetandum translata eſt. Cur-
ſus publicus olim penès Imperatorem erat , ejuſdemque fa-
cultas & uſus , non niſi Imperiali diplomate , atque ſigillo
concedebatur , citra quam veniam eo uti licebat omnino ne-
mini . Ità Conſtantino , qui obſidis loco à Maximiano Ga-
lerio detinebatur , ad Patrem abituro , Maximianus *dedit il-*
li ſigillum , inclinante jam die , praecepitque , ut poſtridie manè
acceptis mandatis proficiſceretur ...... quae quum ille proſpice-
ret , quieſcente jam Imperatore poſt coenam , properavit exire , ſu-
blatiſque per manſiones multas omnibus equis publicis , evolavit.
304 Verba ſunt Lactantii de mortibus Perſecutorum c. 24. Re-
ſcriptum porrò illud , quo publici curſus copia fiebat , Tra-
ctoria nuncupabatur . Qua de re in l. 8. Cod. Theod. , & in
tit. Cod. de curſu publico , Schefferus de Vehiculari re cap.
18. p. 264. Lipſius ad Tacitum Annal. 13. c. 2. Caſaubonus
ad Aeneam Tacticum. Ab hoc itaque reſcriptorum genere
nomen derivarunt Eccleſiaſticae Epiſtolae , quae , quòd
tractum Chriſtiani Orbis pervagarentur, meritò Tractoriae
417 ſunt appellatae . Hinc celeberrima Pontificis Zoſimi Epiſto-
la apud Marium Mercatorem in Commonitorio Tractoria
dicitur. Similiter Epiſcopis , quum ad Concilia erant
evocandi , Tractoria dabatur , ut in itinere publico curſu
uti poſſent . Quod de ſe ipſo teſtatur Auguſtinus Epiſtola
395 217. *Tractoria ,* (inquit) *ad me V. idus Decembris venit ,*
jam finito die , & me valdè indiſpoſitum inveni , ut occurrere
omninò non poſſem. Formulam publicae illius Tractoriae obviam
660 habes apud Marculphum lib. Form. 11 *Ille Rex omnibus agen-*
tibus . Dum & nos in Dei nomine Apoſtolicum virum illum , par-
tibus illis legationis cauſſa direximus , ideò jubemus , ut locis
convenientibus eiſdem , evectio ſimul , & humanitas miniſtretur,
hoc eſt veredes , aut paraveredes tantos &c.

VI. Tractatoria etiam dicebatur , quod inſuper tractatu,
ut reor, habito, vel error denunciandus, vel perſonae vi-
tandae ſummatim in Encyclica perſtringerentur. S. enim
Auguſtinus Epiſt. 167. differens de contumacibus , & rebel-
libus, qui à falſae doctrinae pravitate non deſtiterant , eos

univerſo Orbi per Tractatoriam aït eſſe deferendos. *Quod ſi non fecerint, ibi etiam eorum pravitas & perverſitas innoteſcet; miſſaque Tractatoria ſuper eorum nomine per totum Orbem terrarum, quacumque jam Chriſti Eccleſia dilatata eſt, ab omnibus Eccleſiis eorum Communio praecidatur*. Iis gemina ſunt, quae in Comment. in Pſal. 36. Serm. 2. idem Auguſtinus habet. Agens enim de Primiano Donatiano, ejuſdemque pravitate, devitandum illum eſſe aït, admonitis per Tractatoriam fidelibus omnibus; ad quod agendum Epiſcopos hinc cogi aſſerit, ut ſarta tectaque perſiſtat fidei puritas, Eccleſiaeque unitas. *Atque ideo*, [inquit] *non immemores puritatis Eccleſiae, conducibile exiſtimavimus, omnes Sanctos con-Sacerdotes, & omnes Clericos, & omnes populos, qui ſe Chriſtianos meminerunt, hac noſtra Tractatoria admonere, ut omnes ejus* (Primiani ſcilicet) *Communionem, utpotè damnati, diligenti cura horreant*.

VII. Denuntiativae hinc auditae Epiſtolae. Sunt autem circulares Epiſtolae ad univerſas Eccleſias miſſae, in quibus nomina vel haereticorum, vel excommunicatorum denuntiabantur, nequis cum illis Communionis frequentaret commercia, ſed cautè religioſèque refugeret. Eodem in cenſu illae fuère, in quibus populis denuntiabantur errores, ab uno quopiam contra communem fidei profeſſionem, perſuaſionemque diſſeminati.

VIII. Iis Declarativae ſuccedebant, eo quidem cum diſcrimine, quòd denunciativa circularis nudum errorem, nudaque Authorum nomina, ut ab utroque caverent fideles, proponebat: Declarativa verò, quae & Tractatoria, tribus plerumque partibus conſtaret. I., Rectae fidei profeſſio expoſita atque probata exhibebatur, erroribuſque naſcentibus opponebatur. II., Oborros errores. III., Haereſiarchae nomen, fautoreſque praecipuos recenſebat. Hinc plures ad modum tractatus exaratae occurrunt, quibus quandoque opuſculum quodpiam addebatur, quo Presbyteri Doctores inſtructi, catholicum dogma explanare poſſent, atque tueri.

IX. Indicativae, quarum frequentior perſecutionum tempore uſus, ab Eccleſiis & Epiſcopis mittebantur reliquis per Orbem fidelibus, iiſdemque nomina Martyrum, qui glorioſo certamine Martyrium conſummaverant, exponebant, ut

illorum diem anniverſaria ſolennitate impoſterum celebrarent. Plerumque Martyrii quoque acta continebant. Ex hiſce Epiſtolis memoriae Martyrum, glorioſi fidei Agones, & illuſtria Sanctiſſimorum Virorum certamina ad nos uſque pervenerunt, invidiâ temporum dubio procul obliteranda, niſi Epiſtolarum iſtiuſmodi ope in variis Eccleſiis fuiſſent reſervata. Hiſce monumentis ſuam Eccleſiae priorum tempo-
315 rum Hiſtoriam enucleavit Euſebius, atque in exſtantibus hodieque illuſtriores certioreſque antiquae diſciplinae rationes deprehendimus.

X. Sequitur earum Epiſtolarum expendendus uſus, quae Enthroniſticae ſunt appellatae, quaſque in Enthroniſmo, ideſt, in exordio Epiſcopatus ſui ad ſe mutuò miſſitabant Patriarchae, & Epiſcopi: quemadmodum & erant Enthroniſticae Homiliae, ſeu Conciones, quas Epiſcopi in auſpicio Epiſcopatus ſui primas habebant ad Populum. Exemplum
553 ſuggerit Liberatus cap. 19. Brev., agens de Severo Antiocheno Theopaſchitarum Duce. *Fertur autem expoſitio ejus, quae ab eo dicta eſt in Enthroniſmo, in qua & Unitivum ſuſcipit Zenonis, & anathematizat Chalcedonenſe Concilium, & communicare ſe confitetur Alexandrino, & CPno.* Enthroniſticis hiſce Epiſtolis fidei adjungebatur profeſſio, ſubſcribendaeque erant ab omnibus, & ad Authorem remittendae. Quem morem improbè arripuiſſe praedictum Severum, prodit in
594 hunc modum Evagrius Hiſt. l. 4. c. 4. de Juſtini imperio agens. *Primo autem Imperii ſui anno Severum, qui Antiochiae Epiſcopus, ſicut ſupra dictum eſt, fuerat ordinatus, propterea quod Chalcedonenſem Synodum damnare quotidie non ceſſaret, praecipuè in Epiſtolis, quas* ἐνθρονιστικὰς *vocant, & in reſponſionibus ad eaſdem Epiſtolas, quas ad ſingulos Patriarchas mittebat: quae quidem ejus Epiſtolae ſuſceptae ſunt dumtaxat Alexandriae à Johanne, qui priori Johanni ſucceſſerat, & Dioſcoro ac Timotheo, & ad noſtram uſque aetatem ſervatae ſunt, &c.* Sed de his infra prolixius §. IV.

XI. Paſchales Epiſtolae non ultimum inter Encyclicas obtinuerunt locum. Edebantur iſtae, & ad univerſas Eccleſias, earumque Primates à Romano Epiſcopo dirigebantur: Illi verò ad ſubjacentes Epiſcopos, atque fideles dabant. In quo equidem pro majeſtate conſpicitur Hierarchicus Ordo,

uni-

unitas fidei, & diſciplinae, atque in exteriori Eccleſiaſtica Politiâ ſervata à ſingulis, omnibuſque concordia. Priſcae, receptaeque conſuetudinis origo, & earumdem evulgandarum ratio à Veteri etiam Teſtamento praeclarè repeti poteſt. A. C.
Atque, ut alia mittamus, ſat id doceçmur Ezechiae exemplo, qui collapſam Moſaïcarum Legum obſervantiam inſtauravit. Quum enim ſolennem Paſchatis celebritatem multi negligerent, ſive potius menſe primo fieri non potuiſſet, ut eamdem peragerent, *inito Conſilio Regis & Principum, & univerſi Coetus Jeruſalem, decreverunt ut facerent phaſe menſe ſecundo*. Decretum hoc Curſorum opera ad omnes, qui judaeo nomine cenſebantur, fuit perlatum. *Et decreverunt ut mitterent nuncios in univerſum Iſraël, de Berſabee uſque Dan .... Perrexeruntque Curſores cum Epiſtolis ex Regio imperio, & Principum ejus in univerſum Iſraël & Judam, juxta id quod Rex juſſerat, praedicantes: Filii Iſraël revertimini ad Dominum.... igitur Curſores pergebant velociter de Civitate in Civitatem per terram Ephraïm, & Manaſſe, uſque ad Zabulon*. Uſus ergo jam tùm invaluit, ut Paſchalibus hiſce Epiſtolis, praeſentiſſimo Curſorum medio vulgatis, & Paſcha denunciaretur, & omnes ad Religioſam Legis diſciplinaeque cuſtodiam impellerentur. Effectum ſanè hunc, qui & in Eccleſia Chriſtiana praecipuus fuit Paſchalium, aliarumque Encyclicarum ſcopus, egregiè commonſtrant quae ſubdit Sacer textus 2. Paralip. c. 30. v. 12. *In Juda verò facta eſt manus Domini, ut daret eis cor unum, ut facerent juxta praeceptum Regis, & Principum Verbum Domini*. Imo & hinc factum, ut idololatricus cultus in omni Judaea deleretur, ſubdente Scriptura ibidem v. 14. *Et ſurgentes deſtruxerunt Altaria, quae erant in Jeruſalem, atque univerſa, in quibus Idolis adolebatur incenſum, ſubvertentes projecerunt in Torrentem Cedron*.

726

XII. Hinc earumdem Paſchalium in Eccleſia Chriſtiana uſus, quarum ſpecimina exhibet Synodus Arelatenſis I. ſub Sylveſtro celebrata, in qua Canone I. haec ad Sylveſtrum Ducenti qui convenerant ex toto Orbe Epiſcopi ſcribunt. *Primo loco de obſervatione Paſchae Dominici, ut uno die, & uno tempore per omnem Orbem à nobis obſervetur, & juxta conſuetudinem literas ad omnes tu dirigas*. In Orbem itaque univerſum ante Arelatenſe Concilium juxta receptam *Conſuetudi-* 314

nem, Pontifex *ad omnes dirigebat* Epiſtolam, quam ab indi-
cendo futuri Paſchatis die Paſchalem indigetabant. Inſcri-
bebantur autem hae Epiſtolae ad Primates, quorum opera
ad reliquas Provinciarum Eccleſias tranſmittebantur. Extat
perſeverantis hujus conſuetudinis, & adhibitae formae ſpe-
440 cimen apud S. Leonem, qui denunciaturus Paſchatis diem
Ravennio Arelatenſi Primati, utitur laudati Canonis verbis.
Sic enim epiſt. 76. editionis Queſnellianae. *Ad praecipuum*
Religionis noſtrae pertinet Sacramentum, ut in Feſtivitate Paſ-
chali nulla ſit toto Orbe diverſitas. Et quia hoc divina inſtitu-
tio & paterna traditio voluit ad noſtram ſolicitudinem pertinere,
Fraternitatem tuam ſolenniter admonemus, ut Paſcha Domini ce-
lebrandum nobis die X. *Kal. April. recognoſcas, quod manifeſta*
ratio patefacit Sacrae Obſervantiae hunc diem eſſe legitimum.
Cujus notitiam per dilectionem quoque tuam, Frater cariſſime,
omnibus volumus declarari, ut quorum in fide ſit una confeſſio,
ſit etiam in hac feſtivitate una devotio. Paſchales iſtiuſmodi
Epiſtolae occurrunt multae ab Athanaſio, Theophilo Ale-
xandrino, Cyrillo, aliiſque editae, in quibus Epiſcopus,
ac praeſertim Diaeceſeon Primas feſtivitatis diem, ſi-
mulque fidei profeſſionem dirigebat ad alios, qui mutuam
viciſſim ſalutationem profeſſionemque emittebant. Unde hoc
mutuarum epiſtolarum commercio unitas fidei, atque animo-
rum concordia ſervabatur. De fidei profeſſione Paſchalibus
hiſce epiſtolis inſerta, certiores nos reddit author imprimis
Praedeſtinati, qui haereſi 89. haec literis mandavit. *Con-*
ſuetudo eſt namque, ut unum Tractatum ſuum Epiſcopus Alexan-
drinus mittat ad CPlim, qui recitetur in Paſcha, & Tracta-
tum ſuum Conſtantinopolites, qui Alexandriae recitetur. In Tra-
ctatu ſuo Conſtantinopolites Neſtorius ſcripſit, Mariam non eſſe
Theotocon, ſed Chriſtotocon. Atque eo ex more Cyrillus occa-
ſionem ſumſit conſcribendae adverſus Neſtorium Encycli-
cae. Cum enim probè noſſet profeſſionem illam ad reliquos
etiam Epiſcopos ex recepta conſuetudine fuiſſe à Neſtorio
miſſam, ipſe eoſdem omnes Epiſcopos erroris commonitos
voluit. Idipſum ex Paſchalibus Theophili Epiſtolis liquet,
quarum occaſione univerſi Orbis Eccleſiis Origeniſtas, eo-
rumque errores denunciavit. Porrò, cum hae Paſchales Epi-
ſtolae fidei profeſſionem, atque expoſitionem continerent,

quae cum ſcribentis Epiſcopi, tùm ſubſcribentium circum-
quaque Epiſcoporum mutuo conſenſu, in communem unius
fidei, veraeque Confeſſionis teſſeram evadebat; hinc magno
excipiebantur aeſtimio, ac potiſſimam in fidei rebus autho-
ritatem obtinebant. Quod animadvertens Hieronymus ad- 375
verſus Origeniſtas depugnaturus, Paſchales Theophili En-
cyclicas Latio donavit, atque in libris adverſus Rufinum,
Origeniſtarum in Occidente Ducem, illarum ſaepius pon-
dus authoritatemque promovit. Imò etiam Leo Magnus in 440
Epiſtola Encyclica ad Leonem Imperatorem, inter alia,
prolixius, preſſiuſque teſtimonia laudat Paſchalium Ency-
clicarum Theophili. Sanè Origeniana placita per Theophili
Encyclicam ab Orbis Epiſcopis, atque imprimis ab Anaſtaſio
Pontifice probatam ſubſcriptamque, apud Catholicos omnes
manſiſſe proſcripta, certò diſcimus ex Theophili ipſius ſer-
mone ad Monachos quoſdam Origeniſtas, cujus fragmentum
reſervavit Juſtinianus in Tractatu contra Origenem ad Men- 541
am Conſtantinopolitanum, qui E. Tom. III. Concil. Hard.
Sunt haec Theophili verba. *Quare anathematizantes Ori-
genem, ceteroſque haereticos exemplo noſtro, & Anaſtaſii S. R.
E. Epiſcopi, qui ex veteribus certaminibus clarus, nobiliſ-
ſimi Populi Dux creatus eſt, quem & univerſa B. Occidentis
Epiſcoporum ſequitur Synodus, quae accepit, ac probavit Ale-
xandrinae Eccleſiae ſententiam in impium latam.* Poſt nobiliſ-
ſimum hoc Epiſcoporum Magiſterium tanta fuit ſuſcepti de-
creti perſuaſio, tantaque fides, ut ſiqui Haeretici ſemet pur-
gare vellent, unà cum aliis haereſes pariter Origenis diſtin-
ctè ejurare deberent. Hinc Pelagius à Patribus Africanis,
atque ab Innocentio I. damnatus, libellum fidei ad Inno-
centium tranſmittens, ejuratis Sabellii, Arii, & Apollina-
ris blaſphemiis, expreſsè Origenis errores de reſurrectione
carnis, de praeexiſtentia Animarum, alioſque anathemati-
zat. Libellum vulgavit ex MS. Cod. Vaticano Baronius Tom.
V. ad ann. 417.

§. II.

DE EPISTOLIS ENCYCLICIS, QUAE SALUTATORIAE DICTAE SUNT, ET FESTIVAE.

Synopſis.

I. *Acta purgationis Felicis Aptungitani.* II. *Quid Salutatoriae in illis memoratae.* III. *Haeſitarunt hactenus cum Baluzio Eruditi.* IV. *Earum Origo, ut animorum Concordia foveretur.* V. *Eòdem reſpiciebat mutuum Oſculum.* VI. *Salutatoriae eaedem ferè quae Paſchales.* VII. *Salutatoriae ſeu Paſchales Dionyſii Alexand. expenduntur.* VIII. *Salutatoriarum argumentum multiplex.* IX. *Quis illarum Scopus.* X. *Athanaſii, Cyrilli, & Theophili Paſchales expenſae.* XI. *Caſſiani de illis teſtimonium.* XII. *Cur ſub clavi poſitae, & inter Deificos Codices.* XIII. *Salutem decreta omnia vocabant Afri.* XIV. *Salutatoriae à Martyribus datae.* XV. *Ab Afris praeſertim uſurpatae, & laudatae.* XVI. *Quae potiſſimum Epiſtolae in Cathedra Epiſcopali fuerint aſſervatae.*

314 I. PRopoſitae Diſquiſitioni locum ea tribuunt, quae leguntur in actis purgationis Felicis Aptungitani, Caeciliani Carthaginenſis ordinatoris, quem Donatiſtarum factio per calumniam apud Conſtantinum Imperatorem traduxerat, ceu reum traditionis Deificorum Codicum, quo ſanè admiſſo crimine, depoſitione ſummo Canonum jure mulctatus, illicitam feciſſet ordinationem. Haec enim in actis
1650 apud Baluzium in Tom. 2. Miſcellan. pag. 83. occurrunt. *Sic Galatius nobiſcum perrexit ad locum, ubi orationes celebrare conſueti fuerant. Inde Cathedram tulimus, & Epiſtolas Salutatorias, & oſtia omnia combuſta ſunt ſecundum ſacrum praeceptum.* Conſtat hinc Epiſtolas Salutatorias in Eccleſia fuiſſe, atque intra Cathedram ſub clavi reconditas. Haſce Epiſtolas à libris Evangelii diſtinctas, qui ſuper Altare retinebantur, hic memorari, colligere pronum eſt ab aliis Actorum verbis. p.87. *Tolle clavem, & quos invenies in Cathedra libros, & ſuper lapide Codices, tolle illos.* Et mox: *Omnia tulimus ſecundum* pla-

placitum, & aduſſimus ſecundum ſacrum praeceptum. Ac tandem in ſententia, ſeù judicato, quo Proconſul Felicem abſolvit ab impoſito traditionis crimine, ſub finem adjungitur. *Felicem autem Religioſum Epiſcopum liberum eſſe ab exuſtione inſtrumentorum Deificorum, manifeſtum eſt, cum nemo in eum aliquid probare potuerit, quod religioſiſſimas ſcripturas tradiderit, vel exuſſerit.*

II. Inſtituti noſtri ratio diligentiorem horum omnium diſcuſſionem videtur poſtulare, atque imprimis, cujuſmodi eſſent Salutatoriae Epiſtolae, quarum pondus & aeſtimium vel inde colligitur, quòd in Cathedra Epiſcopali, ad Altaris vicinia poſita, cuſtodirentur, & ſub clavi quidem, atque religiosè. Illud inſuper diſcutiendum eſt, quomodo eaedem Epiſtolae inter Deifica inſtrumenta recenſeri potuerint, adeò ut Diocletianeo Edicto de ſacris incendendis Codicibus ſubderentur. Tertiò tandem juvabit inquirere, quomodo Epiſtolae hujuſmodi tanti ſint habitae, ut per earum traditionem, ſi reipsa facta à Felice fuiſſet, jure Canonum ab Epiſcopali dignitate depoſitus foret exiſtimandus.

III. Baluzius in notis ad laudata acta haec habet p. 418. *Epiſtolas Salutatorias.* & infra. *Epiſtolas Salutatorias de Baſilica protulerit. Difficile eſt explanare, quid hic intelligatur per Epiſtolas Salutatorias: neque enim mihi hactenus probatur, quod quidam ex hoc loco colligant, Epiſtolas Salutatorias eas eſſe, quibus quis alicui ſalutem impertit. Manifeſtum quippe eſt, heic agi de Codice quodam Venerando, quem Alfius Caecilianus Duumvir ex Baſilica Aptungitana ſuſtulit; haud dubiè ut ureret. Nam poſt Cathedram Epiſcopalem, & Epiſtolas Salutatorias ſublatas, etiam oſtia omnia combuſta ſunt ſecundum ſacrum praeceptum.* Difficilis quoque nobis viſa olim eſt ea dictio. Sed poſtquam huic operi manum admovimus, ſuſpicari coepimus, agi hoc loco de Encyclicis, & Tomo Encyclico, in quo Epiſtolae authenticae reſervabantur, praeſertim quae conſpirantem Eccleſiarum omnium in dogmatis conſenſionem teſtabantur, atque continebant. Quamobrem ob ingentem apud fideles, & Epiſcopos earum exiſtimationem, in cenſu quaſi Canonicorum Codicum, & velut Deifica Chriſtianorum inſtrumenta, ſunt habitae, earumque traditores Canonum

poe-

585 poenis mulctati. Eadem ſanè dictio apud Fortunatum occurrit lib. 5. Poëmat. 18. Sed & quotquot opus illud illuſtrarunt, lucem verbo attulere nullam, quòd hanc primitivae Eccleſiae diſciplinam minimè adverterint. Rem ergò, ut qua par eſt, accuratione perſequamur, nonnulla praeſupponenda ſunt, ex quibus conjectura noſtra ſolidior dignoſci queat.

IV. Unio, & animorum concordia, quam & Apoſtolis commendavit Redemtor, & ut ſervaretur, in ultima poſt coenam oratione (Johan. 17.) Patrem rogavit, ſemper in primitiva Eccleſia variis exculta mediis, atque promota fuit. Apoſtoli imprimis non indiligentem navarunt operam, ut illam inter fideles ingenerarent, & qua in Epiſtolis, qua in propoſitis ritibus ſervandam commendarunt. Quoniam verò abs Epiſcopis, utpotè Paſtoribus, atque exemplaribus, exordiendum fuit, ſicuti Paulus in univerſis ſuis Epiſtolis frequens eſt in ſalutationibus, ità Apoſtolici viri ſimiles hortatorias Epiſtolas ad Eccleſias conſcribentes, ſalutare de Clero ſingulos perſaepe conſueverunt. Ab his edoctae poſterioris aevi Eccleſiae, mutuarum Epiſtolarum uſum ſecutae ſunt, in quibus mutuae hae ſalutationes exhibentur. Invaluit ab eodem tempore conſuetudo, ut Epiſcopi in praecipuis ſolennitatibus mutuas darent, reciperentque Epiſtolas, in quibus ſe in una fidei profeſſione perſeverare oſtendebant; A praecipuo autem fine, quo ſalutem ſibi invicem adprecabantur, Salutatoriae videntur appellatae.

V. Conſalutatio equidem, & Confraternitas teſſera olim erat verae Eccleſiae, ut non ſemel in libro Praeſcript. do-
196 cet Tertullianus. Hujus praeſertim indicium erat, quod fideles ſe conſalutantes, Oſculo etiam, quod pacis dicebatur, plerumque obvios excipiebant: quemadmodum in Eccleſia, ante Euchariſtiae ſumtionem eodem ſigno probabant unius inter ſe vinculi, & Charitatis conjunctionem. Qua-
368 propter Optatus, inter alia Schiſmatici animi argumenta, illud Donatiſtis exprobat, quod Catholicis obvii pacis oſculum denegarent. Ità enim lib. 4. ſcribit. *Nec vos negare poteritis, qui contra nos ſcandala ponitis, dum aliqui veſtrum & non intellectas proferunt lectiones, & auferunt etiam illud, quod inter omnes homines ſolet eſſe commune, ſalutationis*

vi-

Digitized by Google

videlicet officium : nam & vos ipſi aliqui in perfunctoria ſalutatione oſcula ſolita denegatis.

VI. Quod à fidelibus paſſim factitatum erat, Epiſcopi, Populorum paſtores, per mutuas Epiſtolas longè perfectiùs praeſtitere, quae Paſchales, & Feſtivae apud Latinos, à Graecis verò Ἑορταστικαὶ Ἐπιστολαὶ ſunt nuncupatae. Earum autem conſcribendarum potiſſima fuit ratio, ut mutuis hiſce ſalutationibus, fideique inſertis profeſſionibus, auguſtiùs oſtenderetur Religionis unitas, & animorum Concordia; atque in jugi inſuper mutuarum Epiſtolarum commercio, luculentiſſimam verae Eccleſiae teſſeram haberent. Unde longo licet terrarum tractu diſſiti Epiſcopi, iſtiuſmodi tamen anniverſaria Epiſtolarum frequentatione, quam tuerentur fidem certiſſimè dignoſcebant. Illae ſiquidem, ut in ſolennioribus feſtivitatibus, ità vel maximè in Paſchate quaquâverſum mittebantur; à quo frequentiori uſu Salutatoriae dictae ſunt, & Paſchales. Perſeverantem ad ſua uſque tempora priſcum hunc morem commendat Avitus Viennenſis epiſt. 490
65., & antea Theodoritus in ſuis epiſtolis, ut Dionyſium, Athanaſium, Theophilum, & Cyrillum Alexandrinos Epiſcopos, nec non alios mittam, quorum exempla congeſſit Bucherius in Victorii Canonem paſchalem pagg. 72. 78. 82., & 469. Formatam à Primatibus recipientes Epiſcopi, qua de die Paſchatis commonebantur, & ſuſceptae Epiſtolae ſubſcribere, & ad eoſdem reſcribere tenebantur. Quod erui poſſe videtur ex can. 7.
Carth. V. Concil. *Placuit ut dies Venerabilis Paſchae Formatarum ſubſcriptione omnibus intimetur.* Ad Reges etiam in ſolen- 401
nioribus feſtivitatibus Salutatorias haſce ab Epiſcopis fuiſſe directas, docent formulae harum Epiſtolarum apud Marculphum n. 44. & ſeqq. 660

VII. Feſtalium, & Paſchalium Epiſtolarum cùm aeſtimium, tùm argumentum colligi ex eo etiam poteſt, quod quas Dionyſius Alexandrinus ſcripſit uno in codice ſuo aevo 254
conſervatas, Euſebius aſſeverat lib. 7. H. E. c. 20. *Prae-* 315
ter ſupradictas Epiſtolas, idem Dionyſius Paſchales illas, quas habemus Epiſtolas tunc temporis conſcripſit : Encomia in illis, & Panegyricos Sermones de Paſchali Feſto contexens. Harum unam Flavio nuncupavit, alteram Domitio, ac Didymo. In qua probans feſtum Paſchae diem non niſi poſt aequinoctium Vernum ce-

Digitized by Google

lebrari oportere, octo annorum Canonem publicavit. Aliam quoque Epiſtolam ad Compresbyteros Alexandrinae Eccleſiae, itemque alias ad diverſos ſcripſit Epiſtolas, eaſque graſſante adhuc perſecutionis furore. Has omnes Paſchales fuiſſe, planiſſimum fit, ſi quae ſeq. cap. ſubjungit Euſebius, accuratè expendantur. *Poſt haec*, ſcribit ille, *pace vix dum reſtituta, Alexandriam regreſſus eſt. Verùm cum ſeditio, bellumque rurſus illic exortum fuiſſet, adeò ut ipſe Univerſos ejus Urbis fratres, utpote in alterutram ſeditionis partem diſtractos, alloqui non poſſet; iterum ipſo Paſchae die ex Urbe Alexandria, tanquam extorris, eos per literas alloquitur. Sanè in altera Paſchali Epiſtola, quam paullo poſt ad Hieracem, unum ex Aegypti Epiſcopis exaravit, de ſeditione illa, quae tunc temporis Alexandriae commota eſt, mentionem fecit.* Pergit autem ſub finem capitis 22. poſt varia Paſchalium harum Epiſtolarum recitata fragmenta, in hunc modum. *Poſt hanc Epiſtolam, cum res in Urbe Alexandriae pacatae eſſent, ad Fratres per Aegyptum conſtitutos Paſchalem rurſus Epiſtolam Dionyſius ſcripſit, aliaſque poſt hanc deinceps exaravit. Exſtat etiam Epiſtola de Sabbato, & alia de Exercitatione. Praeterea ad Hermammonem, fratreſque in Aegypto degentes, Epiſtolam ſcribens, poſtquam de Imp. Decij & ſucceſſorum illius improbitate diſſeruit, pacis, quae viguit Principatu Galliëni, mentionem facit.* Tandem & Epiſtolae hujus allato fragmento cap. 23. concludit. *Deinde tempus ipſum quo haec ſcribebat, deſignat his verbis: Ac mihi rurſus Imperatoris noſtri annos contemplari ſubit. Video enim impiiſſimos illos, qui adeo celebres olim exſtiterunt, brevi poſtea obſcuriſſimos evaſiſſe: Religioſiſſimus vero, Deique amantiſſimus Imperator, ſeptennalem circulum jam emenſus, nonum Imperij annum degit, quo nos feſta celebraturi ſumus.* Ex his oppidò liquet, Epiſtolas omnes, quas in laudatis capp. recolit Euſebius, in uno eoque diſtincto codice comprehenſas, Salutatorias fuiſſe, & Heortaſticas.

VIII. Argumentum itaque Salutatoriarum iſtiuſmodi Epiſtolarum multiplex erat. Primum quidem & praecipuum ad ſovendam animorum, fideique unitatem, quam mutuis illis Epiſtolis atque ſalutationibus exprimebant. Id quod perſpici ex eo praeſertim poteſt, quod eas Epiſtolas non tantum ſubjacentibus Epiſcopis Primates darent, ſed proprio

etiam

etiam Clero, ut Dionyſii exempla commonſtrant. II. Praecipua Eccleſiaſticae Hiſtoriae capita eaedem recenſebant,
cujuſmodi erant Tyrannorum invaſiones, ſeditioneſque inde, & perſecutiones in Eccleſiam motae: quemadmodum
Alexandriae contigit, quum Aemilianus tyrannidem ibi arripuit. Qua de re Pollio in XXX. Tyrannis, & Eunomius 315
in Panegyrico ad Conſtantium, ubi de Galiëni temporibus 360
loquens, id memoriae prodidit, *tota Aegyptus, & Syriae defecerunt*. Agit etiam Dionyſius in ſua Paſchali de peſte per Aegyptum graſſante, deque Presbyteris, & Diaconis, quorum opera
adjuti plurimi, Chriſto per Baptiſmum, Regnoque coeleſti nomen dederunt, multi quoque in priſtinam valetudinem reſtituti ſunt: Quin etiam explicat, quo eſſent in cenſu, qui peſte laborantibus naviter inſervierant, apud Euſeb. l. 7. c. 22. *Et hoc quidem pacto optimi quidam ex Fratribus noſtris, quorum nonnulli Preſbyteri erant, ac Diaconi; & ex Populo laudatiſſimus quiſque mortem oppetierunt: adeo ut genus hoc mortis ob pietatem fideique conſtantiam néquaquam inferius Martyrio cenſeatur*. Non ſecus & Euſebius ex
Epiſtola Paſchali ad Hermammonem cap. 10. ejuſdem libri, 315
integrum reſervavit fragmentum de Valeriano Imperatore, deque excitata ab eo perſecutione, Macriano impellente, cujus ſceleſtiſſima acta recenſet ibi Dionyſius; illud inſuper annotans, quod ignominioſam apud Perſas ſervitutem Deo vindice ſit expertus. III. Morum quoque emendatio Feſtalium harum Epiſtolarum ſcopus fuit. Diſſidia enim & ſimultates, vel ipſos inter privatos exortas, Paſchali tempore appropinquante, literis hiſce componere allaborabant Epiſcopi. Conſuetudinis hujus nobile exemplum exſtat in actis Proconſularibus, in cauſſa Silvani Cirtenſis Epiſcopi factis,
apud Baluzium tom. 2. Miſcellan. Quum enim Silvanum 320
Epiſcopum inter, & Nundinarium Diaconum ſimultates graviſſimae intercederent, Paſchatis feſto inſtaute, Epiſcopi aliique Silvano ſcripſerunt, ad pacem inter utrumque ſarciendam. Conſule plurimas ibidem exſtantes Epiſtolas, & certò certius conſtabit, Feſtales haſce literas mutuo fuiſſe datas, ad contentiones ſimultateſque, vel ipſos inter Epiſcopos ortas, vel quae Epiſcopum, & Clerum, vel quae populos in contrarias partes diſtrahebant, ſopiendas.

IX. Præcipuus tamen Feſtalium ſcopus erat, fidei inco-

lumitati proſpicere. Dionyſii Paſchales, ex Euſebio l. 7. c. 20. complectebantur *Encomia*, *& panegyricos ſermones*. Panegyrici ſermones feſtivitatis dignitatem reſpiciebant, Encomia vero dilucidam fidei expoſitionem. Unde & à quibuſdam homiliae dicebantur. Equidem laborum enarratio, quos martyrio Dionyſius comparat, à Presbyteris & Diaconis tempore peſtis obitos, oſtendit, quae in Paſchalibus doctrina traderetur. Quamobrem & in aliis de Sabbato, deque Exercitatione diſſertationes addidit, quae ob dubia recèns enata videntur editae. Cumque inſuper hae non particularium Epiſcoporum cuipiam inſcriberentur, ſed cenſeantur Univerſis datae, colligendum nobis eſt, haſce Paſchales reipſa fuiſſe encyclicas, declarativas, & inſtructivas. Paſchales enim illas omnes, monente Euſebio in fine cap. 22., tùm ſcripſit, quùm res in Urbe Alexandriae *pacatae eſſent, ad Fratres per Aegyptum conſtitutos*. Eo proinde tempore, quo libera facultas erat inſtruendi, monendique.

X. Uberrima Paſchalium, poſtremique hujus argumenti
385 exempla, & documenta ſuggeruut Theophili itidem Ale-
xandrini Epiſcopi tres praecipue, inter alias, quae periere,
ab eo ſcriptas, Paſchales Epiſtolae. Has, quod ad Orige-
niſtarum retardandos impetus, per Rufinum in Occidente
375 excitos, idoneae eſſent, latio donavit Hieronymus, & in
ejuſdem Epiſtolarum Tomis leguntur. Alias à Theophilo
412 ſcriptas aſſerere haud dubitaverim, cum Cyrillus plures
326 quae exſtant dederit, & plures ante ipſum Athanaſius, cujus feſtales Epiſtolae, ob diuturnioris Epiſcopatus tempora multum perduxiſſent ad praeſens argumentum illuſtrandum, ſi pacificè Sedem obtinuiſſet. In exſtantibus porrò tribus Theophili Paſchalibus ea omnia, quae iſtiuſmodi Epiſtolarum generi materiam praebuiſſe dicebamus, deſcripta inveniuntur. Panegyricus de Solennitate praecedit ſermo: errores deinde Origeniſtarum recenſet, dilucideque convellit, ab illis recedere edocet, ac puram, quam proponit, fidei ſemitam amplecti ſuadet. Mox initium adamuſſim indicat, & finem Quadrageſimae: tandem ſalutationibus conſuetis Epiſtolam claudit, omneſque commonet de Epiſcopis recèns defunctis, aliiſque in illorum vicem ordinatis, ut Pacificas, & has mutuas Salutatorias recipientes, noſſent,

qui-

quibus reſcribendum, communicandumve effet. *Salutate invicem in oſculo Sancto: Salutant vos omnes, qui mecum ſunt, Fratres. Et hoc neceſſariò ſcribimus, ut ſciatis pro Sanctis, & Beatis Epiſcopis, qui in Domino dormierunt, ordinatos eſſe, in Lemnado pro Herone Naſeam; in Erythro, pro Sabatio, Paulum; in Omboes, pro Silvano Verrem. His ergo ſcribite, & ab iis accipite Pacificas juxta Eccleſiaſticum morem literas.* Vides hìc Paſchalium formam; quarum uſu Eccleſia fidei atque morum unitatem ſervare elaborabat, necnon Chriſtianam inter Epiſcopos animorum unionem, qui Pacificis ultrò citròque datis Epiſtolis, cum mutua ſalutatione, conſpirantem in unum profeſſionem dogmatum teſtabantur. Has Theophili Epiſtolas fuiſſe Encyclicas, atque Orbi univerſo directas, ſimulque per eas anathema in Origeniſtas dictum, in ſeqq. Differt. commonſtrabimus.

Quod exſtat Paſchalis Epiſtolae S. Athanaſii fragmentum, in qua Librorum Sacrorum Canonem exhibebat, confirmat etiam receptam conſuetudinem, ut in hiſce Epiſtolis dogmata fidei, eorumdemque profeſſiones adderentur, ſive ad illa confirmanda, ſive ad enatas haereſes ac novitates Epiſcopis Eccleſiiſque denunciandas. Nec minus id adſtruunt Cyrilli XXX. Paſchales homiliae, quae & ab aliis Epiſto- 412
lae nuncupantur. Propoſitas enim animadverſiones mirum in modum illuſtrare poſſunt, & confirmare.

XI. Porrò de Paſchalibus hiſce Epiſtolis commemoraſſe ſat erit, quae Caſſianus in libro 2. Collationum ediſſerit. 425
Intra Aegypti Regionem mos iſte antiqua traditione ſervatur, ut peracto Epiphaniarum die [*quam Provinciae illius Sacerdotes vel Dominici Baptiſmi, vel ſecundum carnem nativitatis eſſe definiunt, & iccirco utriuſque Sacramenti ſolemnitatem non bifariè, ut in Occiduis partibus, ſed ſub uno die hujus feſtivitatem celebrant.*] *Epiſtolae Pontificis Alexandrini per univerſas Aegypti Eccleſias dirigantur, quibus initium Quadrageſimae, & dies Paſchae, non ſolum per Civitates omnes, ſed etiam per univerſa Monaſteria deſignantur. Secundum hunc igitur, poſt dies admodum paucos, quam ſuperior cum Patre Iſaac agitata fuerat collatio, Theophili praedictae Urbis Epiſcopi ſolennes Epiſtolae commearunt, quibus cum denunciatione Paſchali, contra ineptam quoque Antropomorphitarum haereſim longa diſputatione*

diſſeruit, eamque copioſo ſermone deſtruxit.

XII. Notione itaque, argumento, uſu, atque aeſtimio Paſchalium harum Epiſtolarum expoſito, pronum erit colligere, qua de cauſſa Salutatoriae Epiſtolae ſub clavi dicantur fuiſſe in Cathedra Epiſcopali; quomodo inſuper Deificos inter Codices cenſerentur, atque edicto Diocletianeo ſuppoſitae referantur in laudatis Felicis Aptungitani purgationis actis. Etenim undenam Eccleſiarum in fide conſenſio, una profeſſio dogmatum, atque in erroribus rejiciendis unanimis Epiſcoporum ſententia illuſtrius eluceſceret, quam ex hiſce Encyclicis Epiſtolis, Paſchalibus, & Heortaſticis, in quibus Primatum & reliquorum Epiſcoporum ſubſcriptiones conſpiciebantur? Undenam Epiſcoporum quilibet ſuam cum Eccleſijs per Orbem terrarum diffuſis communionem certius aptiuſque probaret, quam ex Epiſtolis hiſce, quae non alio fine perſcribi conſuevere, niſi ut vinculum pacis ſervaretur, unde Pacificae ſunt appellatae, & jura hoſpitalitatis atque confraternitatis illibata ubique permanerent?

XIII. Sed quid in conquirenda appellationis notione detinemur, ſiquidem omnes has epiſtolas, fidelibus ad fidei diſciplinaeque conſtitutionem quaquaverſus datas, Salutatorias ex Africanorum phraſeologia dictas eſſe, exploratum eſt: quippe qui & ipſum ad univerſos emiſſum decretum quodvis, *Salutem* nuncupabant. Exſtant Saturnini, & Sociorum acta, qui paſſi ſunt ſub Anulino Proconſule, apud Baluzium ibid. Ii porrò, quum Diocletianea inſtaret perſecutio, quae in Sacros etiam Codices debacchabatur, martyrium ſubituri, ad fideles omnes Epiſtolam dederunt, in qua traditionis crimen damnabant. Decretum hocce *Salutem* vocant acta. Sic enim num. 18. p. 72 habent. *Interea Martyres Chriſti non carceris ſquallor, non viſcerum dolor, non denique ulla rerum penuria commovebat, ſed meritis jam Domino & confeſſione vicini, direxerunt in poſteros SALUTEM, qua communem Chriſtiani nominis progeniem ab omni recidiva communione Traditorum ſecernerent, tali ſub commrnione: Siquis Traditoribus communicaverit, nobiſcum partem in Regnis coeleſtibus non habebit, & hanc ſententiam ſuam Sancti Spiritus authoritate conſcriptam, tali comparatione firmabant: Scriptum eſt, inquiunt, in Apocalypſi: quicumque adjecerit ad librum iſtum*

apicem unum, aut literam unam, adjiciat illi Deus innumerabiles plagas, & quicumque deleverit, deleat partem ejus Dominus de libro vitae. Si ergo additus apex unus, aut litera una demta de libro ſancto radicitus amputat, & Sacrilegum facit, & ſubvertit authorem, neceſſe eſt omnes eos, qui Teſtamenta divina, legeſque Venerandas Omnipotentis Dei D. N J. C. profanis ignibus tradiderunt exurendas, aeternis ardoribus, atque inextinguibili igne torqueri: & ideo ut ſupra diximus, ſiquis Traditoribus communicaverit, nobiſcum partem in Regnis coeleſtibus non habebit. Addunt ſubinde acta poſt hujuſmodi dictum fidelibus monitum, omnes Traditorum, velut excommunicatorum, commercia vitaſſe. *Haec communicantes ſinguli ad paſſionis gloriam feſtinabant, ſupremâque teſtatione unuſquiſque Martyrum cruore proprio conſignabat. Exinde Eccleſia ſancta ſequitur Martyres, & deteſtatur exſecratae perfidiae Traditores.*

XIV. Equidem ab eo tempore factum reor, ut in Africa omnes à Martyribus Epiſtolas extorquerent, quibus fideles à Traditoribus ſecernerentur, ſeque Martyribus communicare oſtenderent. Quod quidem cum tempore incipientis Donatiani Schiſmatis turbas cieret, iccirco Africani Epiſcopi Patribus Arelatenſibus propoſuiſſe videntur mala, quae exinde oriebantur. Quamobrem & Patres canonem IX. ediderint, quo id cautum eſt. *De his qui Confeſſorum literas afferunt, placuit, ut ſublatis iis literis, accipiant communicatorias*, utique ab Epiſcopis dandas. Cum enim plerique omnes per Africam traditionis vitio vel laborarent, vel per Donatiſtarum calumniam dehoneſtarentur, atque imprimis Epiſcopi; quotquot à Martyribus acceperant Epiſtolas, temerè propriis Epiſcopis inſultabant. Id quod apertè ſupponit Canon; atque adeo priorem diſciplinam inſtaurans, nonniſi ab Epiſcopis communicatorias decernit ſuſcipiendas. Enimvero Epiſtolas illas eo à Martyribus fine, eaque mente fuiſſe editas, commonſtrant laudata Actorum verba. *Meritis jam Domino & Confeſſione vicini, direxerunt in poſteros SALUTEM, qua communem Chriſtiani nominis progeniem ab omni recidiva communione Traditorum ſecernerent.* Quanti autem hae Martyrum Epiſtolae eſſent aeſtimii, docet cùm fidelium uſus, qui illis, velut certa communionis teſſera, ute-

314

Digitized by Google

bantur; tùm Donatianorum, qui ſe Martyrum ſucceſſores,
communicatoreſque eſſe paſſim gloriabantur, ut qui emiſſa
adverſus Traditores Martyrum mandata ſequi ſe arbitraren-
tur: Unde & Catholicos, quos Caecilianiſtas vocabant, ceu
Traditores, exſecrabantur. Quod paſſim Catholicis objecta-
396 runt, ut ex pluribus Auguſtini locis liquidum eſt. Id ipſum
Arelatenſium Patrum Canon demonſtrat, qui ut abuſui oc-
currerent, quo intempeſtivam, minimeque regularem Com-
munionem plurimi per haſce Epiſtolas à Martyribus obti-
nebant, priſtinum ſervandae Communionis modum inſtau-
rarunt, proprio jure Epiſcopis reſtituto. Erat itaque in
Africa Salutatoriarum Epiſtolarum uſus & aeſtimium; erat
& communis uſurpatio vocabuli, ut Epiſtolas haſce, fideli-
bus Univerſis datas, in quibus praeſcribebatur quicpiam ad
publicum pertinens Eccleſiae bonum, SALUTEM nun-
cuparent.

196 XV. Addere lubet Tertullianum, qui de Hieroſolymi-
tanae Synodi, Act. 15., Epiſtola agens, ex qua eruere co-
natur Moechiae peccatum eſſe ex irremiſſibilibus unum,
ait: *Nos in Apoſtolis quoque Veteris Legis formam Salutamus,*
circa Moechiae, quanta ſit, demonſtrationem, ne fortè lenior exi-
ſtimetur in novitate diſciplinarum, quàm in vetuſtate, *quorum*
haec ſane eſt ſententia: Habemus in Epiſtola illa Hieroſolymi-
tani Concilii ad Eccleſias directa, Salutatoriam formam. Ex
quibus colligere in promtu eſt, Epiſtolas illas, quas Graeci
Heortaſticas, Latini Paſchales, ſeu Feſtales & Encyclicas
nuncupabant, quaeque ad Eccleſiae pacem, unitatem &
commoda pertinebant, apud Africanam Eccleſiam Saluta-
torias fuiſſe appellatas: pro Africanorum videlicet more,
qui peculiares notiones vocibus ſubjiciebant, vel voces etiam
pro arbitratu effingebant, ut perſpicere eſt in Apuleïo,
Tertulliano, Cypriano, aliiſque Scriptoribus Africae. Mi-
rum itaque non eſt, ſi Epiſtolae Salutatoriae unà cum Dei-
ficis inſtrumentis comburendae traderentur; ſi has in Ca-
thedra inventas Perſecutores exuſſerint, atque ad eaſdem
Diocletianeum mandatum extenſum ſit. Norant enim quan-
topere ad Religionem fovendam ſervandamque conducerent.

XVI. Si vero quis roget, quaenam potiſſimum Epiſtolae
fuerint aſſervatae, id à nobis reſponſum feret, omnes ſci-

licet

licet generatim Epiſtolas, quae ſuperioribus temporibus vel ad fidem, vel ad diſciplinam ſpectantes, emiſſae fuerant, quaſque in II. Diſsert. recenſebimus [quòd ob Epiſcoporum Paſtorumque conſenſum Eccleſiae Magiſterium in illis repraeſentaretur] in Epiſcopali Cathedra fuiſſe ſervatas; aſſervata etiam ſupra tabulam, ſive Altare Evangelia. Imo Epiſtolarum, Librorumque diſtincta erant loca pro diverſitate argumenti; quae omnia laudata edocent Acta. Enimvero Epiſcopos haſce Epiſtolas conſcripſiſſe, & diligenter religioſeque ſervaſſe, docet ipſe Cyprianus, qui, ut infra an- 248
notabimus, cum Encyclicas in cauſſa ſchiſmatis Novatianorum, atque in controverſia Lapſorum, & Libellaticorum Epiſtolas dediſſet, Clericum deputavit, qui ex authentico traderet exſcribendi copiam. Inter eas autem repoſitas & Conſalutatorias, praecipuoque ſtudio Feſtales arbitramur aſſervatas, ut ex illis oſtenderent totius Orbis in una communione ſocietatem. Non ſpernendum enim argumentum erat ex hiſce Salutatoriis, quas Optatus *Formatas* vocat, de- 368
ductum. Probaturus quippe Africanam Eccleſiam cum totius Orbis Eccleſiis in una Communione ſociari, id ex commercio Formatarum eruit, dum l. 2. Africanos aſſerit cum Petri Cathedra ſociatos eſſe per Siricium. *Hodie qui noſter eſt Socius, cum quo nobis totus Orbis commercio Formatarum in una communionis Societate concordat*. Vocaverat ob id Epiſcopos omnes *Pacificos*, quòd ope iſtiuſmodi Formatarum mutuae charitatis vinculum, fideique concordiam foverent. Eodem ſenſu Theophilus monet in ſua Paſchali Epiſcopos, 385
ſe ob id Catholicorum Epiſcoporum exprimere nomina, ut ſcirent quibus *pacificas Epiſtolas* dare deberent, & à quibus recipere. Sanctus quoque Auguſtinus adverſus eoſdem Schiſ- 396
maticos idem urget, regeritque argumentum, atque ut ſe ſe cum Eccleſia per Orbem diffuſa communicare oſtendat, aſſeverat ſe ab omnibus, ſi ad omnes pergeret, ope harum Epiſtolarum excipiendum, idemque Petiliano ſe conceſſurum promittit, ſi ad Catholicam venire ſtatueret unitatem.

§. III.

DE EPISTOLA DIACONICA.

Synopſis.

I. *Praeſtantia, & difficultas tractationis*. II. *Qui apud Gentes Aſiarchae*. III. *Qui Collegiarii pariter, & Scribae*. IV. *Apud Chriſtianos Diaconi, Archivorum cuſtodes*. V. *Locus Euſebii de Diaconicis Epiſtolis*. VI. *Valeſius notatus* VII. *Diaconica erat Diploma Curſori datum*. VIII. *Occaſio id probat, qua Dionyſius Diaconicam Hippolyto tradidit*. IX. *Probat Euſebianae narrationis ordo*. X. *Acta purgationis Felicis Aptungitani, & promotae per Ingentium Scribam fraudes expenduntur*. XI. *Ingentius Encyclieam Donatiſtarum cum falſata Felicis Epiſtola circumfert*. XII. *Habebat modum Curſoris, ſeu Diaconicam*. XIII. *Aproniani de illo verba*. XIV. *Quid inde Sectae accreverit*. XV. *Damnatur in actis Proconſularibus*. XVI. *Canon 13. Arelatenſis illuſtratur*. XVII. *Diaconicarum uſum promovet Baſilius M.* XVIII. *Et Theodoritus*. XIX. *Diaconi nomine praenotabantur*. XX. *Eccleſiarum & fidelium de Diaconis etiam extorribus praejudicium*.

I. SAlutatoriarum Epiſtolarum appellationem, & uſum, quave ratione Encyclicis accenſeri debeant, & quod earumdem fuerit aeſtimium, haſtenus exploravimus. Quae quidem diſquiſitio, quantum propoſito expendendo argumento contulerit, nemo eſt qui non videat. Occurrit modo Diaconicarum ſpecies, quae cum maximè ad propoſitum noſtrum conferunt, minimèque ſpernendam ſuſcepto argumento praeferunt lucem, tùm ab iis, qui de Eccleſiaſticis Epiſtolis ſermonem habuerunt, vel jejunè atque obiter attinguntur, vel omninò etiam à pleriſque praetermittuntur. Impellimur hinc ad nobiliſſimum hocce antiquitatis monumentum diſcutiendum, de ſolicita videlicet religioſaque primitivae Eccleſiae cura tàm in miniſtro deligendo, quàm in tradenda eidem teſſera, Eccleſiaſtici hujus obeundi miniſte-

niſterii, adhibita, ne fraus doluſve in Encyclicis hiſce ultrò citròque miſſitandis intercurreret.

Quod verò in rebus omnibus jam obſoletis, vetuſtatemque praeſeferentibus uſuvenit, ut monumentorum inopia difficillimae ſint tractationis, id nobis, ut in Salutatoriarum, ità in Diaconicarum Epiſtolarum notione, legitimoque uſu explorando contingit. Nomen quidem apud Scriptores deprehendimus, ſed nudum illud, & vulgaribus notionibus deſtitutum. Tametſi enim obvia eo tempore, quo illarum vigebat uſus, & pervia eſſet cognitio, cum nihilominus, ut aſſolet in rebus vulgari uſu receptis, peculiaris, & accurata enarratio à Scriptoribus omittatur, factum eſt, ut ultimam rei ideam tradere, cordatioribus viris viſum ſit difficillimum. Hinc quemadmodum ex receptis conſuetudinibus Salutatorias, earumdemque uſum conjectaneis illuſtrare conati ſumus, iiſdem quoque mediis ad veroſimiliorem Diaconicarum Epiſtolarum aſſequendam notionem eſt contendendum.

II. Rem ut ab ovo exordiamur, in primi Chriſtiani aevi, & ſequentium mores in publicis recenſendis, ſervandiſque Actis operae pretium erit inquirere, qui ſanè non modicam Diſſertationi noſtrae lucem foenerabunt. Scripſerat de ſacris Seculi ſui apud Ethnicos moribus in libro de ſpectaculis c. 11. Tertullianus. *Quid ergò mirum, ſi apparatus agonum Idololatria conſpurcat de Coronis profanis, de Sacerdotalibus Praeſidibus, de Collegiariis miniſtris, de ipſo poſtremò Boum ſanguine.* Erant itaque *Praeſides Sacerdotales*, erant & *Collegiarii Miniſtri*. In Aſia dicebantur ii Aſiarchae, qui Sacris omnibus praeerant, quales liberae omnes Aſiae civitates habebant. Hinc de Trallibus ſcribit Strabo. l. 14. *Civibus optimè frequentata eſt, ut ulla Aſiaticarum Urbium alia opulentis: & ſemper aliqui eorum ſunt principe in Provincia loco, quos Aſiarchas appellant.* De horum Aſiarcharum conventu, Epheſi habito, intelligendum eſt quod legitur Actorum 19. Sed de his non eſt hìc agendi locus. 196

III. Collegiarii erant Miniſtri, qui Aſiarchis, & Sacerdotalibus Praeſidibus ſervitio, officiiſque praeſto erant. Inter eos numerantur Γραμματεῖς qui apud Aſiarchas, eoſdemque Sacerdotales Praeſides magnae dignitatis erant, & authori-

tatis.

Digitized by Google

190 tatis. De iis Pollux. l. 8. c. 9. p. 916. *Scriba qui juxtà Prytaneam à Senatu ſorte eligitur., ad tabulas ſervandas & decreta. Secundus delectus ad Senatus leges. Sed qui propter aerarium eligitur Scriba, & populo, & Senatui praelegit.* Iis quibus praeerant Scribae, addebatur ἀντιγραφεὺς, ad quam vocem Gloſſa: *Dictator, Reſcriptor; praeſente Scriba publico, ſcribebant ambo ea, quae dicebantur.* Cujus perſeverantis apud Chriſtianos conſuetudinis veſtigium elucet in adducta §. I. Confeſſorum Epiſtola Clerica, in qua perſcribenda Martyres adhibuerunt Scribam Lucianum, duobus praeſentibus, Exorciſta, & Lectore, qui utique & teſtes, & Scriptores eſſe debuere, ut quaquaverſum Epiſtola dirigeretur.

ante Chr. 366 Publica ſcripta reſervantes Scribae, ſive Codices, ſive acta vel ad fidem faciendam, vel ad populum edocendum, hi dubio procul Lectores erant. Hinc Aeſchines contra Cteſiphontem quicpiam ex publicis actis comprobaturus apud eos, ad quos orationem dicebat, eorum recitationem Scribae imponit. *Sed ne vos ab inſtituto ſermone longius abducam, epigramma, quod in eos qui populum à Phyla reduxerunt, ſcriptum eſt, Scriba vobis recitabit.* Frequens inde apud Oratores formula illa occurrit, ut Scriba legat: quoties videlicet Scribis hiſce publicis, & Collegiariis miniſtris mandabant, ut decreta, Epiſtolas, aut publica quaevis acta perlegerent, ſive etiam leges, quas in rem ſuam contra adverſarios afferri volebant. Hac enim ratione majoris cenſebantur authoritatis, minimeque ſuſpecta. Quamobrem idem Aeſchines de falſa legatione: *Ut autem conſtet, me nihil falſi dixiſſe apud vos, capiat Scriba Decretum, & Collegarum teſtimonia recitet.* Scribae autem illa aſſervabant, ubi opus erat, depromebant, perlegebantque, & denuo in archivo, diligentiae ſuae concredito, recondebant.

Scribas etiam habuere Sacerdotales Praeſides, & Aſiarchae, quod erat maximae dignitatis miniſterium. Liquet id ex 19. Actorum capite. Cum enim tota Epheſina Civitas in Paulum commota eſſet, adveniens Aſiarcharum Scriba turbas ſua praeſentia ſedavit, ut ibi verſu 35. dicitur. Additur autem v. ultimo: *Et cum dixiſſet dimiſit Eccleſiam.* Graecum autem verbum ἀπέλυσε dimiſſionem cum authoritate ſignificat. Hinc in numiſmatibus ſaepius comparent inſcrip-

ta Scribarum nomina, quod non ſemel obſervatum deprehendes apud eruditiſſimum Morellium in Specimine pag. 235., apud Harduinum, Spanhemium alioſque. Apud Sponium quoque plures inter Graecas inſcriptiones exſtant, in quibus Scribarum occurrit mentio, qui publicorum Actorum cuſtodes eſſent, quique jurejurando ſeſe obſtringerent, tùm ad fidelem ſcriptorum, actorumque cuſtodiam, tùm ad eadem poſtulantibus pro neceſſitate exhibenda.

IV. Porro in qualibet Eccleſia Diaconi cuſtodes erant ſacri Archivi, actaque fidem publicam facientia, ſi proferenda eſſent, & ipſi proferebant, & recitabant. Id quod vel ex ſola Orientalium Conciliorum lectione unicuique ſit teſtatiſſimum. Hos Encyclicarum latores, Curſoreſque Dominicos fuiſſe, innumeris ex ſacra antiquitate depromtis teſtimoniis infra demonſtrabitur. Suo interim Diplomate munitos fuiſſe, ſive quum officium cuſtodiendorum Archivorum ſuſcipiebant, ſive quum Encyclicas ad Primates & alias Eccleſias deferebant, tollit omnem ambigendi locum Apoſtolica ſolicitudo, quae in conſtituendis Eccleſiis id cautè monuerat; 1. Corinth. c. 14. v. 40. *Omnia autem honeſtè, & ſecundum ordinem fiant.* Noſtri ergo penſi eſt, ut hanc ſuſcepti miniſterii teſſeram atque indicem, Diploma ſcilicet Diaconis, Dominiciſque Curſoribus conceſſum, exhibeamus. Hos autem peculiari delectu atque examine ad hoc obeundum munus aptatos fuiſſe, ac conſtitutos, ſupponimus ex infra dicendis. In praeſentiarum ſat erit circa praedictum obeundi muneris ſignum diſputare, & quàm ab aliis praeſtitum hactenus ſit, accuratius diſquirere.

V. Diu equidem cunctabundi (neque enim diffitemur). haeſimus animo circa modum probandi publicum, & authenticum iſtiuſmodi ſuſcepti miniſterii inſtrumentum. Tandem lux affulſit aliqua ex Euſebio, & laudatis purgationis Felicis Aptungitani Proconſularibus actis, ex quibus ſat, reor,
argumentum hocce queat illuſtrari. Et quidem Euſebius l. 6. 315
H. E. c. 46. Codicem alium Epiſtolarum laudans, earumdemque cenſum in volumine recluſarum texens, ait: Ἑξῆς ταύτῃ καὶ ἑτέρα τις ἐπιστολὴ, τοῖς ἐν Ῥώμῃ τοῦ Διονυσίου φέρεται Διακονικὴ διὰ Ἱππολύτου. Haec, ut Interpretes alios nihil moremur, vertit in hunc modum Valeſius: *Sequitur deinde altera ejuſdem Dionyſii Epi-*

ſtola ad Fratres Romae conſtitutos per Hippolytum miſſa de officio Diaconi. In notis autem ad vocem *Diaconicam* haec ſubjungit : Sic habent noſtri Codices , & Georgius Syncellus in Chronico. Rufinus vertit *de miniſteriis*, quaſi illa Epiſtola ſic inſcripta fuerit , eo quod de miniſtris Eccleſiae in ea tractaretur. Jacobus Goar, qui Georgium Syncellum in lucem edidit , notiſque illuſtravit , genus quoddam Epiſtolarum Eccleſiaſticarum eſſe putavit , quod Διακονικὴ diceretur, ſicut fuere Synodicae , Pacificae , Dimiſſoriae & ſimiles. Verum ego Rufino potius aſſentior qui , Epiſtolam Διακονικὴν dictam eſſe innuit , quod de officio Diaconi pertractaret. Haec Valeſius. Vide Goarum ibid. pag. 375.

VI. Pace tamen viri doctiſſimi , Goaro aſſentior , qui Diaconicae vocem Epiſtolarum ſpeciem quandam preſeferre merito augurabatur , tametſi quae illarum eſſet forma , quae occaſio , quodve argumentum , vel ignoraverit , vel dicere praetermiſerit. Valeſium quidem movit Rufiniana interpretatio , & verſio , quae habet , *de miniſterio Diaconi*; cuique innixus & ipſe vertit , *de officio Diaconi*. Perperam tamen , ut mea fert ſententia. Quemadmodum enim ex eo
251 quod Cornelius ab Euſebio dicatur communicatoriam miſiſſe ad Lapſos Carthagine degentes, male Valeſius colligeret , ſcripſiſſe Cornelium de officio & natura communi-
248 catoriae Epiſtolae : inſuper quum Cyprianus Epiſtolam Clericam laudat , inſulſe quis commentaretur, Epiſtolam ab eo laudari de officio Clerici ſcriptam : ità cum Dionyſium Hippolyto Diacono Epiſtolam Diaconicam dediſſe ad fratres Romae conſtitutos , apud Euſebium memoratur , id minimè intelligendum eſt de Epiſtola , Diaconorum officia expendente , ſed cujuſmodi ſit Diaconica illa , Hippolyto Diacono data , ulterius remanet diſquirendum.

VII. Diaconicam itaque Epiſtolam in altero Dionyſii Epiſtolarum Codice exſtantem , fuiſſe ſuſpicor Diploma quoddam , quo univerſis innoteſcebat , illud proferentem eſſe Dominicum Curſorem , cuius erat Encyclicas epiſtolas quaquaverſum deferre, Eccleſiis intimare , iiſdemq; exemplar propria ſubſcriptione munitum relinquere. Erat autem neceſſarium Diploma iſtiuſmodi , tùm ut pro dignitate officium in deferenda Epiſcopis, Eccleſiiſque Encyclica Diaconus exe-

que-

queretur, tùm ut fraudi cuilibet, & impoſturae obviam irent. Enimvero ſi Epiſcopi, ſi Clerici, ſi fidelium itinerantium quilibet, ut aliorum ubique hoſpitalitate fruerentur, Formatam, aut Pacificam, aut Communicatoriam habere obſtringebantur; jure potiori Eccleſiaſticus Curſor Epiſtola quadam muniendus erat, cum maximi momenti relationes, & publica mandata deſerret, in quibus priſcis illis temporibùs vinculum fidei & unitatis perſiſtebat. Nec exigua ſane authoritate indigebat Diaconus, Dominici curſoris functurus officio: quippe praeter Encyclicas, Eccleſiis ſingulis relinquendas una cum ſubſcriptione, qua ſe ex authentico exemplaria dediſſe teſtabatur, plurima nonnunquam oretenus ſibi contradita, nec chartis committenda, habebat, quae ut renunciata fidem facerent Eccleſiis, atque Epiſcopis, certiſſimum exigebant de Curſoris fide atque integritate teſtimonium. Quînam autem opportunius, certiuſque id poterat innoteſcere, niſi ex Epiſtola de eo Diaconis data, quaeque ab officio merito Diaconica ab Euſebio ſit nuncupata? Germanum hunc eſſe vocis Diaconicae ſenſum, nemo, ut opinor, inficias ibit, qui locum Euſebii controverſum paullò attentius cum iis, quae praecedunt, & ſubſequuntur contulerit.

VIII. Dederat Dionyſius Hippolyto Diacono plurimas 254
Epiſtolas cùm aliò, tum maxime Romam deferendas, *ad Cornelium*, *ad Confeſſores* nonnullos in Schiſma Novatiani prolapſos, inſuper *ad integram Romae conſiſtentem Fraternitatem*, atque ad alios. Earum argumentum eſt de poenitentia, deque Novatiani Schiſmate. Omnes erant Encyclicae, eaque de cauſſa datae & occaſione, quòd Cornelius Romanus Pontifex ſuam dediſſet Encyclicam, cujus exemplar ad Fabium Antiochenum refert Euſebius ibi cap. 43., ut commoneret omnes, cùm de Novatiani Schiſmate, tùm de illorum adverſus Poenitentes deliriis. In iis, praeter expoſitam ſententiam adverſus Schiſma recèns exortum, explicitoque dogmate de peccatis univerſis per Eccleſiae poteſtatem condonandis, quod à Novatianis pernegatum eſt, pariter renunciant denatum eſſe Fabium Antiochenum, ejuſque loco ſuffectum Demetrianum, nec non etiam Alexandrum Hieroſolymitanum beato exitu in carcere defunctum; quae

om-

385 omnia, ut ex Theophili Paſchali conſtat, Encyclicarum criteria erant, & characteres. Hae quidem deferendae erant tradendaeque pluribus Romae exiſtentibus, Schiſmaticis, Libellaticis, Lapſis atque aliis, qui occaſione Schiſmatis in varias partes abierant. In ea tamen turbulentiſſimi temporis circumſtantia zelus Legati & induſtria exoptabatur, qui diſſitis diſtractiſque partibus Dionyſii nomine, doctrina ac ſanctitate celeberrimi, monita exhiberet, ſenſa Aegyptiacae totius Eccleſiae referaret, omneſque nervos intenderet ad evocandos à Schiſmate viros, de univerſa ceteroquin Eccleſia optimè meritos, ut erant Confeſſores, quorum plurimi in Schiſmate & controverſia Lapſorum Novatiano adhaerebant. Quid mirum igitur ſi Dionyſius, ratus tot negotiis ſatisfieri minime poſſe nuda directarum Epiſtolarum recitatione, Hippolyto, per Epiſtolam Diaconicam, poteſtatem fecerit, quaecumque ad id pertinerent agendi, atque ut tutius ageret, in Diaconica id ipſum expreſſerit? Similes
440 alias Diaconicas variis à Leone Pontifice datas, quoties audiendum quempiam direxit, perſpicere eſt in ejuſdem Epiſtolis. Ex his conſtat fuiſſe quoddam Epiſtolarum genus, quibus univerſis innoteſcebat cùm legati officium, tum authoritas in dijudicandis controverſiis nomine mittentis. Quamobrem ea turbarum, in Eccleſia Romana exortarum, occaſione meritò Dionyſius Diaconicam Hippolyto conſignaſſe credetur, qua & exemplaribus Encyclicarum, quae Eccleſiae Romanae, & diſſociatis Fratribus tradendae ab illo erant, ſua conſtaret fides, atque illius in agendo authoritas eſſet explorata.

IX. Evincit ordo ipſe, Epiſtolam Hippolyto datam eſſe Diaconicam, ſeu Diploma quoddam tum de Dominici curſoris munere & officio, tum de ejuſdem authoritate, atque in agendo, proponendoque fide, cui proinde crederent omnes, ſiquae occurrerent terminanda, in reſponſivis Encyclicis non ſatis explanata. Etenim Epiſtolarum Catalogus, quarum ibi feriem texit Euſebius, Codicem unum Encyclicum implebat, in quo Dionyſianae omnes reſervabantur Encyclicae de controverſiis tunc enatis circa Novatianum Schiſma, peccata Lapſis remittenda, ac Libellaticos. Has verò per Clericum, aut fere ſemper per Diaconum dirigi

opor-

oportebat. Euſebius oſtenſurus quis fuerit harum omnium Encyclicarum Dominicus curſor & lator, Hippolytum Diaconum, habentem Diaconicam, aut ſuſcepti muneris quoddam Diploma, recolit, atque hanc Diaconicam in medio fere Catalogi collocat, ipſomet ordine haud dubie deſignans, eatenus Hippolyto datam, quatenus fidem faceret, omnes genuinas eſſe atque germanas. Congruit conſuetudo haec diligentiae & induſtriae, quae priſca illa aetate in tradendis Encyclicis adhiberi conſueverat, laudato apud omnes latore Diacono, ejuſque in agendo commendata fidelitate. 248
Unde dixerat Cyprianus ſupra laudatus, perquam grave eſſe, ſi Epiſtolae Clericae veritas mendacio aliquo aut fraude corrupta incederet. Vix ergo ambigendum eſt, controverſam Epiſtolam Diaconicam, Hippolyto datam, hujuſmodi fuiſſe, qua univerſis, quibus dabantur Encyclicae [variae enim erant perſonae, ad quas Dionyſius Epiſtolas direxerat, diverſi inſtituti, ingenii, & affectùs] certò innoteſceret officium, fidelitas, & Diaconi in agendo authoritas.

X. Sed non his ſolum momentis conjectura noſtra circa intelligentiam Euſebiani loci innititur; verum etiam ex laudatis Proconſularibus actis purgationis Felicis Aptungitani ea depromuntur argumenta ad confirmandam hanc de 314
Diaconico diplomate conſuetudinem, quae adinſtar demonſtrationis eſſe queant. Quoniam vero implexa ſunt acta, iiſdem diligenter inſpectis, narratio primum enucleanda eſt, foenerandaeque hinc conjecturae pro aſſertione noſtra confirmanda de diplomate, aliave teſſera Diaconis contradita, ut munere ſuo tutius fungerentur.

Omnis Donatiani Schiſmatis machinatio, per Botrum, & Coeleſium, Caeciliani Chartaginenſis Primatis competitores acta in Lucillae factioſiſſimae foeminae domo, cui ſuffragabantur Numidiae aliarumque regionum LXX. Epiſcopi, nec non Seniores aliquot Carthaginenſis Eccleſiae; in id intendebatur, ut probarent Caecilianum illegitimè ad Epiſcopatum fuiſſe promotum. Multis quidem de cauſſis factam ordinationem criminabantur, ſeu potius calumniabantur; ſed ex eo potiſſimum, quòd Caecilianus ordinem Epiſcopatus per conſecrationem accepiſſet à Felice Aptungitano Epiſcopo; quem reum traditionis Sacrorum Codicum

autu-

autumabant : quod equidem ob crimen jure Canonum , &
Martyrum denunciatione , poena depoſitionis atque excom-
municationis obſtrictus detinebatur. Id ut probarent , In-
gentium Scribam magna pecuniarum vi corruperunt , qua-
tenus ſuam in ea effingenda calumnia operam locare non
abnueret. Scribae enim , ut vidimus, cum geſtorum cuſto-
des atque vindices eſſent , à quibus proinde expoſcenda erant
acta , ut ex publicis Archivis extracta , indubiam obtinerent
fidem , Scribae inquam erant ſeligendi. Quamobrem Do-
natianae factionis aſſeclae aptiſſimum judicarunt ad conflan-
dam calumniam , Ingentium , munere publici Scribae fun-
ctum apud Alfium Caecilianum , Magiſtratum in Diocle-
tianea perſecutione gerentem. In actis Proconſularibus Epi-
ſtola extabat Galatii , apud tribunal teſtantis , in Cathedra,
& Eccleſia Felicis Aptungitani Epiſcopi Epiſtolas eſſe Sa-
lutatorias , & Deificos Codices. Hanc Epiſtolam leviter in-
terpolatam peridoneam arbitratus eſt ad conflandam calum-
niam Ingentius , Lucillae aliorumque Schiſmatis ducum pe-
cunia corruptus. Id enim Epiſtolae eſt ſuperadditum , Fe-
licem nempe Epiſcopum Galatio ſcripſiſſe , ut traderet Ma-
giſtratui Salutatorias Epiſtolas , & Deificos codices. Unde
traditionis crimen Epiſcopo Felici impoſitum certò conſtabat.

XI. Epiſtolam , ejuſmodi fraude corruptam , ſe ab Aë-
tio accepiſſe commentus eſt Ingentius Scriba (Aëtium illum
reor fuiſſe , qui officio publicorum Archivorum cuſtodis apud
Magiſtratum fungebatur , Ingentium autem unum è ſubor-
dinatis publicis exceptoribus) eandemque Lucillae , Dona-
tique aſſeclis tradidit. Hanc peropportunam exiſtimarunt,
313 ut anteaquam Romana ſub Melchiade Synodus celebrata,
definitivam Caecilianum inter & Majorinum ſententiam pro-
ferret , nova hac fraude omnium Provinciarum Africae ani-
mos praemunirent , injuſtamque Synodi ejuſdem ſenten-
tiam autumarent. Itaque Encyclicam ediderunt , in qua
Caeciliani ordinatorem traditionis reum per calumniam diſ-
famantes , interpolatae per Ingentium Epiſtolae exempla-
ria addiderunt ; unde certo conſtare videbatur , à Felice
Epiſcopo , nemine compellente , ad Magiſtratum miſſum
fuiſſe Galatium , ut Deifica traderet inſtrumenta : utque
fraus ex voto tutius cederet , Ingentium ipſum direxerunt,

eidemque *Formam Curſoris* conſignarunt una cum commentitia iſtiuſmodi Epiſtola, per Africam ultro citroque deferenda.

Ingentius itaque, à LXX. hauddubie Epiſcopis partis Majorini accepta Encyclica denunciativa criminis Felicis Epiſcopi, atque inſuper Dominici curſoris forma, nec non interpolata ab ipſo praedicta epiſtola, ſumma celeritate Numidiam, & Mauritaniam pervagatus, populos omnes commovit. Quem infauſtum exitum portendebant cùm publicus ipſe directus Scriba, & quidem ab Epiſcopis, quorum an improba eſſet factio, ſub judice ſis adhuc erat; tùm Epiſcoporum Encyclica denunciativa, cujus è publicis proconſularibus actis erutae argumentum indubium proferebatur. Equidem nihil effingi, excogitarive poterat expeditius, atque fraudulentius ad factiones ſeditioneſque ciëndas, quàm Scribam publicum ejuſdem tribunalis ſeligere, & hunc ab Epiſcopis delectum, qui, ceu dominicus curſor, Encyclicam Epiſcoporum, atque authenticum Felicis exemplar deferret Eccleſiis, idemque voce etiam teſtaretur, vera eſſe quae denunciabantur tum in Encyclica, tum in Epiſtola ab ipſomet ex publicis Actis proconſularibus extracta. Sed de his prolixius, ſubtiliuſque ex actis ipſis in II. Diſſert. diſquiremus.

XII. Illud modo videndum eſt, an ex iſtiuſmodi Actorum narratione deduci queat, Curſores dominicos, Encyclicas haſce deferentes, ad fidem faciendam, diplomate aliquo fuiſſe communitos, quo omnibus innoteſceret, ab illis publica Eccleſiarum edicta deferri. Id quod abundè liquet, ſi verba Aproniani perpendamus, qui advocatum Catholicae Eccleſiae adverſus confictas in Felicem Epiſcopum calumnias gerebat. Cum enim lecta eſſet Epiſtola per Ingentium adulterata, idemque miris thecnis refugeret veritatem fateri, fraudem in hunc modum referat Apronianus: *Semper ſic factum, per terrorem, per ſcenam, per irreligioſam mentem actum eſt ab his, qui Catholicae Eccleſiae conſentire noluerunt. Nam Paulino hic adminiſtrante vices Praefectorum, ſubornatus eſt quidam privatus homo, qui MODUM CURSORIS haberet, qui ad Catholicae unitatem veniret, atque eos induceret & terreret. Detecta itaque factio eſt. Nam componebatur*

Felici religioſiſſimo Epiſcopo per mendacium, ut videretur ſcripturas prodidiſſe, & exuſiſſe; Ingentius quidem, cum hoc totum quidquid agebat, obeſſet ſanctitati, & religioni Caeciliani, ſubornatus eſt, ut veniret cum literis Felicis Epiſcopi ad Caecilianum Duumvirum, ut ei confingeret à Felice ſe eſſe mandatum.

XIII. In prioribus Aproniani verbis familiaris cùm eo, tum omni tempore Haereticorum ars, & impoſtura notatur, qui probe animadvertentes, quanto eſſent in pretio apud fideles publicae Epiſcoporum Epiſtolae, his corruptis, interpolatis, atque falſatis, Catholicae veritati fucum facere haud verebantur: quod de ſuiſmet Epiſtolis factum con-
254 queritur Dionyſius Alexandrinus, ut ſuo loco ex Euſebio confirmabitur. Pergit II. Apronianus, delectum affirmans ad ſcenam, ſive potius tragoediam conficiendam publicum Scribam, cui concredita exſcribendorum ſaltem authenticorum actorum facultas fuit, ut falſatio majorem inveniret fidem. Addit III., ut improbus ſceleris artifex propriâ conteſtatione & perjurio calumniam confirmaret, collatum ei fuiſſe publici Curſoris munus, quatenùs à ſe corruptas publicas tabulas hùc & illùc ad Africanas Eccleſias & Epiſcopos deferens, qui in unitate catholica adhuc perſeverabant, omnes adverſus Caecilianum excitaret, omniumque ſibi conciliaret fidem. Vero non eſt abſimile, Ingentium à LXX. Epiſcopis, qui contra Caecilianum dixerant Majorinum Carthaginenſem Primatem, diploma officii curſoris exercendi accepiſſe. Quî enim homo privatae authoritatis corruptam affictamque Felici Epiſtolam, ceu indubiam, incorruptam, atque ex Archivo Proconſulari exſcriptam, Epiſcopis, Eccleſiis, & Africanis populis denunciare potuiſſet, atque illegitimam Caeciliani ordinationem intimare; niſi ſubſcriptum à cognito aliquo in Eccleſiis tribunali diploma protuliſſet? Imo cum aſſeveret Apronianus ex *modo Curſoris* miſſi detectam fuiſſe factionem, ſat luculenter colligitur, calumniam à Maiorino & Aſſeclis profluxiſſe, qui primi Duces evaſerant Donatianae tragoediae, quam in primo LXX. Epiſcoporum Concilio actitare coeperant, ut, velut illegitimam Caeciliani ordinationem, à traditore Felice Epiſcopo factam, exſufflarent, & Majorini conſecrationem ritè

pe-

peractam populis Africanis oſtenderent. IV. tandem, ubi aſſerit Ingentium, una cum falſata Epiſtola, Encyclicam deferentem, *modum Curſoris* habuiſſe, vox *modi* eandem ſententiam exprimit, ipſo in notis obſervante Baluzio, ac *forma*, ſeu ſymbola, quae curſoris authoritatem & officium manifeſtaret. Id autem aliud non eſſe exiſtimarim, niſi formam è Diaconica Epiſtola exſcriptam, quam ſupra Diaconis Encyclicas ad Eccleſias ferentibus traditam probavimus, quamque conſignarunt Ingentio, qui primarius fraudis artifex, duo munera repraeſentaret, & Scribae publici, de Epiſtolae è publicis actis exſcriptione teſtantis, & dominici curſoris, delecti, recogniti, ac per diploma ad Diaconicae inſtar per Epiſcopos mandantes probati, ut propoſitum facilius ab Eccleſiis exciperetur, atque omnia abſolverentur ſecurius.

XIV. Id omne ex fraudulento Donatianae factionis voto contigit. Illico enim potior Africanarum Provinciarum pars Majorino adhaeſit, novoque iſtiuſmodi ſubſidio minime dubitarunt Donatiſtae, & Romanae ſub Melchiade ſynodi judicium ſpernere, & novam abs Imperatore Conſtantino ſententiam efflagitare, ducto ex hac falſata Epiſtola fundamento. Quoniam vero falſitatem certò norant Catholici, petebantque, ut Proconſularia acta, in quibus controverſa Epiſtola ſervabatur, una cum Ingentio examinarentur, continuò Conſtantinus Aeliano Proconſuli per ſpeciale mandatum juſſit, *Ut remotis neceſſitatibus publicis, de vita Felicis Aptungitani publicè quaereretur.* Quod immediate poſt Romanam Synodum, & ante Arelatenſis Concilii celebrationem factum eſt. Id quidem neceſſarium erat, quum iſtiuſmodi fraudis ope Schiſmaticorum multitudo, ſeditionesque excitarentur per Urbes in dies, & creſcerent. Equidem ſi Ingentii fraus, eique tradita curſoris Forma penitus non intelligatur, vix ac ne vix quidem ſe quiſque exſtricabit in agnoſcenda tum cauſſa tot judiciorum intra duos illos annos 313. & 314. habitorum, tùm in aſſequendo, qua demum ratione tantopere, tamque repentè creverit Shiſmatica Donatiana factio. Econtra ſi Epiſtolae corruptae fraudem cognitam habeamus, ſi Encyclicam à Majorino & factioſis Epiſcopis enucleatam, publicique curſoris opera, cum diplomate electi, miſſam ſupponamus, rerum expeditam nan-

313

ciſcimur feriem, & propagati Schiſmatis occaſionem ſolidè luculenterque inveſtigamus.

XV. Jam vero quum Epiſtolae per Ingentium depravatio, eidemque doloſè traditus curſoris modus ex prolatis in judicio actis innotuiſſet, ſubjungunt Proconſularia acta. *Aelianus Proconſul dixit : Conſtantinus Maximus, ſemper Auguſtus, & Licinius Caeſares, ita pietatem Chriſtianis exhibere dignantur, ut diſciplinam corrumpi nolint, ſed potius obſervari Religionem iſtam, & coli velint.* Quibus verbis Judiciali ſententia probatam retectamque fraudem aſſeruit. Judicium hoc, ut audivit Apronianus, voluit, executionem demandati Curſoris muneris probari, quod, impellentibus Majorino & Schiſmaticis Epiſcopis, ſuſceperat Ingentius, atque in hunc modum Proconſulem interpellat: *Dignare de eo quaerere, qua authoritate, quo dolo, qua inſania circuïverit Mauritanias omnes, Numidias etiam; qua ratione ſeditionem commoverit Catholicae Eccleſiae.* Et mox urgentius inſtat: *Qua de re igitur de Ingentio quaerendum eſt, quatenus haec machinata ſint & fabricata, & quatenus voluerit circumſcribere Magiſtrum ad mendacium, ut Felicem aſpergeret infamia: dicat à quo miſſus ſit: utrum tamen machinationem iſtam in conſcientiam Felicis, quò Caeciliani pudori & initio derogaret. Eſt enim quidam, qui per Mauritaniam & Numidiam miſſus ſit ex diverſa parte.* Apronianus ergo *authoritatem* quaerit ab Ingentio, ſeu Diploma, quo revera munitus circumïerit per Africanas Provincias. Quae ſupponunt, tunc Curſores ab Eccleſia ad ferendas Encyclicas miſſos, eâ authoritate munitos circuïviſſe. Inſuper cum addat, legatum aliquem per Provincias reliquiſſe *diverſae partis* Encyclicas, uſum innuit tunc receptum, de quo poſtea dicendum, ut Curſor apud quamlibet Eccleſiam Encyclicae exemplar à ſe ſubſcriptum relinqueret: quibus equidem exemplaribus apud omnes diffamatis Apronianus accuſationem promovit. Reponente autem Ingentio, ſe Mauritaniam vere peragraſſe, Numidiam verò ne per ſomnium quidem vidiſſe, continuò excepit Apronianus. *In hoc mentitur, Domine; nam ad Mauritaniae ſitum non niſi per Numidias pergitur, quatenus dicit ſe in Mauritania fuiſſe, & non fuiſſe in Numidia.* Quod cum ſatis probatum eſſet, ſententia in Ingentium prolata eſt, de qua & in Actis, & apud

Digitized by Google

Optatum, ut commodiore loco videbimus.

XVI. Lux inde affulget Arelatenſi XIII. Canoni, quem ediderunt Patres, ut artibus hiſce ac fraudibus Donatiſtarum occurrerent, cujuſque germana intelligentia nuſquam deprehendetur, niſi occaſionem Canonis ex laudatis Actis purgationis Felicis Aptungitani mutuemus. Aïunt enim Patres. *De his, qui Scripturas Sanctas tradidiſſe dicuntur, vel vaſa Dominica, vel nomina Fratrum ſuorum, placuit nobis, ut quicumque eorum ex actis publicis fuerit detectus, non verbis nudis, ab ordine Cleri amoveatur. Nam ſi iidem aliquos ordinaſſe fuerint deprehenſi, & de his quos ordinaverunt ratio ſubſiſtit, non illis obſit ordinatio.* (vel ut antiqua lectio habet: *non tamen illis ſubſiſtat ordinatio.*) *Et quoniam multi ſunt, qui contra Eccleſiaſticam regulam pugnare videntur, & per teſtes redemtos putant ſe ad accuſationem admitti debere, omnino non admittantur, niſi, ut ſupradiximus, actis publicis docuerint, omni ſe ſuſpicione carere.* Quis autem non videat Patres praeſenti Canone Ingentium, factionemque Donatianam ſugillare, quae nudis verbis per Ingentium, ad modum Curſoris miſſum, in Felicem Caeciliani Ordinatorem traditionis calumniam conflaverat? Fuit itaque haec calumnia in Ordinatorem & ordinatum eo tempore conflata, quo Caecilianus & Felix nudo traducebantur teſtimonio, non autem ex publicis actis legitimè productis. Quum vero tot turbas ac ſeditiones excitaſſet Ingentius, partique Donatianae vires auxiſſet, jure merito Concilium, ne fraus in innocentes impune graſſaretur, modum ſtatuit circa judicium in eos deinceps exercendum, quos alii traditionis reos accuſarent. Gravitatem criminis, ab Ingentio Sociiſque perpetrati, expreſſius Canon. XIV. aperit, in quo: *De his qui falſo accuſant fratres ſuos, placuit eos uſque ad exitum non communicare.* Gravitas poenae falſis illis accuſatoribus poſitae, cujuſmodi eſt excommunicatio uſque ad mortem, ſatis evincit, eam de qua hactenus diximus, fraudem à Donatiana factione fuiſſe promotam. Unde & ſuſcepti argumenti veritas illuſtrata manet, de Diplomate, ſeu Epiſtola Curſori Eccleſiaſtico data, quam prioribus ſeculis Diaconicam Patres indigetarunt. 314

XVII. Quum vero anxii hactenus ac dubitabundi diſſeruimus, ad noſtrae animadverſionis, factaeque interpreta-

370 tionis coronidem occurrit Epiſtola 52. S. Baſilii ad S. Atha-
naſium conſcripta. Agit in ea de dirigendis ad Occidenta-
les Epiſtolis, ut formulae perfidiae Ariminenſis ſubſcriptio-
nem antiquarent. Baſilio, Meletio, aliiſque Epiſcopis prae-
ſto aderat Dorotheus Diaconus, & Dominicus Curſor ad
Epiſtolas ferendas pro controverſiis, quae Orientem poſt
Ariminenſe conciliabulum turbulentiſſimis procellis agita-
bant. Eum & à Meletio juxta regulas delectum, & à ſe
jure probatum, commendat Baſilius, ita tamen, ut Epiſto-
lam ei Diaconicam tribuat, qua injunctum valeat exequi
miniſterium. Sed ipſum loquentem audiamus Baſilium. *Hac
de cauſſa & Fratrem noſtrum Dorotheum, ejus Eccleſiae, quae
ſub colendiſſimo Epiſcopo Meletio eſt, Diaconum, bono circa re-
ctam fidem zelo uſum, cupientemque & ipſum Eccleſiarum vi-
dere pacem, ad pietatem tuam remiſi, ut conſiliis tuis obſequen-
tem (quae in illo & tempore, & rerum experientia, & quod
Spiritu conſilii reliquos excellis, certiora reddere potes) ita re-
bus agendis, ac proſequendis admoveas: quem & abſque dubio
ſuſcipies, oculiſque pacificis aſpicies, confortans ipſum precum
tuarum auxilio, & literis ad iter hoc inſtructum, imo & quibuſ-
dam illic tuorum ſtudioſis adjunctum ad propoſitum duces*. Re-
quirebatur itaque Diaconica Epiſtola, qua ad iter inſtructus,
demandatum ſibi Curſoris officium probaret. Quae quidem
potiori ratione exigebatur in Dorotheo, quia Diaconus erat
& Curſor Antiochenus. Deputandus inſuper ad novam om-
nium legationem, *Conſultore Athanaſio, & rerum gerendarum
Duce & Principe*, ut loquitur ibi Baſilius, novam Diaconi-
cam habere debuit. Licet autem una cum Dorotheo Ale-
xandrini Presbyteri mitterentur, qui petitioni reique ge-
rendae vires adderent, nihiloſecius diſtinctam Epiſtolam
Baſilius recolit, qua ad iter capeſſendum idoneus fieret Do-
rotheus, quaeque alia non eſt niſi Diaconica, neceſſaria ea
quidem in alterius Eccleſiae Curſore, ad novam diſtinctae di-
ſceptationis legationem delecto.
XVIII. In Cauſſa etiam diſſidiorum Cyrillum inter &
425 Orientales, ſcribens Theodoritus Himerio Nicomedienſi
Epiſcopo, ut in Codice Caſſin. c. 71. legimus, non obſcurè
Dominici curſoris authoritatem fidelitatemque requiſitam
exponit. *Sanctitas tua & hac neceſſitate ſuperior facta eſt, quae*

Domi-

Dominum meum honorandiſſimum, & Deo amiciſſimum Strategium direxit ad nos, quem omni feſtivitate conſpeximus, ut Salvatoris noſtri Chriſti Diaconum, & tuae ſanctitatis dilectione ferventem, & omnia facere, & pati eligentem pro te. Hinc munus hocce non gregalium erat hominum, ſed tum fidelitas, tum alia requirebantur animi virtutumque ornamenta, quibus haberi ſuo merito poſſet Salvatoris Chriſti Diaconus, & Dominicus Eccleſiarum Curſor.

XIX. Tantae vero exiſtimationis, tantique ponderis erat
Encyclica per delectos iſtiuſmodi Curſores miſſa, ut ex Diaconi
ipſius perſona ſub initium praenotaretur. Iccirco quum
Anatolius Patritium Diaconum ad Leonem I. direxiſſet, ei reſ- 449
pondit Leo Epiſtola, quae in edit. Queſnel. eſt 128., quaeque
ſic in Epigraphe praenotata eſt. *Epiſtola ad Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanum per Patritium Diaconum.* Erat quippe nota haec in Apoſtolicae Sedis ſcrinio repoſita, velut index, quo Epiſtolarum diſcrimen, & probatio argumentumque innoteſcebat.

XX. Scribit S Cyprianus Epiſt. 49. de Nicoſtrato Dia- 248
cono, Novatianis fraudibus irretito, naufragium in fide feciſſe: & mox ſubjungit. *Nicoſtratum vero, Diaconio Sanctae adminiſtrationis amiſſo, Eccleſiaſticis pecuniis ſacrilegâ fraude ſubtractis, & viduarum ac pupillorum depoſitis denegatis, non tantùm in Africam venire voluiſſe, quàm conſcientia rapinarum, & criminum nefandorum illinc ab Urbe fugiſſe. Et nunc Eccleſiae deſertor ac profugus, quaſi mutaſſe ſit hominem, mutare regionem, Confeſſorem ſe ultro jactat & praedicat.* Nicoſtratum hunc Diaconum, qui ex Urbe diſceſſerat, ac per Regiones diſcurrebat, ſe Confeſſorem autumans, Novatianis partibus addictus, Dominicum antea Curſorem fuiſſe reor, qui fidei deinceps extorris, & Novatiani Schiſmatis fautor, Officium Sanctae adminiſtrationis amiſit, ut loquitur Cyprianus, & voce Diaconii videtur etiam innuere. Neque enim ita facile per urbes diſcurrere pervagarique potuiſſet Novatianus factioſuſque homo, niſi fuiſſet antea cognitus, utpote Diaconus ad Eccleſiaſticas perferendas quaquaverſum Epiſtolas deſtinatus. Divinando quidem haec dicimus, neque Rigaltii intelligentiam improbamus, qui de Officio adminiſtrandae Arcae Eccleſiaſticae eſt interpretatus. Arbitramur ta-

men, expenſa attentius Cypriani ſententia, potius de Diaconio, ſeu officio Dominici Curſoris à Nicoſtrato amiſſo, eundem locutum, quàm de Arcae Eccleſiaſticae adminiſtratione.

467 Confirmari poteſt conjectura noſtra ex Opuſculo in geſtis de nomine Acacii, apud Labbeum tomo IV. exſtante. *Scripſit ad Papam Simplicium Timotheus dicens: Petrum olim in Diaconio eſſe damnatum, nunc etiam Chriſtiana ſocietate ſemotum, mandans per Eſaïam Epiſcopum, rogans ut ſcriberetur Imperatori de Petro, qui latebat in Alexandrina Civitate, & inſidiabatur Eccleſiae, ut ad longinquum deportaretur exilium.* Petrus Mongus, de quo geſta, ſub Timotheo Aeluro Diaconus erat, eoque is uſus eſt ad Epiſtolas, quas contra Chalcedonenſe Concilium ediderat, dirigendas. Dum ergo Diaconium hocce exerceret, novimus à Catholicis Epiſcopis, poſt Encyclicas ſub Leone emiſſas, ab adminiſtratione fuiſſe remotum, atque ob turbas, quas excitaverat, etiam

550 damnatum. Sanè celeberrimum primum Vigilii conſtitutum, quo Pontifex tria Capitula, ſalva Chalcedonenſis Concilii authoritate, damnabat, non alia praecipuè dè cauſſa Afros, Illyricos, Italos, Dalmatas, & univerſum Occidentem contra Vigilij οἰκονομίαν ita commovit, ut Afri quidem audaciores Pontificem excommunicarint, reſervato illi tantum poenitentiae loco, niſi quia Ruſticus, & Sebaſtianus, Pontificis Diaconi, qui & ipſi Judicato, ſeu Conſtituto ſubſcripſerant, idemque publicè in Eccleſia recitaverant, rebelles facti, illud invidiosè vulgare coeperunt, Africam aliaſque regiones peragrantes; ſimulque proclamare Vigilium Chalcedonenſis Synodi praevaricatorem. Qua de re loquitur ipſe Vigilius in ſententia damnationis eorumdem, Tom. III. Concil. Hard. pag. 175.

Accedit tandem, quod in Epiſtolis quas laudavimus, & infra adducentur, quaeque fermè omnes Encyclicae ſunt, ubi de Diacono Dominico Curſore, per quem illae deferebantur, ſaepius occurrit haec formula: *Per N. Diaconum probatae fidei*, & ſimiles, quibus equidem innuitur, recipientes, cognitâ Diaconica, atque ex ea latorum in agendis fidelitate, ſpecialiter rei hujus mentionem in reſponſiva feciſſe. Neque enim additas toties & repetitas in univer-

ſis Encyclicis, & reſponſivis Epiſcoporum Epiſtolis formulas fruſtraneas eſſe quis credet, ſi antiquum ad fidem faciendam earumdem Epiſtolarum uſum expendat, atque in controverſiis dirimendis pondus. Unde ne fraus interveniret ulla, neve ullus ſupereſſet ambigendi locus, proſpicere debebant Epiſcopi, atque examinare Curſoris fidelitatem, eamque in reſponſionibus commendare.

ſ. IV.

DE ENCYCLICARUM ARGUMENTO, ATQUE NATURA.

Synopſis.

I. *Encyclicarum natura abs Origine, & occaſione earumdem eſt repetenda.* II. *Primaria Eccleſiae dos eſt fidei unitas.* III. *Irenaei hac de re teſtimonium.* IV. *Indefectibilis depoſiti cuſtodia quomodo conſiſtat.* V. *Methodus Eccleſiaſtici Magiſterii dignoſcendi ab Irenaeo propoſita.* VI. *Praeſcriptione à Tertulliano firmatur praeſertim in Encyclicis.* VII. *Magiſterii hujus ſecuritas.* VIII. *Emanatus exinde illarum uſus.* IX. *Aeſtimium & authoritas ex Caſſiano.* X. *Hinc argumentum Encyclicarum eſt una fidei profeſſio ſervanda.* XI. *Id monumentis iv. ſeculi adſtruitur.* XII. *Denunciabantur in illis haereticorum nomina, artes, & mores.* XIII. *Electiones quoque Primatum, & aliorum Epiſcoporum, ſive etiam obitus, annexâ fidei profeſſione.* XIV *Nomina inſuper & acta Martyrum.* XV. *Martyres quandoque Encyclicas ipſi dabant.* XVI. *Traditores, Martyrum Encyclica, primùm ſunt damnati.* XVII. *Illorum Sententia ab Arelatenſi Canone 13. fuit tantummodo confirmata.* XVIII. *Hinc in perſecutionibus hae quoque Epiſtolae ad ignem erant petitae.*

I. EPiſtolarum quidem Encyclicarum varia expendentes genera varioſque uſus, priſci hujus ſaluberrimi moris aeſtimium praeſtantiamque exhibuimus, cum tutiſſima

Digitized by Google

velut fidei teſſera à fidelibus haberentur, atque in eas, ceu
in Sacra Volumina debacchati ſint Chriſtiani nominis perſe-
cutores: unde & illarum argumentum naturamque adum-
bratam dedimus. Quoniam vero eas olim, ut dictum eſt,
plurimi fecit Eccleſia, ad fidei unitatem inter proximos diſ-
ſitoſque quamtutiſſimè ſervandam, altius earumdem natu-
ra repetenda eſt, atque inveſtiganda, ut de iſtiuſmodi *re-*
313 *medio praecipuo*, quemadmodum Encyclicas vocat Alexander
Alexandrinae Eccleſiae Antiſtes, in ſua adverſus Arium om-
nibus per Orbem data Epiſtola, certiora habeantur indicia,
atque idea earum ſolidior comparetur.

II. Inter Eccleſiae dotes, & attributa, quae fideles in
Symbolo ſemper profeſſi ſunt, primùm eſt fidei unitas at-
que membrorum, quae ex Eccleſiae ipſius natura fluit.
Cum enim illa ſit Societas ſancta, & Corpus myſticum,
ejuſdem Spiritùs, fidei, charitatiſque vinculo membra om-
nia ſecum invicem, & cum Chriſto unita complectens, uni-
tatis aliquam teſſeram habeat neceſſe eſt, per quam mem-
bra eadem inter ſe connexa dignoſcantur. Unitas autem
haec in eo praecipuè ſita eſt, ut Coetûs hujus membra,
tametſi varia ſint ſive locorum, ſive temporum conditione,
nihilominus eodem ſemper fidei lacte roborata permaneant.
Una quippe eſt fides quae creditur, & quâ creditur; Una-
que eſt ſalutis doctrina abs revelatione emanata, quae Ma-
giſtris contradita, eorumdem laboribus propagata, atque in
Eccleſiis ubique adſervata, mutuis profeſſionibus & defen-
ſionibus incolumis atque intemerata perſeverat. Quam ob
rem pro iſtiuſmodi unitate, velut certo Religionis indice,
retinenda, monitum hoc ad Hebraeos reliquit Apoſtolus.
c. 13. v. 7. *Mementote Praepoſitorum veſtrorum, qui vobis locu-
ti ſunt Verbum Dei, quorum intuentes exitum converſationis,
imitamini fidem. Jeſus Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſecu-
la*. Iccirco concludit, tutiſſimos omnes in ſuſcepta doctri-
na permanſuros, propoſitaeque inhaerentes regulae, facilè
à reproba, damnataque receſſuros. *Doctrinis variis & pere-
grinis nolite abduci*. Licet autem fides una & integra ab
initio revelata ſit, variis iiſdemque peregrinis pullulantibus
in dies doctrinis, neceſſe fuit, ut via & gradu aliquo mani-
feſtationis, declarationiſque incederent Praepoſiti; quibus

Digitized by Google

divina eloquia fuere concredita , in legitimo eorumdem proponendo ſenſu , ſinceraque doctrina à peregrinis ſecernenda. Unde Apoſtolici prioris aevi Doctores , per quos Chriſtiana Doctrina una & eadem ad nos pervenit , duo imprimis ſtabilienda ſibi propoſuere . I. quidem fundare Eccleſias , eiſdemque Depoſitum cuſtodiendum tradere cùm eorum quae revelata , tum quae ſunt manifeſtata . II. Conducibiliora fidelibus media praemonſtrare , quibus & dogmata à Praepoſitis explanata audirent , & à variis peregriniſque doctrinis aufugerent.

III. Methodum hanc & ejuſdem partes eximie deſcripſit 167
Irenaeus l. 1. adverſus haereſes c. 2. *Eccleſia per Univerſum Orbem uſque ad fines terrae ſeminata , & ab Apoſtolis & diſcipulis eorum accepit fidem*. En revelationis doctrina , quam fideles ab Apoſtolis & Praepoſitis accipientes , Apoſtoli à Chriſto , fidei unius fundamenta jacuere . Pergit ad enumeranda principaliora dogmata Eccleſiis tradita , & cap. 3. ulterius in hunc modum diſſerit . *Hanc praedicationem cum acceperit , & hanc fidem quemadmodum diximus , Eccleſia , diligenter cuſtodit , quaſi unam domum inhabitans , & ſimiliter credit iis quaſi unam animam habens & unum cor , & conſonanter haec praedicat , & docet , & tradit , quaſi unum poſſidens os : nam & ſi in mundo loquelae diſſimiles ſint , ſed tamen virtus Traditionis una eademque eſt ..... Sicut Sol creatura Dei in univerſo mundo unus idemque eſt , ſic & lumen praedicationis veritatis ubique lucet , & illuminat omnes homines , qui volunt ad cognitionem veritatis venire .*

IV. Ut autem varia ſint oportet ac peregrina haereſum dogmata , ità medium in Eccleſia aliquod neceſſarium eſt, quo Praepoſiti , converſationis, fideique exemplaria à Paulo propoſita conſectantes , idoneum aliquod atque indefectibile adipiſcerentur munimen , quatenus in proponenda declarandaque fide , veras fidelibus Chriſti doctrinas quamtutiſſimè exhiberent ; peregrinas illas & profanas eſſe , proindeque abjiciendas edocerent . Munimen illud ipſam eſſe divini Spiritûs aſſiſtentiam , aſſeverat Irenaeus, cujus opem perpetuo praeſto eſſe, tam certum eſt , quam ipſam exiſtere Eccleſiam . Quum enim prolixius veritates catholicas , & ſuſcipienda dogmata expoſuiſſet , enarrat libro 3. media

Digitized by Google

ad agnoſcendum depoſitum idonea, & depoſiti cuſtodes, eorumdemque in ſervando indefectibilem ſolicitudinem. Quocirca cap. 40. haec ad rem habet: *Fidem perceptam ab Eccleſia cuſtodimus, & quae ſemper à ſpiritu Dei, quaſi in vaſe bono depoſitum quoddam eximium juveneſcens, & juveneſcere faciens ipſum vas, in quo eſt. Ubi Eccleſia, ibi eſt Spiritus Dei, & ubi Spiritus Dei, illic Eccleſia & omnis gratia: Spiritus autem veritas*. Praepoſitos, & exemplaria nobis ab Apoſtolo aſſignata in hunc modum deſcribit. *Traditionem itaque Apoſtolorum in toto mundo manifeſtatam, in Eccleſia adeſt perſpicere omnibus, qui vera velint audire; & habemus numerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & ſucceſſores eorum uſque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur*. Atque haec quidem erat Eccleſiarum perſuaſio, & indefectibilitatis notio circa Depoſiti traditionem, cuſtodiam, & veritatem.

V. Quod vero ad Eccleſiae ejuſdem membra attinet, eiſque propoſita media, quibus ſolidiores facti, in conflictu verae & peregrinae diſcriminandae doctrinae, noſſent quid firmiter tenendum, quidve eſſet abjiciendum, Irenaeus idem ſectandam exhibet methodum, atque ex jactis fundamentis concludit ibidem. *Non oportet apud alios quaerere veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere, cum Apoſtoli quaſi depoſitorium dives, pleniſſimè in eam contulerint omnia, quae ſunt veritatis, ut omnis quicumque velit, ſumat ex ea potum vitae*. Inter alia itaque tradendorum explanandorumque dogmatum media atque adjumenta, tutiſſimum erat Eccleſiae Magiſterium, vel in Capite repraeſentatae, vel in Conciliis collectae, vel in conſenſu Epiſcoporum Doctorumque per orbem diſperſae. Hocce erat dives depoſitorium dogmatum: hinc quicquid petebatur, locupletiſſimum praeſeferebat veritatis argumentum. Quam ob rem. c. 1. l. 5. praeſcriptionem hanc ità aggreditur. *Perfecit Chriſtus, Apoſtoli vero tradiderunt, à quibus Eccleſia accipiens, per univerſum mundum ſola bene cuſtodiens tradidit filiis ſuis*. Uno videlicet ex laudatis nuper modis & agendi rationibus.

Eandem pluribus argumentis, atque imprimis experimento pertractat methodum S. Martyr. l. 3. c. 4. ubi ferme laudatum Apoſtolicum ad Hebraeos monitum commentario il-

luſtrat

luſtrat. *Quod enim*, inquit, *& ſi qua de aliqua modica quaeſtione diſceptatio eſſet, nonne oporteret ad antiquiſſimas recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli converſati ſunt, & ab eis de praeſenti quaeſtione ſumere quod certum & re liquidum eſt? Quid? nobis nonne oportebat ordinem ſequi traditionis, cui ordinationi aſſentiunt Gentes barbarorum eorum, qui in Chriſtum credunt, ſine charactere & atramento ſcriptam habentes in cordibus ſuis ſalutem, ac veterum traditionem diligenter cuſtodientes.* Quodſi experimentum verae ac peregrinae doctrinae, in modica etiam quaeſtione, juxta Apoſtolicum praeceptum abs antiquiſſimarum Eccleſiarum converſatione repetit, methodum hanc tutiſſimam tunc fuiſſe ad diſcernendas doctrinarum veritates nemo non videt, cum Eccleſia eſſet dives depoſitorium fidei, ejuſque capita ſummâ ſemper religione ſervarit.

VI. Praeſcriptionem iſtiuſmodi proponit quoque Tertullianus, Eccleſiarum, Fideliumque conditionem expendens, quorum praecipua ſit oportet ſolicitudo, ut ſacrariſſimi hujus aerarii ſint participes. Sic enim de Praeſcriptionibus cap. 20. loquitur. *Dehinc in Orbem profecti Apoſtoli eandem doctrinam, ejuſdem fidei nationibus promulgaverunt, & proindè Eccleſias apud unamquamque Civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei, & ſemina doctrinae ceterae exinde Eccleſiae mutuatae ſunt, & quotidie mutuantur, ut Eccleſiae fiant: ac per hoc & ipſae Apoſtolicae deputantur, ut Sobolem Apoſtolicarum Eccleſiarum. Omne genus ad Originem ſuam cenſeatur neceſſe eſt: itaque tot & tantae Eccleſiae una eſt illa ab Apoſtolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primae & omnes Apoſtolicae, dum unam omnes probant unitatem. Communicatio pacis, & appellatio Fraternitatis, & conteſſeratio hoſpitalitatis, quae jura non alia ratio regit, quam ejuſdem Sacramenti una traditio.* Poſtremis hiſce verbis deſignat Epiſtolarum Pacificarum, & Salutatoriarum, Communicatoriarum, & Formatarum communem receptumque uſum, quo & manentes Epiſcopi atque fideles in ſuis Eccleſiis apud unamquamque Civitatem, aut cum una ex praedictis Epiſtolis itinerantes, dignoſcebantur unius eſſe communionis, & fraternitatis, eâque hoſpitalitatis teſſerâ commoda & neceſſaria obtinebant ubique terrarum. 196

Tutiſſimum hocce, & ab Apoſtolis adhibitum, Epiſto-

larum

larum medium extollit Tertullianus, atque in difficultatibus vel confugere ad Apoſtolicas eccleſias, vel earumdem decretis obaudire hortatur. Rationem porro ſubjungit. *Quod praedicaverunt Apoſtoli, quid illis Chriſtus revelaverit, & hic praeſcribam, non aliter probari debere, niſi per eaſdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt tam vivâ voce, quam Epiſtolis poſtea. Si haec ità ſint, conſtat perinde omnem doctrinam, quae cum illis Eccleſiis Apoſtolicis, matricibus, & Originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam, id ſine dubio tenentem, quod Eccleſiae ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo ſuſcepit: Reliquam vero omnem doctrinam de mendacio praejudicandam, quae ſapiat contra veritatem Eccleſiarum, Apoſtolorum, Chriſti, & Dei.*

VII. Eccleſiarum porro indefectibilitatem cùm in depoſiti cuſtodia, tum in dogmatum manifeſtatione non ſecus ac Irenaeus, expoſuit confirmavitque Tertullianus, tacitae inſuper objectioni occurrens, qua regerere quis poterat, qua demum ratione dignoſci poſſet depoſitorium, & manifeſtationem ex tuto principio provenire Sic enim ille cap. 28. *Age nunc, omnes erraverint, deceptus ſit Apoſtolus, de teſtimonio reddendo quibuſdam. Nullam reſpexerit Spiritus S., uti eam in veritatem deduceret, ad hoc miſſus à Chriſto, ad hoc poſtulatus à Patre, ut eſſet Doctor veritatis. Neglexit officium Dei villicus, Chriſti Vicarius, ſinens Eccleſias interim aliter intelligere, aliter credere, quam quod ipſe per Apoſtolos praedicabat. Ecquid veriſimile eſt, ut tot ac tantae in unam fidem erraverint. Nullus inter multos eventus unus eſt exitus. Variare debuerat error doctrinae Eccleſiarum. Ceterum quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum.* Tertullianus itaque, & ante ipſum Irenaeus, perſuaſi erant, Eccleſiam docentem jugi divini Spiritûs ſubſidio dirigi, & hoc ex promiſſionibus Chriſti perpetuum dari, & perſeverare; proindeque merito nuncupandam dogmatum dives depoſitorium, ad quam ſecurè recurrendum eſt, quoties manifeſtanda, vel vera à peregrinis doctrina eſt ſecernenda. Hujus perſeverantiam ex una Communione colligit, ex appellatione fraternitatis, & hoſpitalitatis conteſſeratione, quoniam Epiſtolis hiſce ad univerſas Orbis Eccleſias datis certo innoteſcebat prima perſeverans traditio. Subjungit enim:

Quae jura (communicationis ſcilicet , fraternitatis , & hoſpitalitatis) *non alia ratio regit , quam ejuſdem Sacramenti una traditio* : Unde etiam merito concludit . *Communicamus cum Eccleſiis Apoſtolicis , quod nulla doctrina diverſa. Hoc eſt teſtimonium veritatis .*

VIII. Ex Apoſtolico itaque fundandi Eccleſias , tradendique Epiſtolas uſu factum eſt , ut novae quae fundabantur Eccleſiae , quaeque Apoſtolicis erant accenſendae, Communicatorias à Matricibus , & Originalibus exigentes Epiſtolas, jura communionis haberent ; in controverſiis ad illas recurrerent ; quae utpote Matrices & Originales pro re nata Encyclicas ad alias dirigerent , ſive ad receptorum dogmatum continuandam profeſſionem , ſive ad novos evitandos errores , ſive ad perſeverantem apud omnes manifeſtandum conſenſum , & unanimem in fide ſententiam .

IX. Quantae porro vis , quantive eſſet aeſtimii conſenſus ille in Epiſtolis editus , ac pro Majeſtate ab Epiſcopis ſedentibus in propriis cathedris circa unamquamque controverſiam propoſitus & manifeſtatus , oculari demonſtratione, in Encyclicis Differt. II. recenſendis , notum fiet : ſatiſque modo erit Caſſiani teſtimonium adferre , cujus verba , quo 420
in pretio fuerint dogmata per Encyclicas declarata , luculenter commonſtrant. Probaturus enim Trinitatis myſterium, quod poſt Epocham Aſſertorum conſubſtantialis Trinitatis maleferiati homines ac impoſtores profanis vocibus perturbare conabantur , ineluctabile profert argumentum , cui neminem refragari poſſe citra haereſis notam , audacter pronunciat , idque ex fidei expoſitione à Leporio edita , in qua. 420
enucleatius myſterium hocce & planius proponebatur, quamque in variis Synodis probaverant Epiſcopi , & approbatione conſenſuque ſuam fecerant . Sed ipſum audiamus Caſſianum , hanc profeſſionem adducentem lib. de Incarnatione c. ultimo , velut totius Eccleſiae receptam probatamque fidem. *Hanc ejus confeſſionem , id eſt , catholicorum omnium fidem , & omnes Africani Epiſcopi , unde ſcribebat , & omnes Gallicani , ad quos ſcribebat , comprobarunt .* En Orbis conſenſus in Paſtoribus pro dignitate expoſitus . De argumento autem ex praeſtito conſenſu depromendo haec ſubjungit : *Sufficere ergo ſolus nunc ad confutandam haereſim deberet conſenſus omnium;*

Digitized by Google

quia indubitatae veritatis manifeſtatio eſt autoritas univerſorum: ità ut qui contra haec ſentire nitatur, hujus prima ſtatim fronte non tam ſit audienda aſſertio, quam damnanda perverſitas, quia praejudicium ſecum damnationis exhibuit, qui judicium univerſitatis impugnat, & audientiae locum non habet, qui à cunctis ſtatuta convellit. Confirmata enim ſemel ab omnibus veritate, quicquid contra hoc venit, hoc ipſo ſtatim falſitas eſſe noſcendum eſt, quod à veritate diſſentit. Quo nihil luculentius, nihilque illuſtrius, ut oſtendatur, Encyclicas, communi Epiſcoporum in ſuis cathedris ſedentium conſenſu firmatas, repraeſentare Magiſterium Eccleſiae, earumque oſores nota haereſis eſſe puniendos. Expoſitionem eandem confirmavit
532 & Apoſtolica Sedes; imo & Johannes II. ex ea ad dogmata comprobanda eruit teſtimonium, ut ſuo loco dicemus. Quod quidem indicat illam à Leporio ad Apoſtolicam ſedem fuiſſe directam, ſuo conſenſu probandam, ut membrorum & Capitis una ejuſdem fidei confeſſio oſtenderetur.

X. Ex his quae hactenus diſputavimus cùm vera Encyclicarum origo & eſſentia dignoſcitur, tum cujuſmodi praecipuum illarum fuerit argumentum, facile dijudicare quilibet poteſt. Id quod aliud non eſt, niſi ut integra & illibata perſiſteret una fides, una profeſſio. Antiſtites enim, ut obviam irent pervadentibus errorum contagio Eccleſias, rati non aliud expeditius praeſto eſſe remedium, praeſertim cum tempeſtatum perſecutionumque turbines Eccleſiam concuterent, haſce Encyclicas emittebant, ne latius ſerperet aut propagaretur malum: illis quippe, ut non proximae tantum, ſed remotiſſimae quaeque Eccleſiae exorti erroris admonebantur; ità perfacile erat, Orbem in univerſorum conſenſu & confeſſione unanimem detinere. Errores autem in brevi tractatu refellebantur, ut dum de illorum pravitate apud omnes conſtabat, deque dolis haereticorum praviſque artibus, pariter illis oppoſita catholica veritas ſuis numeris abſolutiſſima omnibus intimaretur.

XI. Exempla quarto Chriſtiano Seculo non aliqua, non obſcura, ſed plurima eaque luculentiſſima occurrunt in Synodicis, Encyclicis, Feſtalibus, & id genus aliis Epiſtolis, in quibus unâ cum fidei formula annexi leguntur anathematiſmi, Eccleſiis quae profitenda eſſent, quaeve ut falſa,

pro-

profana, ac novitia anathemate abjicienda, tradentes. Legatur formula Gangrenſis Synodi, inter alias ejuſdem aevi Synodos celeberrimae, in qua una cum fidei profeſſione editi leguntur XX. Anathematiſmi: ſiquidem qui in Codice canonum Eccleſiae Orientalis appellatur canon XXI. revera eſt formula ab his ſuſcipienda, qui Euſtathianorum detenti erroribus, ad catholicam unitatem regrediebantur. Percurrantur quoque Anathematiſmi Sirmienſis Synodi adverſus Photinum, Gregorii Nazianzeni ad Cledonium, Damaſi adverſus Apollinarem, ſimileſque epiſtolae, & mos ille receptus deprehendetur, ut cum Anathematiſmis fidei formula adjungeretur. Simul etiam patebit vulgatiſſima primitivae Eccleſiae conſuetudo, quam ulterioribus monumentis expenſam in ſecunda Differt. exhibebimus. Unum, atque illum illuſtrem ſat erit adduxiſſe teſtem, Julium nempe Romanum Pontificem in epiſtola de Marcelli Ancyrani reſtitutione ſcripta, quem depoſuerant Euſebiani, veluti Sabellianiſmi aſſertorem. Anteaquam enim abſolveretur à Julio, fidei edidit profeſſionem propria manu ſubſcriptam, rogavitque Pontificem, ut hanc epiſtolae ſuae adjungeret. Extat apud Epiphanium haereſi 72. profeſſio, & poſtulatum Marcelli. *Rogo te*, inquit ille, *ut exemplar* (profeſſionis jam factae, & ſubſcriptae) *ad Epiſtolam quam ad Epiſcopos miſſurus es, inſcribas, ut ne aliqui ex his, qui non exactè noverunt nos & illos, ſcriptis illorum* (Euſebianorum nempe) *animum advertentes decipiantur*. Formula equidem fidei una cum anathematiſmis ſuſcipienda dilucide probat, Encyclicarum argumentum in eo totum fuiſſe ſitum, ut cùm novi errores detegerentur, detectique Eccleſiis denunciarentur anathematizandi, tùm in fidei confeſſione ſcirent univerſi quid tutò eſſet retinendum.

340 357 370 368 337 368

XII. Secundò, denunciabantur in Encyclicis thecnae & fraudes, quibus impoſtores ſimplicioribus imponebant, atque incautorum hominum animis haereticalia conabantur inſtillare. Hinc ſimilium peſtium nominibus in epiſtola expoſitis, Epiſcopos, Eccleſiaſque commonebant, ut mutuarum cum illis Epiſtolarum commercia evitarent: non ſecus ac quoties novi ordinabantur Epiſcopi, eorum nomina à Primate in Feſtalibus & ſubjectis, & reliquis Epiſcopis de-

nunciabantur, quatenùs noſſent omnes, quorum Pacificae epiſtolae, Communicatoriae, & Formatae eſſent ſuſcipiendae, & quorum communionis participes haberentur.

Tertio, materia erat Encyclicarum, mores Haereſiarcharum, pravitatem, inſtituta aliaque huc ſpectantia denunciare. Quemadmodum enim in Politicis publicae tranquillitatis oſores, reos, ac pacis Majeſtatiſque perturbatores è Reipublicae bono eſt, ſive punitos, ſive puniendos publica authoritate denunciari: ità ad tuendum Eccleſiae regimen, ac puritatem fidei ſartam tectamque ſervandam, ſaepius pravorum hominum inſtituta Eccleſiis legimus denunciata. Sequebantur enim Paulinam methodum: ſiquidem Apoſtolus frequenter impoſtorum nomina moreſque deſcripſit, monuitque fideles, ut illorum converſationem, ceu exitioſam, evitarent. Qua de re commodior infra erit diſſerendi occaſio.

XIII. Quartò, cum Eccleſiae Apoſtolicae ab Apoſtolis ipſis fundatae ſplendentiſſima quaedam eſſent totius Chriſtiani nominis lumina, atque in illarum concordia fidei unitas praeſertim oſtenderetur, factum eſt, ut Epiſcopus quilibet electus Synodicam, ſeu Enthroniſticam ad principaliores ſedes dirigeret, cui fidei profeſſio inſerta erat. Primates receptam epiſtolam ſubjacentibus Epiſcopis intimabant. Quod in ipſorum etiam Primatum electione fieri conſuevit. Recèns itaque electus Pontifex ad alios Primates Synodicam ſuam cum fidei profeſſione dirigebat: Idque praeſertim obtinuit in ſummo Pontifice, & Patriarchis. De ſummis Pontificibus teſtes ſunt Gelaſius epiſt. 2., Liberatus Diaconus in Breviario c. 17., Gregorius M. L. 1. epiſt. 4. qui in epiſtola 24. univerſis Patriarchis & Primatibus data, conſuetudinem hanc ejuſque finem aperit, & cum fidei profeſſione concludit. His adde Johannem Diaconum in ejuſdem Gregorii vita l. 2. c. 3., & Anaſtaſium Bibliothecarium in Zacharia Romano Pontifice. Hiſce Synodicis reſ-
868 pondebant adinvicem. Unde idem Anaſtaſius in Gregorio II. ſcribit. *Conſtantinopolitanus Antiſtes Synodicam ei miſit, atque ad eum reſcriptis idem uſus eſt Pontifex.* Vide & Authorem Praedeſtinati l. 1. haer. 89., & Garnerium in notis ad caput 18. Liberati. Iſtiuſmodi Synodicarum, quibus fidei

pro-

Digitized by Google

profeſſio adnectebatur, finis erat, ut ejuſdem confeſſionis, fidei, & dogmatum unitas ſervaretur. Quem finem praeclare expreſſit prior Synodica Eutychii Conſtantinopolitani Antiſtitis recèns electi, quam Vigilio direxit, & extat Collat. I. Synodi V. Hoc autem incipit modo. *Scientes quantorum bonorum cauſſa eſt pax Dei, cuſtodiens corda & ſenſus Fidelium, & colligens eos, ut unum idemque ſapiant in recta fidei confeſſione, & ad perficienda divina mandata, & propitium Deum faciens in his, quae recta ſunt concordantibus: ideo feſtinantes unitatem conſervare ad Apoſtolicam Sedem veſtrae Beatitudini manifeſtum facimus, quod nos ſemper & ſervavimus, & ſervamus fidem ab initio traditam à Magno Deo, & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto Sanctis Apoſtolis, & ab illis in omni Mundo praedicatam, & à Sanctis Patribus explanatam, & maximè ab his, qui in Sanctis quatuor Synodis congregati ſunt, quos per omnia & in omnibus amplectimur, & ſuſcipimus.* Subjungit explicitam horum omnium profeſſionem, ſeque fatetur ſuſcipere epiſtolas à Romanis Pontificibus de fide editas. Addunt deinde acta. *Idem libellus ſcriptus eſt & ab Apollinario Sanctiſſimo Archiepiſcopo Magnae Civitatis Alexandriae, & à Domino Sanctiſſimo Archiepiſcopo Theopoleos.* Vigilius ſuae, quam miſit, reſponſivae integram Synodicam inſeruit, & ità exorditur. *Repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione, quod diſcordiae confuſione ſubmota, pacem Deus ſuae reformavit Eccleſiae, ut impleretur quod dictum eſt: Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum. Valde enim nos in Domino exſultare convenit, quod caritatis veſtrae ſcripto nobis eſt oblata profeſſio, cujus tenor ità ſe ſe habet: Scientes quantorum bonorum cauſſa eſt pax Dei..... His autem & ſubſcripſimus, hujus profeſſionis Orthodoxae claritatem libenter amplexi, eadem nos per omnia in omnibus approbantes, cuſtodituros, atque inviolabiliter ſervaturos Deo noſtro profitemur auctore.* En mutua ſubſcriptio; en confeſſio una, atque haec, ut in titulo Vigilius aït, dirigenda ab Eutychio *Epiſcopis ſub ſe conſtitutis*. In his quoque Synodicis haereſum cauſſa vulgatis, conſueviſſe Patriarchas prolixiori fidei formulae anathematiſmos adjungere, docet Synodica epiſtola Sophronii Hieroſolymitani Epiſcopi, quae legitur actione XI. Synodi VI. Eadem ratione ſi qui ex Primatibus

extremum diem obirent, Romano Pontifici denunciabantur: quemadmodum in Encyclicis ſuis in cauſſa Lapſorum,
254. & ſchiſmatis Novatiani Dionyſium Alexandrinum egiſſe, §. 2. ex Euſebio l. 6. c. 46. dictum eſt.

XIV. Quintò, ſedula quoque erat primis temporibus Eccleſiarum ſolicitudo dirigendi per Encyclicas in univerſum Orbem Martyrum nomina, eorumdemque acta & glorioſos agones, & quidquid ad fidei diſciplinaeque integritatem ab illis fuiſſet praeſtitum, denunciandi: illa quidem, ut, diptychis Sacris inſerta, perpetuâ atque anniverſaria ſolennitate recolerentur; haec vero, ut fideles novam peregrinamque doctrinam abs exemplis & dictis Martyrum diſcerent evitare. Imo & ipſos Martyres non abſimiles fidelibus
circa ann. 167. dediſſe Encyclicas, certum eſt, & exſtat antiquiſſimi moris documentum. Smyrnenſis enim Eccleſia acta martyrii S. Polycarpi Eccleſiis denunciavit, ſimulque docuit quae probare, & imitari martyria debeant. Epiſtolam integram refert Euſebius l. 4. H. E. c. 15., & quoniam nobiliſſimum exemplar eſt Encyclicarum, cùm pro nominibus Sacris diptychis inſerendis, tùm pro veri agnoſcendi martyrii teſſera, ejuſdem argumentum peculiari diſceptatione infra regerendum, ex quo diſcere erit, Martyrum acta prius fuiſſe diſcuſſa, quàm martyrii praerogativa iidem donarentur. Nec in veris tantum denunciandis Martyribus accurato examine incedebant Eccleſiae, geſtorum relationem ex ipſis Proconſularibus actis deſumentes; ſed ſiqui alienae Sectae homines mortem oppetierant, cautè diſcernebantur: quemadmodum à Smyrnenſi Eccleſia factum eſt, quae ſeriem Martyrum Chriſti recenſens, ſubjungit: *In quibus & Metrodorus quidam, qui Marcionis Sectae Presbyter dicebatur, flammis conſumtus, interiit*. Exſtat & Lugdunenſis Encyclica altera, plurimaeque exſtabant in Euſebiana *de Priſcis Martyribus* elucubratione.

XV. Martyres Encyclicas ſuas dabant, quoties ad fidem bonoſque mores ſervandos conducerent. Quum enim martyrii aeſtimium ſummopere promoverent Antiſtites, ut ad fortiter agendum, atque moriendum fideles pellicerent; Martyrum epiſtolas ac monita plurimi ex aequo faciebant
248. omnes. Id quod teſtatiſſimum reliquit S. Cyprianus in ſuis,

epi-

epiſtolis, in quibus nihil hiſce libellis, ſcriptis, & epiſtolis frequentius atque commendatius. Legimus apud eundem n. 17. ſcriptam Confeſſorum omnium nomine epiſtolam, quam exaravit Lucianus, *Praeſente Exorciſta, & Lectore de Clero*, ut hoc charactere Encyclicam eſſe epiſtolam, qua univerſis Lapſis pacem indulgenter conceſſerunt, eſſet exploratum. *Scias nos univerſos, de quibus apud te ratio conſtiterit, quid poſt commiſſum egerint, dediſſe pacem: & hanc Formam per te & alijs Epiſcopis innoteſcere volumus*. Per Primatem enim, ut mox videbimus, ad ſuffraganeos deferebantur Encyclicae, ut vel exemplo eſt ipſe Cyprianus, qui cum ob perſecutionem ſeceſſiſſet, hanc & aliam ejuſdem argumenti ad Presbyteros Carthaginenſes dedit, qui eandem Epiſcopis ſui Primatialis diſtrictus intimarent, ut ex epiſt. 18. & ſeqq. liquet. Atque eodem de argumento idem Cyprianus Epiſt. 68., quae eſt ad Stephanum Romanum Pontificem, recolens B. Martyrum, & Pontificum Cornelii, & Lucii literas Encyclicas de pace Lapſis danda, in hunc modum ſcribit. *Servandus eſt enim Anteceſſorum noſtrorum Beatorum Martyrum Cornelii, & Lucii* (Anteceſſores ſuos nuncupat propter unitatem Catholicae Eccleſiae, cujus Epiſcopatus unus eſt ab uno ad multos dimanans) *honor glorioſus; quorum memoriam cum nos honoremus, multò magis, Frater cariſſime, honorificare, & ſervare gravitate, & authoritate tua debes, qui Vicarius; & Succeſſor eorum factus es. Illi enim Spiritu Dei, & in glorioſo Martyrio conſtituti, dandam eſſe Lapſis pacem cenſuerunt, & poenitentia acta fructum communicationis, & Pacis negandum non eſſe, literis ſuis ſignaverunt, quam rem omnes omnino ubique cenſuimus*. Conſenſus autem hujus rationem, vim, & Magiſterium ita pergit exponere. *Neque enim poterat eſſe apud nos ſenſus diverſus, in quibus unus eſſet Spiritus: & ideo manifeſtum eſt, cum Spiritus Sancti veritatem cum ceteris non tenere, quem videmus diverſa ſentire*. Ita de Martyrum, atque imprimis Pontificum Encyclicis praeclarè ſentiebat Cyprianus.

XVI. De Traditoribus communione privandis, ſi Laïci fuerint, ſi verò Clerici, deponendis, ante annum 300. nullum exſtat decretum ſcriptum, niſi quod *Salutem* vocantes, ediderunt univerſae Fraternitati Martyres, quodque Decre-

Digitized by Google

tum , ſive Epiſtolam integram, ſupra , ubi de Salutatoriis ,
attulimus. Etenim Traditorum Epocham, & terminum ſta-
396 tuit S. Auguſtinus unà cum Epocha perſecutionis Diocle-
tianeae, lib. 7. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 2. *Poſt Cy-
priani mortem quadraginta , & quod excurrit annis peractis ,
traditio Codicum facta eſt , unde coeperunt appellari Tradito-
res .* Cum enim an. 258. ſupremum obierit diem B. Mar-
tyr Cyprianus, meritò 40. poſt annos Traditorum creviſſe
turbam annotat Auguſtinus . Hinc edictum in laudata
Encyclica emanaſſe , commonſtrant SS. Saturnini , & So-
ciorum citata in ſuperioribus acta , in quibus n. 2. legitur.
*Temporibus namque Diocletiani , & Maximiani bellum Diabo-
lus Chriſtianis indixit iſto modo , ut Sacroſancta Domini Teſta-
menta Scripturaſque Divinas ad exurendum peteret ...... Sed
non vult exercitus Domini Dei immane praeceptum , ſacrilegam-
que juſſionem perhorruit , & mox fidei arma corripuit , deſcen-
ditque in proelium , non tam contra homines , quàm contra Dia-
bolum pugnaturus .* Mox Traditorum crimen ſugillatur, au-
thoreſque poenarum in Traditores editarum exponuntur :
*Et quamvis tradendo Gentilibus Scripturas Dominicas , atque
Teſtamenta Divina profanis ignibus comburenda, à fidei cardine
cecidere nonnulli , conſervando tamen eas , & pro ipſis libenter
ſuum ſanguinem effundendo fortiter fecere quamplurimi : quique
pleni Deo, devicto atque proſtrato Diabolo, victricem palmam
in paſſione geſtantes , ſententiam in Traditores , atque in eorum
conſortes , qua illos à communione Eccleſiae rejecerant , cuncti
Martyres proprio Sanguine conſignabant . Fas enim non fuerat ,
ut in Eccleſia Dei ſimul eſſent Martyres , & Traditores .*

Conſueviſſe equidem Martyres ſermonibus , & epiſtolis
praeſentes , atque abſentes edocere , ſaepe memorat Euſe-
315 bius, ubi illorum recenſet epiſtolas . Et author Martyrum
Numidarum , qui illorum martyrium in epiſtola perſcri-
pſit , & exſtat apud Surium die 1. Maii, & apud Baronium
ad ann. 262. pag. 552. , haec memoriae prodidit . *Horum
tanta charitas fuit , & tanta dilectio , ut licet taciti poſſent
jam devotae , & obſignatae virtutis exemplis fidem Fraternita-
tis exſtruere : tamen ad ſtabilitatem perſeverantiae latius con-
ſulentes , pectoribus noſtris rorem tractatus ſalutaris infunderent.
Neque enim tacere poterant , qui Dei ſermonem videbant . Nec*

mirum ,

mirum, ſi paucis illis diebus tam largè noſtrum omnium mentes eorum tractatus ſalubris animavit, in quibus jam Chriſtus, micante gratia de proxima paſſione, fulgebat. Erat itaque Martyribus conſuetudo, erat in fidelibus harum Epiſtolarum aeſtimium.

XVII. Sed diligentius animadvertenda eſt ſupradicta Martyrum Saturnini, & ſociorum comminatio, ut quomodo ſcriptum à Martyribus decretum, in Eccleſiam ipſo perſecutionis tempore publicatum, Traditores coëgerit ad latas ſubeundas poenas, accuratius intelligamus, opinionique quorumdam occurramus, qui praedictum decretum ab Arela- 314
tenſi I. can. 13. emanatum credunt. Supponit enim Concilium, jam firmatam, atque in Eccleſia receptam adverſus Traditores diſciplinam; nec aliud agit quicpiam, niſi calumniatorum, cujuſmodi Ingentius fuerat, refraenare audaciam, & conſtituere, nequis condemnetur, cujus reatus traditionis ex publicis actis non plane conſtiterit: Quos ſolos vult, *ab ordine Cleri amoveri*. Itaque non Arelatenſe Concilium Traditores primum ſcripto decreto publicavit, ſed Martyres in ſua Encyclica, quam Epiſcopi per Orbem probantes, conſenſu ſuam fecerant. Equidem ante Concilium Arelatenſe, in Cirta XI. Epiſcopi congregati 305
pro ordinatione Silvani, electi Cirtae, ſeu Conſtantinae in Numidia Epiſcopi, quòd traditionis rei eſſent, in ſubſelliis velut Judices minimè ſederunt, ſed ſemet depoſitos confeſſi ſunt. Et poſteaquam Secundus Numidiae Primas, cauſſam Deo reſervans, ſe & reliquos facinoris ejuſdem conſortes abſolviſſet, *Dixit Secundus: Sedete omnes. Tunc dictum ab omnibus, Deo gratias, & ſederunt*. Ut refert Opta- 368
tus lib. 1. Quod quidem idem erat, atque abſolutos pronunciare à depoſitionis poena, qua ob traditionis confeſſum crimen erant mulctati. Reos enim Epiſcopos extra ſubſellia, & ſtantes in Conciliis examen ſubituros adfuiſſe, legitur in Collat. Carthag. die 1. *Id autem nobis expedit, id* 411
neceſſe eſt, ut quum cauſſa peroratur, quum prius incipitur, ut etiam perſonae conſtent, ſtare ſingulos deceat, quibus ſubire contigit diſputationis examen. Hinc in Chalcedonenſi Synodo 451
Dioſcoriani in medio ſtetere, & diſceptatio acris in Theodoritum mota eſt, contra quem interpellarunt Dioſcoriani,

449 utpote in Latrocinali Epheſino depoſitum, ne cum ceteris Catholicae partis Epiſcopis ſederet, ſed primùm quomodo, quave ratione ſedens Concilio adeſſe poſſet, diſceptaretur, ut Actione I. Concilii ejuſdem legimus.

XVIII. Crimini autem dubio procul vertebatur ante Diocletianeam perſecutionem tradere Sacros Codices, in quos ſub initium quàmmaximè perſecutores exarſerant. Rei hujus
405 documentum exhibet Prudentius περὶ στεφάν, hymno 5., apud quem Datianus Praetor, cum Vincentium multis jam cruciatibus petiiſſet, ut fidem Chriſto datam exueret, hominis Deo pleni expugnaturus conſtantiam, poſtulat, ut libros ſacros ſaltem exhibeat, Numinibus adeo inviſos, atque in hunc modum Martyrem urget.

Si tanta callum pectoris
Praedurat obſtinatio,
Pulvinar ut noſtrum manu
Abomineris tangere:
Saltem latentes paginas
Libroſque opertos detege,
Quo ſecta pravum ſeminans
Juſtis crematur ignibus

Annotanda verba illa, *Quo Secta pravum ſeminans*. Cum enim Vincentius Diaconus eſſet, cui ſacra publica ſcripta tradebantur cuſtodienda, aſſerere conjectando poſſumus, Judicem intellexiſſe, atque exurendas poſtulaſſe Epiſtolas haſce Encyclicas, ſeu Salutatorias, quibus per Orbem diſſeminatis, vera dogmata, fideique unitas cuſtodiebantur. Sed & haec tentamenta aſpernatus fortiſſimus pietatis athleta, ſecreti ſacrique Arcani tenax ad vitam uſque profundendam, repoſuit.

Quem tu malignè myſticis
Minitaris ignem literis
Flagrabis ipſe hoc juſtius.
Romphaea nam coeleſtium
Vindex erit voluminum,
Tanti veneni interpretem
Linguam perurens fulmine.

Quam-

Quamvis ergo grave eſſet traditionis crimen , nullam tamen haſtenus conſtitutam illi poenam fuiſſe , deprehendimus, nec ea ſcripto primitùs evulgata reperitur , niſi ſub initium Diocletianeae perſecutionis à laudatis Martyribus 284
in ſua illa Encyclica, quam expoſita in ſuperioribus ratione Epiſcopi adprobarunt . Martyres enim Encyclicas haſce emittentes , publico Eccleſiarum bono proluturas , ad Epiſcopos, atque imprimis ad Primates dirigebant, ut Synodici decreti vim authoritatemque deinceps obtinerent.

Quae haſtenus pertraſtavimus, praecipua fuere Encyclicarum argumenta, atque uſitatior materies. Haec enim omnia Eccleſiarum bonum , publicamque inſtitutionem reſpicientia , publico etiam ſcripto omnibus intimari decebat , ut communi acceptatione , ac ſubſcriptione firmata , univerſis prodeſſent ad fidei, religionis, diſciplinaeque unitatem.

ſ. V.

DE EXAMINE PRAEMISSO IN ENCYCLICIS SIVE CONDENDIS, SIVE RECIPIENDIS.

Synopſis .

I. *Eccleſia Divino Spiritu regitur* . II. *Quid apud Romanos jus primae relationis* . III. *Eo jure Petrus interlocutus eſt , & ſubinde Jacobus , quatenus Civitatis Epiſcopus , antequam Synodica in Concilio Hieroſol. conderetur* . IV. *Preſbyteri Doctores Antiochiae , & alibi electi, ad examen admiſſi* . V. *Presbyterium in Ignatii Epiſtolis commendatum* . VI. *Hoſce Presbyteros nuncupat Apoſtolos*. VII *Eadem appellatio variis monumentis adſtruitur* . VIII. *Epiſcoporum , & Presbyterorum conſenſio magni erat ponderis* . IX. *Presbyterorum DD. conſecratio* . X. *Doctores antonomaſticè dicti Presbyteri* : XI. *Inſurgente haereſi , Epiſcopus loci contrahebat Presbyterium , & ſimul condebant Encyclicas* . XII. *Epiſcopi Presbyterio confidebant* . XIII. *Epiſcopi nihil ſine illo decernebant , ex Cypriano* . XIV. *Rei hujus documentum in Eccleſia Romana ſub Cornelio* . XV. *De condendis , aut*

ſuſcipiendis Encyclicis examen in Presbyterio inſtitutum. XVI. *DD. Presbyterorum vota, & ſententiae Encyclicis annectebantur*. XVII. *Cauſſa Libellaticorum per Encyclicam terminata*. XVIII. *Similiter cauſſa Arii*. XIX. *Activum Eccleſiae in biſce Epiſtolis Magiſterium vendicatur*. XX. *Partes examinis proponuntur*.

I. EA eſt ratio, qua dirigit & ducit Spiritus Sanctus Eccleſiam, cum ipſa uſque ad ſeculorum conſummationem ex Chriſti Domini promiſſione manſurus, ut humana media non auferat, nec eam Phanaticorum modo ejuſdem impulſum experiri velit, ſed illa quoties adhiberi convenit, expeditve, proponat ipſe, & ad finem ſuggerat opportuniora: ita ut quum ea alioquin per ſemet defectibilia ſint, utpote ex hominum labore, atque induſtria comparata; peculiari virtute aſſiſtens Divinus Spiritus, in decernendis praeſertim controverſiis certiſſimus ductor ſit, & author. Encyclicarum prior, & auguſtior forma proponitur nobis in
47 Synodica Hieroſolymitani Concilii Actorum 15. Apoſtoli
in ea condenda, cum Spiritum S. nedum adjuvantem, ſed
etiam perfectiſſimè inhabitantem haberent, non ex privato
cujuſdam judicio praepoſtero, & feſtinante decernere voluerunt, ſed diligens ac ſedulum praemiſére in controverſia dirimenda examen. Turbas commoverant uſquequaque Judaïzantes, ad quas compeſcendas conveniendum in coetum, duxerunt Apoſtoli, adſciſcendos ſocios Doctores, Se-
315 niores ſcilicet, quos Chorëpiſcopos vocat can. 13. Neöcaeſarienſis Synodus, audiendos diſceptantes, & adinſtar legitimi coetus, actis diſcuſſis expenſiſque, ultimam proferendam ſententiam.

II. Spectabilius apparebit inſtituti examinis ordo, ſi jura in dicendo Romani Senatus ſpectemus, eorumque documentum ex gravi illa concertatione Senatum inter & Exercitum de jure deligendi Principis repetamus. Utraque
274 pars, Aureliano Imperatore interfecto, eam ſibi praerogativam vendicabat, atque ita Senatus hinc, inde milites diſceptarunt, ut, referente Flavio Vopiſco in Tacito, *dum-*
310 *que id ſaepius fit, ſextus peractus eſt menſis*. Conſul itaque in Senatu electionem propoſuit. *Poſt haec quum Tacitus*,

qui

qui erat primae ſententiae Conſularis, ſententiam incertum quam
vellet, dicere. Sequitur ſecunda ſententia, de qua Vopiſcus
ibidem: *Praeterea qui poſt Tacitum ſedebat Senatus Conſula-*
ris, Metius Fulconius Nicomachus in haec verba diſſeruit. Or-
dinem eundem ſervatum in Probo notat. Hinc praerogati-
va audit primae relationis in judiciis ferendis, velut majo-
ris authoritatis ſpecimen. Tacitum vero renuentem in ea
animorum commotione, de jure ſummarum poteſtatum
contendentium, oblatam decretamque Imperatoris digni-
tatem capeſſere, Senatus & rationibus, & authoritate pel-
licere adgreſſus eſt; quae omnia prolixe Vopiſcus enarrat.

III. In illo itaque Apoſtolico coetu, quem futurum re-
liquorum exemplar Apoſtoli propoſuerunt, Petrus illorum
Coriphoeus & Princeps, & Jacobus Hieroſolymorum Epi-
ſcopus, velut Praeſides, ſederunt. Hinc factum, ut in Con-
ciliis ſive Oecumenicis, ſive Nationalibus poſt conſtitutum
Praeſidem ſederet Epiſcopus Civitatis, in quam coetus con-
venerat. Sic in Antiocheno Euſebius Nicomedienſis & Fla-
cillas Epiſcopus Antiochenus praeſederunt, ut Athanaſius 341
lib. de Synodis, & Socrates lib. 2. c. 10. prodidere. Simili- 326
ter in Epheſino generali Concilio unà cum Cyrillo primas 440
egit partes Memnon Epheſinus Epiſcopus, ut ipſa Conci- 431
lii acta teſtantur. Petrus ergo jure primae relationis ſer-
monem habuit, probavitque ex viſione, ſibi coelitus obla-
ta, gentes haud teneri ad legalia cum Evangelio jungenda.
Viri Fratres, vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus in nobis ele-
git, per os meum audire gentes verbum Evangelii, & credere.
Actorum 15. v. 7. Ad hanc Petri interlocutionem confir-
mandam acceſſere ſuo calculo Paulus, & Barnabas, *narran-*
tes quanta Deus feciſſet ſigna, & prodigia per eos, unde ſatis
comprobata erat viſio, & divina edita revelatio: quippe Deus
tot portenta apud gentes, quae legalia praetermiſerant, &
circumciſionis jugo ſubjici detrectabant, minimè perpetraſ-
ſet, ſi Evangelica fides ad perfectum religionis cultum ſuffi-
ciens non fuiſſet. Jacobus vero Hieroſolymitanus Epiſco-
pus congeſtis tandem Sacrorum Bibliorum teſtimoniis,
oſtendit veritatem hanc à Prophetis fuiſſe praenunciatam,
antiquanda videlicet eſſe legalia, cum novum tabernaculum
per Chriſtum induceretur. Iſtiuſmodi autem praemiſſo exa-

mine,

mine, magna illa, ut B. Lucas loquitur, finem accepit diſceptatio, ac deinde Synodica ad Provincias directa eſt, ſimulque data forma, juxta quam ceterae quotquot emergere poterant diſceptationes tranſigendae eſſent. Haec itaque prima eſt Synodica, & primum Encyclicarum deinceps emanatarum exemplar, quas omnes diligenti praehabito examine conditas, aggredimur oſtendendum.

Verum quod contingit in condendis legibus, ſive potius in conditarum expendenda dignitate, ac merito, ut, niſi prae oculis habeantur ſummarum poteſtatum jura, aſſeſſores, Conſiliarii, reliquique Miniſtri, atque eorumdem in decernendo agendoque prudentia, & induſtria, vix illarum pondus & aeſtimium percipi queat: ita prorſus, niſi judiciorum primitivae Eccleſiae ordo, atque in decernendo adhibita cautio diligenti indagine perquiratur, conditarum Encyclicarum, & ſimilium Eccleſiae decretorum naturam nuſquam pro dignitate aſſequemur. Iccirco breviter indicandi ſunt modi, quibus Epiſcopi judicium quodvis ſive decretum, publico Eccleſiarum bono emanatum, evulgare conſueverunt.

IV. Ab Apoſtolis ipſis, atque à prima Chriſtianorum Eccleſia formam repetamus, ab ipſa ſcilicet primaeva origine nominis Chriſtiani. Antiochena haec eſt, de qua Lucas in actis cap. 13. v. 1. *Erant autem in Eccleſia, quae erat Antiochiae, Prophetae, & Doctores*. Hos denique abs prudentia & rerum gerendarum conſilio Paulus, Johannes, aliique in ſuis epiſtolis Presbyteros indigetarunt. Adfuere iidem Hieroſolymitanae Synodo; & quemadmodum hìc adhibiti fuerunt conſeſſores, aſſeſſores, in judicio Socij, atque ex aequo in Synodica cum Apoſtolis in judicantium, ac imponentium cenſu leguntur habiti, ita in Eccleſia qualibet erant Presbyteri Doctores, quorum coetus Presbyterium appellabatur, & quos Epiſcopi dirigendorum, ac decernendorum Socios habentes, eorumdem conſilio in Eccleſiis regundis utebantur.

V. Presbyterorum Doctorum inſtitutionem, atque Apoſtolico ſeculo uſum, & aeſtimium repraeſentat Apoſtolorum
101 diſcipulus S. Ignatius in ſuis non interpolatis epiſtolis, in quibus pleriſque omnibus unà cum Epiſcopo Presbyterium

ſalutat. In epiſtola enim ad Smyrnaeos monita fidelibus pro ſuſcepta fide retinenda tradit, atque inter alia illud urget. *Omnes Epiſcopum ſequimini, & Presbyterium, ut Apoſtolos.* Quae verba laudantur à Damaſceno 2. Parall. 25.
Epiſtolam deinde claudit eorumdem ſalutatione. *Saluto Deo dignum Epiſcopum, & Deo decorum Presbyterium.* Ultima haec verba aliter alia legit translatio: *Presbyteros Doctores.* Conſonantiam porrò ab Epiſcopo, & Presbyterio in dirigendo, & decernendo ſervandam, hunc in modum in epiſtola ad Epheſios data proponit: *Unde decet vos in Epiſcopi ſententiam concurrere, quod & facitis: nam memorabile veſtrum Presbyterium, Deo dignum, ita cooptatum eſt Epiſcopo, ut chordae Citharae.* Et mox ibid. §. 20. hortatur omnes, *ut obediatis Epiſcopo, & Presbyterio.* Univerſis quidem in epiſtolis eadem repetit, nec uſquam Epiſcopum à Presbyterio divellit, ſed perpetuo conſpirantes ad ſervandam unitatem animos repraeſentat. Unde Magneſianos his alloquitur. *Hortor, ut hoc ſit veſtrum ſtudium, in Dei concordia omnia agere, Epiſcopo praeſidente Dei loco, & Presbyteris loco Senatus Apoſtolici.* Ad utriuſque conſeſsus commendandam dignitatem ſubjungit: *Quemadmodum igitur Dominus ſine Patre nihil facit ipſi unitus, neque per ſe ipſum, neque per Apoſtolos, ita neque vos ſine Epiſcopo, & Presbyterio quidquam agite.* Pergit num. 13. eoſdem hortari, ut in una fide, & unione perſeveranter degant, *Cum digniſſimo Epiſcopo veſtro, & dignè contexta ſpirituali corona Presbyterii veſtri.* Nec aliter concordiam hanc Epiſcopum inter, & Presbyterium urget in epiſtola ad Philadelphienſes, de uno altari diſſerens. Illud enim, inquit S. Martyr, unum eſſe debet ob ſacrificii, & hoſtiae unitatem, *Sicut unus eſt Epiſcopus cum Preſbyterio.* Propoſitam utrique obedientiam, eiuſque neceſſitatem pugnantiſſimis hiſce verbis perurget. *Clamavi cum interriſſem, locutus ſum magna voce: Dei Epiſcopo, & Presbyterio attendite.* Noverat equidem vir ille Apoſtolicus, quam formam pro Eccleſiarum inducendo efformandoque regimine Apoſtoli Magiſtri commendaſſent, qui abſque Presbyteris nihil agendum duxerant, & Epiſcopis à ſe conſtitutis ſolicitudinem demandabant efformandi Presbyterii. Quapropter ad Trallianos ſcribens, ſedulo monet, revereri Epiſco-

740

Digitized by Google

pum, *& Preſbyteros, ut conſeſſum Dei, & ut conjunctionem Apoſtolorum*. Addit ab exemplo Antiochenae primae Eccleſiae, in qua à Petro Epiſcopus ſubſtitutus ipſe fuerat. *Sine his Eccleſia non vocatur*. Eccleſiae enim Antiochenae hanc Lucas ipſe attribuit praerogativam, quod cum Epiſcopis Presbyteros Doctores haberet. Rationem autem ſui dicti ſubjungit in eadem epiſtola num. 7. *Qui intra altare eſt, mundus eſt; qui vero extra eſt, non eſt mundus: hoc eſt, qui ſine Epiſcopis, & Preſbyteris quicquam agit, is non eſt mundus in conſcientia*. Tandem concludit: *Valete in Jeſu Chriſto ſubjecti Epiſcopo, ut Dei mandato, & ſimiliter Preſbyterio*.

VI. Praetereundum non arbitramur ſine diligentiori commentario ejuſdem epiſtolae locum, qui accuratè expenſus hujus Presbyterii inſtitutionem, & munera magis comprobabit, ſimulque hinc conſtabit cùm examen rerum omnium ab his ſuſceptum, tùm quomodo acquieverint tutò fideles decretis, aut monitis abs illorum coetu emanatis. Scribit itaque Ignatius in ea epiſtola num. 71. de quibuſdam à fidelibus refugiendis, & mox addit. *A talibus igitur vos cuſtodite: quod fiet, ſi inflati non fueritis, & indivulſi manſeritis à Deo Jeſu Chriſto, & Epiſcopo, & praeceptis Apoſtolorum*. Quo loci voce Apoſtolorum non ipſos equidem à Chriſto delectos Apoſtolos intelligit, ſed hauddubie Preſbyteros. Apoſtolos enim ubicumque in epiſtolis ſuis memorat, praeponit Epiſcopis: In hac tantum poſtpoſuit; unde aſſeramus neceſſe eſt, Presbyteros ibi Apoſtolorum voce cohoneſtari ob Doctoratus munus, quo prae aliis fuerant inſigniti.

65 VII. Hinc lucem foeneratur Hermetis locus l. 3. Similitud. 9. ita differentis. *Quadraginta vero Apoſtoli, & Doctores ſunt praedicationis Filii Dei*. Undenam tot Apoſtolos in uno loco vocaret, niſi eo nomine Presbyteros Doctores intelligeret, qui Evangelio praedicando operam locarent ſuam, Urbes, regioneſque animarum quaeſtu perluſtrantes. Apoſtolico equidem & proximo ſeculo vocis hujus notio, & uſus frequens audiebatur. Iccirco poſtquam Manes ab Archelaö in diſputatione publica victus, aufugit apud Diodorum Presbyterum in Vico Charenſi, hunc inter & Haereſiarcham nova indicta eſt diſputatio coram illius Vici po-

pulo.

Digitized by Google

pulo. Advenit inopinatò auxiliator Archelaüs, cujus ad- 278
ventum hac notione produnt acta, à Cl. Zachagna edita in Monument. vet. *Multitudo vero auditorum adventum Archelaï, veluti Apoſtoli praeſentiam, opinata eſt pro eo, quod ad Verbi defenſionem tam paratus, & tam promtus exiſteret.* Imo & ipſe Manes Apoſtoli ſeſe titulo decorare non eſt veritus in Epiſtola Encyclica, quam ſequacibus direxit, & cujus paſſim meminit Auguſtinus, annotans *Chriſti Apoſtolum* ſe illum
inſcripſiſſe. In diſputatione quoque ſua cum Archelaö idem 396
praeſeferre auſus eſt. *Tu quoque*, inquit, *Archelaë, benè me de Deo ſentientem, dignamque opinionem de Chriſto retinentem verbis moleſtiſſimis obtundis, licet tale ſit Apoſtolorum genus.* Dixerat enim antea id ipſum in diſceptatione, ſic Auditores compellans. *Ego, viri Fratres, Chriſti quidem ſum diſcipulus, Apoſtolus vero Jeſu; pro nimia autem humanitate Marcelli adeſſe feſtinavi, ut qualiter oporteat obſervare modum Divinae Religionis eum edoceam.* Et mox. *Teſtimonium accipite, Apoſtolum me eſſe Chriſti electum.* Hùc etiam referendum eſt,
quod Diſſertationis initio dicebamus ex Euſebio, Themi- 172
ſionem uſurpaſſe Apoſtoli nomen, & Epiſtolam catholicam conſcripſiſſe ad Chriſtianos omnes dirigendam. Atque hoc ſenſu libellus Synodicus Apoſtoli vocem uſurpat, quam Conſtantino M. tuenti, atque promoventi Chriſtianam Religionem tribuit, recolens Nicaena acta. *Conſtantinus inter Chri-*
ſtianos Imperatores Apoſtolus. Hinc etiam fit, ut Cyprianus 248
Novatianorum artes depingens, dicat, *Novatianum per plurimas Civitates novos Apoſtolos ſuos mittere.* Quando videlicet Urbis Epiſcopatum uſurpans cum adverſus Cornelium, tùm etiam adverſus Encyclicam ab Orbis Epiſcopis ſcriptam pro Lapſis venia donandis, circumquaque cum Antencyclica Presbyteros ſuos direxit. Qua de re alibi commodius diſſeretur. Presbyteri itaque Doctores, iſtiuſmodi officio atque exercitatione ad fidei diſciplinaeque cuſtodiam ordinati, Apoſtolorum nomine indigetantur, eorumque ſequenda praecepta dixit Ignatius. Non abſimili phraſeologia uſus eſt Irenaeus l. 4. c. 20. ſcribens: *Sacerdotes ſunt omnes Domi-*
ni Apoſtoli, qui neque agros, neque domos haereditant hic, ſed 167
ſemper Altari, ac Deo ſerviunt. Equidem Presbyteris Doctoribus id etiam muneris injunctum erat, ut vexatas erro-

rum

rum contagio regiones peragrantes, infectos expurgarent, atque peregrinarum doctrinarum ſatoribus occurrerent. Ut propterea mirum non ſit, eos Apoſtolorum nomine dignos fuiſſe habitos.

VIII. Inſtitutum hocce Presbyterii, & Epiſcopi, eorumdemque in examine, & doctrina concordiam commonſtra-
65. vit Angelus Hermae l. 1. viſione 3. *Lapides quem illi quadrati, & albi convenientes in commiſſuris, ii ſunt Apoſtoli, & Epiſcopi, & Doctores, & Miniſtri, qui ingreſſi ſunt in clementia Dei, & Epiſcopatum geſſerunt, & docuerunt, & miniſtraverunt ſanctè, & modeſtè electis Dei, qui dormierunt, quique adhuc ſunt, & ſemper cum illo convenerunt, & in ſe pacem habuerunt, & à ſe invicem audierunt.* Quibus equidem illorum officia, diligens adhibitum examen, doctrinaeque concordia ad regimen ordinata, atque ad fidelium bonum, graphicè deſcribuntur.

IX. Horum autem Presbyterorum Doctorum dignitas ex eo etiam elucet, quod nonniſi cautiſſimo delectu, & exteriore quadam ſacra caeremonia ad munus hocce deputarentur. Per manus enim impoſitionem, per certos ritus, & deprecationes ab Epiſcopo deputari debuiſſe, docet etiam apud Armenios Vertabieti, ut vocant, ſeu Eccleſiae Doctoris conſecratio, quam cum natio illa, tum antiquiores Orientales in hunc uſque diem adhibent, qui nec ad Epiſcopatum quemquam aſſumunt, niſi ſacra illa deputatione praemiſſa. Rei hujus veſtigia reperire licet in Cypriano epiſt. 24. ſcribente. *Ut quando cum Presbyteris Doctoribus Lectores diligenter probaremus, Optatum inter Lectores Doctorem Audientium conſtituimus, examinantes an congruerent illis teſtimonia, quae eſſe debent in iis, qui ad Clerum probantur.*

X. In priſca equidem potiſſimum Eccleſia Presbyteri Doctores fuerunt dignitate quadam praeter Sacerdotalem inſigniti. Unde qui antonomaſticè Presbyteri vocabantur, iidem celeberrimi erant Doctores: proindeque nil mirum, ſi Clemens Presbyter Alexandrinus, Tertullianus Presbyter Carthaginenſis, Rufinus Presbyter Aquileïenſis, aliique doctrina ſcriptiſque celebriores indigetantur, eo mehercle titulo cohoneſtati, non quod ſimplici Sacerdotali conſecratione munerati eſſent (erant enim complures alii Sacerdo-

tes

tes, qui tamen Presbyteri nequaquam vocabantur) ſed quod praeter Sacerdotii ordinationem praerogativa gauderent Eccleſiaſtici Doctoratus, quo à ceteris in gradu, ac regimine ſecernebantur. Hinc in Canonibus Ancyranis, & Neöcaeſarienſibus, ann. 314. & 315. editis, diſcrimen ponitur in poenis Sacerdotum lapſorum, per quas vel auferebatur illis oblatio, vel ſeſſio conceſſa Presbyterorum gradui: adeo ut quibuſdam, interdicta oblatione, ſeſſio concederetur Presbyteratus. Quod equidem praerogativam deſignat aliquam, qua ſupra reliquos ſimplices Sacerdotes, Presbyteri Doctores praeeminebant.

XI. His ita de Presbyterorum Doctorum in primitiva Eccleſia inſtitutione, ſcopo, atque aeſtimio diſputatis, pronum erit deprehendere rationem, qua Encyclicae condebantur, conditaeque, & Eccleſiis intimatae ad conſenſum, & ſubſcriptionem recipiebantur. Enata haereſi quapiam, & nova peregrinaque doctrina per Impoſtores inducta, Primas, vel Epiſcopus Presbyteros ad Concilium vocabat, vel ſi per tempus liceret, Epiſcopos: reque maturè in Presbyterio diſcuſſa, quod communi conſilio decretum erat, id deinde ad proximae regionis Eccleſias dirigebatur, quae, advocato pariter Presbyterio, ac recitata primùm Encyclica epiſtola, ſi receptae in ea doctrinae concors deprehendebatur, ſubjectis populis intimabant. Atque hac ratione ultrò citròque tranſmiſsâ Encyclicâ, Epiſcoporum conſenſum & ſubſcriptionem praeſtolari conſuetum erat. In ſingulis Diſſertatione II. cenſendis Encyclicis, cautelam hanc religiosè fuiſſe adhibitam, quamcertiſſimè oſtendemus. Satis modo ſit notiones inſtitutionis hujus generaliores tradidiſſe, quibus de diligenti praemiſſo, concomitante, aut ſubſecuto examine in condendis recipiendiſque Encyclicis ſufficienter conſtet.

XII. Epiſcopi itaque ad Apoſtolicae Antiochenae Eccleſiae exemplum, Presbyterio inconſulto, de cauſſis Eccleſiaſticis decernere conſueverunt omnino nihil. Sic quum Carthagine ſuſcepta eſt cognitio cauſſae Gemnitii Presbyteri, qui tutorem geſſerat, Cyprianus, anteaquam quidquam pronunciaret, Presbyteros, quos in cauſſae cognitionem ſocios admiſerat, ſententiae quoque ferendae ſocios habere voluit. 248

Quod teſtatur epiſt. 66. *Graviter commoti ſumus Ego, & Col-*
legae mei, qui praeſentes aderant, & compresbyteri mei, qui
nobis aſſidebant. Cypriano itaque Primati aſſidebant Colle-
gae Epiſcopi, nec non compresbyteri. Seſſio equidem haec,
ut ex laudatis Conciliis vidimus, grandis erat praerogativa;
196 quam illis etiam verbis expreſſit Tertullianus de Pudicit. c.
7. *Differentiam inter ordinem, & plebem conſtituit Eccleſiae au-*
thoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus. Iſtiuſmodi
167 autem exterior honoris ordo abs antiquiſſima Eccleſiae inſti-
tutione manavit, referente Irenaeo l. 4. c. 44. de quibuſ-
dam intruſis Presbyteris, *qui Principalis conſeſſionis honore*
elati ſunt. Apparet idem ex Cypriano, qui quum ad Preſ-
byteri Doctoris gradum quempiam provexiſſet, ſcribit ad
Clerum epiſt. 34. *Presbyteri honorem nos illi jam deſignaſſe ſcia-*
tis, & ſeſſuri nobiſcum. Ubi pro inſigni quapiam praerogati-
va conſeſſum hunc ſpecialiter annotat. Hinc etiam honor
314 Sedis in Ancyrano can. 1. vocatur. *Hos ergo placuit honorem*
quidem ſedis retinere. Et can. 17. agens de Epiſcopis ordina-
tis, ſed quos non recipit populus, iis tantum *Presbyterii pri-*
mum ordinem concedit, & ut Presbyteri reſidere. Itaque Preſ-
byteri Doctores Epiſcopo in Eccleſia aſſidebant, quorum
398 convictus domi quoque eidem neceſſarius erat, ex Carthag.
Conc. can. 35. *Epiſcopus in Eccleſia, & in conſeſſu Presbytero-*
rum ſublimior ſedeat, intra domum vero Collegam ſe Presbyte-
rorum eſſe cognoſcat. Conſeſſum, ejuſque ſitum graphicè
370 pingit Nazianzenus in carmine de Baſilica S. Anaſtaſiae.

Sede alta, aut alta conſidere mente videbar:
Nam neque per ſomnum mente ſuperbus eram.
Presbyterique graves ſellis utrique ſedebant
Demiſſis, aetaſque lecta duceſque gregis
Veſtibus in niveis adſtabat turba miniſtrans.

Et Hilarus Diaconus in Comment. ad 1. Corinth. c. 14.
354 conſeſſum Presbyterorum ex Seniorum Synagogae forma in
hunc modum deſcribit. *Haec traditio Synagogae eſt, quam*
nos vult ſectari Apoſtolus, quia Chriſtianis quidem ſcribit, ſed fa-
ctis ex gentibus, & non ex Judaeis, ut ſedentes diſputent Senio-
res dignitate in Cathedris, ſequentes in ſubſelliis, noviſſimi in

pa-

pavimento. Conſeſſùs itaque praerogativa honoris erat argumentum.

XIII. Sed ad Cyprianum regredientes, ulterius nonnulla ab ipſo diſcimus, ex quibus Presbyterii dignitas, & illius in cauſſis atque ſententiis dicundis neceſſitas plane conſtat. Inter ceteras ad Carthaginenſes Presbyteros Doctores ſcriptas, duas ſeligimus epiſtolas, in quibus, quum ſemet perſecutioni ſubduxiſſet, è ſeceſſu plura ad paſtoralem Eccleſiae ſolicitudinem ſpectantia ſcripſit, illud tamen ſancte religioſeque teſtatus, fixum ſibi eſſe atque conſtitutum, abſque illorum conſilio nihil omnino decernere. Qua de re in epiſt. 6. *Ad id verò quod ſcripſerunt compresbyteri noſtri Donatus, & Fortunatus, Novatus, & Gordius, ſolus reſcribere nihil potui, quando à primordio Epiſcopatus mei ſtatuerim, nibil ſine conſilio veſtro, & ſine conſenſu plebis meae privatim ſententiâ gerere. Sed cum ad vos per Dei gratiam venero, tunc de iis, quae vel geſta ſunt, vel gerenda, ſicut mutuus bonor poſcit, tractabimus*. Et in epiſt. 13. ad eoſdem data, iterum illis inconſultis nihil ſe ultima ſententia deliberaturum repetit. *Cum Fraternitatis noſtrae vel utilitas, vel neceſſitas ſic utique gubernetur, ſi à vobis inſtructi rerum gerendarum, conſilium limare poſſimus*.

XIV. Eadem Romanorum fuit conſuetudo; unde & ab ipſo Petro, & deinceps ab aliis ſuſcepta eſt, atque uſu firmata in aſſignandis Pontifici Presbyteris, ceu Aſſeſſoribus, ac Conſiliariis, ut vetera monumenta teſtantur. Hac de re Cornelius Pontifex in epiſtola Cypriano data ediſſerit, occaſione, qua Antiſtitem Carthaginenſem, & per ipſum Africanarum Provinciarum Epiſcopos certiores facit, Novatianorum complures à Schiſmate regreſſos, atque ad meliorem frugem eſſe converſos. De ratione enim ſuſcipiendi ad poenitentiam Schiſmaticos ſe cum Presbyterio deliberaſſe teſtatur his verbis. *Qui cum veniſſent, & à Presbyteris, quae geſſerant exigerentur, noviſſime quod per omnes Eccleſias literae calumniis, & maledictis plenae, eorum nomine frequentes miſſae fuiſſent, & pene omnes Eccleſias perturbaſſent, circumventos ſe affirmaverunt ...... Omni igitur actu ad me perlato, contraxi Presbyterium*. Videat B. L. ordinem ſervatum: Poenitentiarii Doctores Presbyteri acta regreſſorum à Schiſmate, & 251

poenitentiam trutinabant. Encyclicas calumniis oppletas contra Cornelii Encyclicas emiſerant Novatiani; has imprimis ad examen adducunt Doctores. Quoniam vero ex illorum confeſſione deprehenſum eſt, deceptos eoſdem fuiſſe & ſeductos, rem ad Cornelium Doctores referunt, & Pontifex, contracto Presbyterio, deliberaturus ſedit. Adjicit quinque cum Presbyterio adſuiſſe Epiſcopos, geſta ad examen revocaturos, ut condigna poenitentia Antencyclicarum facinus puniretur: atque inſuper Epiſcopos, ac Presbyteros vota ſua ſcripto exaraſſe, quae ut Cyprianus dignoſceret, ad Epiſtolae calcem adjunxerint, *& ut motum omnium, & conſilium ſingulorum dignoſceret, & ſententias noſtras, placuit in notitiam veſtri perferre, quas & ſubjectas leges*. Amanuenſium incuria excidêre vota compresbyterorum, & Epiſcoporum ſententiae, quae ſi ſupereſſent, dilucidiùs praemiſſum examen in id genus epiſtolis emittendis commonſtrarent.

XV. Cum itaque haec contrahendi Presbyterii conſuetudo accuratiſſimè obſervaretur, qualibet urgente publica Eccleſiarum neceſſitate, arduum non erit rationem deprehendere, qua conderentur Encyclicae, conditaeque ab Eccleſiis ſuſciperentur. Ut enim in reliquis ad Eccleſiae doctrinam atque regimen ſpectantibus, ita in controverſiis, Encyclicarum medio finiendis, ut illibata ſervaretur fides, potiſſima Epiſcoporum ſolicitudo erat, Presbyterium contrahere, atque Eccleſiarum profeſſionibus, & Salutatoriis epiſtolis accuratè expenſis, quae in earumdem Archivis quam diligentiſſimè ſervabantur, rem diſceptatam trutinare, & decernere quid unanimi Eccleſiarum profeſſioni, & communi traditioni adverſaretur, & quid concordi omnium ſententia eſſet receptum, ut idipſum Eccleſiis ſingulis intimatum, atque ab eiſdem non abſimili examine ſuſceptum, confirmaretur, & quidquid alienum contrariumque erat, reſpueretur. Plerumque in abſtruſioribus rebus Encyclicae Epiſtolae vota Epiſcopi, & Presbyterii annectebantur. Innumera exſtant receptae conſuetudinis documenta, quae, quoniam ſingula perſequi eſt alterius inſtituendae Diſſertationis argumentum, expendenda ibidem reſervamus. Unum vel alterum adduxiſſe ſat erit, ex quibus facti hujus exami-

nis praeclara veſtigia quaedam deprehendantur.

XVI. Ac primum quidem proferimus monumentum ex epiſtola Cleri Romani, Sede vacante, Cypriano data, in qua & Presbyteria coacta, & celebratas Epiſcoporum Synodos laudat, ut Libellaticorum terminaretur controverſia, qui poſt admiſſum Idololatriae crimen, Martyrum precibus fulti, nulliſque praemiſſis verae poenitentiae indiciis, praepropera feſtinatione reconciliationem ſibi ultrò dandam queruli atque importuni clamitabant, nimiaeque crudelitatis incuſabant Epiſcopos, qui cum eis cautè decreverant eſſe agendum. Inter accuſatos erat Cyprianus, erat & Romanus Clerus, qui probè gnarus, Epiſcopos in Encyclica, de qua in ſecunda Diſſert., ſtatuiſſe, Libellaticis poenitentia functis, in exitu tantum vitae reconciliationem eſſe dandam, iſtiuſmodi audiens querelas, haec eidem Cypriano ſcripſit. I. Tametſi poſt tot habitas diſceptationes haec in Libellaticos publicata ſententia è Coeleſti velut decreto profecta cenſeretur, fatetur nihilominus ſe lubenter Fratrum comprobationem auditurum circa propoſitam praeſcriptamque diſciplinam: *Quamquam bene ſibi conſcius animus* (inquit laudatus Clerus) *& Evangelicae diſciplinae vigore ſubnixus, & verus ſibi in decretis coeleſtibus teſtis effectus, ſoleat ſolo Deo Judice eſſe contentus, nec alterius laudes petere, aut accuſationes pertimeſcere: tamen geminata ſunt laude condigni, qui cum conſcientiam ſciant Deo ſoli ſe debere Judici, actus tamen ſuos deſiderant etiam ab ipſis ſuis Fratribus comprobari.* Laudant Romani Doctores in eo Cyprianum, quod cùm in tractatu de Lapſis, tum etiam in epiſtolis claſſicum primus ceciniſſet adverſus Libertinos illos, & poſt Orbis communem acceptationem velut *Coeleſte decretum* recepiſſet, quod Epiſcopi in Encyclica decreverant; imo & ad ipſos iterum ſcripſerit, ut quod jamdudum decretum receptumque fuerat, comprobaretur. 250

XVII. Fatentur II. iſtiuſmodi Encyclicas relationes, pro controverſiis terminandis ultro, citroque miſſas, certam fuiſſe unitatis fidei, diſciplinaeque teſſeram: proindeque earumdem ſtatuta minimè diſſolvi poſſe, gravibus hiſce verbis exponere pergunt. *Quod tu, Frater Cypriane, facere non mirum eſt, qui pro tua verecundia, & ingenita induſtria conſilio-*

rum tuorum nos non tam Judices voluiſti, quàm participes inveniri; ut in tuis rebus geſtis laudem tecum, dum illas probamus, inveniremus, & tuorum conſiliorum bonorum cohaeredes, qui affirmatores eſſe poſſimus. Idem enim omnes credimur operati, in quo deprehendimur eadem omnes cenſere, & diſciplinae conſenſione ſociari. Cohaeredes ſemet appellant, videlicet in iiſdem ſuſcipiundis decretis authores. Subdunt autem rationes, ob quas edito in Encyclicis decreto ſit obtemperandum; aïuntque etiam ante Encyclicam fuiſſe eandem in Eccleſia Romana ſervatam doctrinam. *Nec hoc nobis nunc nuper conſilium cogitatum eſt, nec haec apud nos adverſus improbos modo ſupervenerunt repentina ſubſidia, ſed antiqua haec apud nos ſeveritas, antiqua fides, diſciplina legitur antiqua.* Non alia
197 equidem antiqua legebatur diſciplina, niſi ſub Zephirino conſtituta, quando Montaniſtarum occaſione circa graviſſimorum omnium delictorum remiſſionem mota contentio eſt; & Epiſcopi literis adverſus Montaniſtas editis, Zephirino quid ſentiendum eſſet, expoſuere. Diſcimus hinc, in hiſce controverſiis priores profeſſiones, & Encyclica decreta diligenter fuiſſe expenſa. Tandem concludunt, rem hanc, inita conſtitutaque pace, per omnes Epiſcopos eſſe examinandam. *Quoniam nec firmum decretum poteſt eſſe, quod non plurimorum videbitur habuiſſe conſenſum.* Epiſtolam hanc totius Presbyterii nomine ſcripſit Novatianus, unus de Clero, atque ex ea, praeter argumentorum rationumque pondus, innoteſcit ſedula in hiſce Encyclicis edendis animadverſio, ſubactumque examen. Eidem annexuit Martyrum Epiſtolas, de quibus haec ille. *Quanquam Confeſſorum quoque, quos hic adhuc in carcerem dignitas ſuae confeſſionis incluſit, & ad certamen Evangelicum ſua fide in confeſſione jam glorioſa ſemel coronavit, literas habeas conſpirantes cum literis noſtris, quibus ſeveritatem Evangelicae diſciplinae protulerunt, & illicitas petitiones ab Eccleſiae pudore revocarunt.* Novatiani, ac per eum Romani Presbyterii nobiliſſima diſertiſſimaque haec epiſtola priſcum morem in examinandis accuratiſſimè Encyclicis ſive conditis, ſive ad illarum reſponſionem condendis, egregiè commonſtrat. Quae enim Cyprianus egerit, & quanta cautione in Encyclica perſcribenda inceſſerit, graphicè pingit, & nos ex illa, ubi de Libellatico-

rum

rum cauſſa, demonſtrabimus: & quomodo inſuper concordes fuerint in eadem ſententia Martyres, qui ambiguum difficileque certamen glorioſi & victores evaſerant. Nobilis quoque eſt aſſertio illa, quae & Encyclicarum epiſtolarum eſt fundamentum, tunc demum videlicet firmum evaſurum decretum, quum acceſſerit conſenſus plurimorum.

XVIII. Monumentum alterum ex cauſſa Ariana petimus, in qua, quum Alexander Alexandrinus Epiſcopus haereticum hominem, priori licet Encyclicâ damnatum, Antencyclicis tamen Orbis Epiſcopos commovere, turbaſque excitare videret, peſti longè lateque jam ſe proferenti, novis remediis occurrendum eſſe conſtituit. Id autem ita imprimis praeſtitit, ut proprium Presbyterium Alexandrinum, & Mareoticum, apud quem graſſabatur lues, acciret; unde univerſorum conſilio urgentiſſima media adhiberentur. Momenta inſtituti examinis reſervata nobis ſunt in fragmento à Cotelerio edito, & Tomo I. Conciliorum ab Harduino inſerto, in quo ſic interlocutum Alexandrum Epiſcopum legimus. *Alexander Presbyteris, & Diaconis Alexandriae, & Mareotae praeſens praeſentibus, dilectis Fratribus in Domino ſalutem. Tametſi jam ſubſcripſiſtis bis, quae miſi ad Arium, adhortans eum ad abnegandam impietatem, & ad aſſentiendum ſanae & Catholicae Fidei, rectumque oſtenderitis propoſitum veſtrum, & in dogmatibus conſenſum Eccleſiae Catholicae; tamen quoniam & ad omnes ubique Comminiſtros literas miſi de Ario, neceſſarium duxi vos quidem Civitatis Clericos congregare, vos autem qui de Mareote eſtis accerſere: praeſertim cum ex vobis Chares, & Piſtus Presbyteri, & Serapion, & Parammon, & Zoſimus, & Irenaeus Diaconi ſecuti ſint Arium, & voluerint ab eo deponi, ut & ea, quae nunc ſcribuntur, noveritis, veſtrumque in his conſenſum oſtendatis, & depoſitioni Arii, & Piſti adſtipulatores ſitis. Decet enimverò nunc vos ea, quae à me praeſcribuntur, & unumquemque eadem tanquam à ſe praeſcripta corde retinere.* Haec erat in Encyclicis tradendis, recipiendiſque cautio, hoc praemiſſum examen: imo & univerſis perſpectum exploratumque erat, decreta fidelibus vulganda, ab Epiſcopis, & Presbyteris, quorum erat illa ſuomet conſenſu roborare ac confirmare, nonniſi ſummo adhibito moderamine perſcribi, aut recipi conſueviſſe.

313 324

XIX. Hinc ſpontè ſua ruit mota à Thraſone quodam difficultas, qui, ut Eccleſiaſticae Hiſtoriae, diſciplinaeque reconditioris penetralia primis vix labiis attigit; ita Encyclicarum uſum, à nobis primitùs in Academia noſtra ſcripto traditum, ſtudioſaeque juventuti propoſitum audiens, rem haud planè aſſecutus, aſſeverare palam non erubuit, Eccleſiam quidem per Orbem diſperſam, eandem dogmatum profeſſionem cuſtodientem, paſſivo ſuo conſenſu idoneum eſſe veritatis teſtimonium: Secus, eandem non niſi in Concilio adunatam, activum Magiſterium exercere poſſe. Ut propterea doctrinale examen in pleno tantum coetu inſtitui poſſit; Paſtores autem in ſuis Cathedris conſidentes jus activum minimè habeant, etiam ubi in profitendo quopiam, aut proponendo fidelibus dogmate concordes unanimeſque deprehendantur. Adeo in avia homines abripit inſanabile illud, ac praeceps judicandi de incompertis cachoëtes. Verumtamen idipſum ſibi olim objectum, refert
396 Auguſtinus lib. 2. operis, quod ultimum adverſus Julianum exaravit. Cum enim ille Encyclicae adverſus Pelagium, & Coeleſtium editae, eodem aſtu illuderet, inquiens activum Eccleſiae judicium in ea minimè repraeſentari potuiſſe. *Quia rerum eſt maxima confuſio, & ſtolidorum maxima multitudo. Eripiuntur Eccleſiae gubernacula rationis, & erecto cornu velificatur dogma*. Quòd per eam videlicet doctrinale examen minimè poſſet inſtitui. Juliano reſponſurus Auguſtinus, ſtrenuè rem omnem explicat: quod & agit lib. 4. ad Bonifacium c. 18., ubi non abſimilem objectionem ſic refellit. *Sed quoniam dicunt inimicos ſuos dicta noſtra in odium veritatis ſuſcepiſſe, & toto penitus Occidente non minus ſtultum, quàm impium dogma eſſe ſuſceptum, & ſimplicibus Epiſcopis ſine congregatione Synodi in locis ſuis ſedentibus, ad hoc confirmandum ſubſcriptionem queruntur extortam; cum potius earum profanas vocum novitates Eccleſia Chriſti & Occidentalis, & Orientalis horruerit*. Pergit oſtendere, quo examine, quantaque cautione promulgata adverſus Pelagianos fuerit per Encyclicam damnatio, & quomodo Epiſcoporum in ſuis Cathedris ſedentium conſenſus, & ſubſcriptio Magiſterii vicem in Oriente, atque Occidente obtinuerit. Inſulſa itaque haec dicteria convellit, concluditque cap. ult. *Quid ergo*

eſt quod dicunt de ſimplicibus Epiſcopis ſine congregatione Synodi in ſuis locis ſedentibus, extorta ſubſcriptio eſt? Sed de praemiſſo examine, ſecutique judicii fide, ac pondere apud primitivam Eccleſiam aliqua modo tantum delibamus, pleniore tractatu idipſum in ſequentibus ita commonſtraturi, ut facile ſimilia quaevis offendicula exſufflari valeant, quae cordatis doctiſque viris ludibrium debent; & inania ſunt noſtris hiſce temporibus perfugia quorumdam, qui vim Eccleſiaſtici magiſterii, obtentu Concilii, declinant.

XX. Ut autem probationum ſummam attingamus, unde unuſquiſque activum Encyclicarum in decernendo judicium recognoſcat, haec cuilibet Encyclicae annecti conſuevere. I. Erat ac praecipuum curſoris Dominici fidelitatem & munus ex Diaconica diligenti criterio exſpiſcari. II. Ex notis, Encyclicae nunquam non annexis, explorare quaenam Eccleſia encyclicam mitteret. Quod diligenti examine factum, adducenda monumenta certum facient. III. Epiſcopi munus erat Encyclicam poſtea una cum Presbyterio ad traditam normam exigere. IV. Eadem ſic recognita, diligentique collatione cum prioribus profeſſionibus, tum in Preſbyterio, tum frequentius in Provincialibus, ac Localibus Synodis lectitata & probata, tunc demum, publicè recitabatur, fidelibus ſequenda proponendo, quae in Encyclica legebantur definita. V. Vota & ſubſcriptiones ſubjiciebantur Encyclicae, unde in ſubſcribentium dignitate, & votis, examinis pondus appareret. VI. Haec ad vicinas Eccleſias mutuis epiſtolis dirigebantur, ut omnium conſenſus, & fidei unitas dignoſceretur. Quae omnia ſigillatim explananda, adſtruendaque ſunt, quò facilè occurratur dubiis, eorum plerumque mentes occupantibus, qui ſacra Eccleſiae monumenta in compendiis lectitare conſueverunt.

§. VI.

§. VI.

DE ENCYCLICARUM AUTHORIBUS.

Synopſis.

I. *Encyclicarum Authores proponuntur.* II. *Praecipui ſupremique Encyclicarum conditores ſunt Romani Pontifices.* III. *Ceterorum Epiſcoporum Encyclicae ab illis erant confirmandae.* IV. *Adſtruitur id ex Epiſtola Cleri Romani ad Cyprianum, & Synodica Maximiniani Conſtantinopolitani ad Coeleſtinum.* V. *Ex Liberii Encyclica, & epiſtolis, quas dum reſcipiſcerent, PP. Ariminenſes ediderunt.* VI. *Synodica Epiſcoporum Italiae ad Illyricianos expenditur.* VII. *Liberii Encyclica ubique per Orientem fuit ſubſcripta.* VIII. *Legatorum ab Oriente ad Liberium miſſorum profeſſio.* IX. *Ab iiſdem in Ariminenſem Pſeudo-Synodum anathema dictum.* X. *Aſſenſi ſunt Occidentales Liberio.* XI. *Illorum literas recitarunt in Synodo Sicula Legati Orientalium.* XII. *Synodo quoque Tyanenſi propoſuerunt.* XIII. *Synodus quaevis, aut Primas Encyclicam emittebat.* XIV. *Particularium Epiſcoporum Encyclicae quo fuerint in aeſtimio.* XV. *Martyres quoque Encyclicas conſcribebant, quas Epiſcopi illorum evulgabant.* XVI. *Imperatores etiam eaſdem aliquando conſcripſerunt.*

I. POſt varias expoſitas Encyclicarum appellationes, diſcuſſum illarum argumentum, & enarratas praecipuas conditiones praemiſſi examinis, propius ad judicium activum in eis dignoſcendum accedimus, ac primo quidem de illarum authoribus diſſerendum, quaerendaque ratio eſt, qua ex priori inſtituto fuerint ad Eccleſias directae, atque ab eiſdem ſuſceptae.

Generali itaque aſſertione dicimus, Romanos Pontifices, praeter Decretales, alias quoque epiſtolas Encyclicas dediſſe. Synodi etiam ſive Patriarchales, ſive Nationales, ſive Provinciales, & Locales, imo & Epiſcopus quilibet in ſua Cathedra ſedens, & unaquaeque particula-

ris Eccleſia, pro ut ferebat occaſio, ejuſmodi epiſtolas exarabant, quum videlicet controverſiae gravitas, & fidei diſciplinaeque conſtituendae neceſſitas, praeſertim perſecutionum temporibus, Eccleſiarum Antiſtites permovebat, ut unanime per Encyclicam judicium ederent, omniumque conſenſu reprimeretur error, aut nata diſceptatio dirimeretur; atque adeo in mutuis datis epiſtolis, in concordi ſubſcriptione & voto, Eccleſiae totius in fide, ac diſciplina unitas dignoſceretur.

II. Ad Romanum imprimis Pontificem, cui Eccleſiarum ſolicitudo ſpeciatim fuit contradita, ſpectabat munus invigilandi pro earumdem pace, & unitate; quippe qui in altiſſima velut ſpecula conſtitutus, pro fidei unitate ſarta tectaque cuſtodienda, ſedulo excubare debebat, atque ubi nova emergerent, Eccleſiis quid recipiendum, quidve reſpuendum foret, per Encyclicas etiam proponere. Inſignia occurrunt conſuetudinis hujus teſtimonia, praecipue cum vulgatior Encyclicarum uſus evaſit. Decretalium cenſum, earumdemque authoritatem hìc minimè ſolicitamus: Sat nobis fuerit, generaliora quaedam Patrum effata ob oculos ponere, unde exploratum ſit, quam olim vulgata fuerit & communis hac de re perſuaſio. Equidem Tertullianus, tametſi Montani partibus jam addictus, recolens Zephirini 196
Pontificis Encyclicam in omnium Provinciarum Eccleſiis pervulgatam, qua Montaniſtae, docentes inter alia, Moechiae & fornicationis peccatum ex irremiſſibilibus eſſe, damnabantur, haec lib. de Pudicitia ſcribit. *Audio etiam Edictum eſſe propoſitum, & quidem peremtorium, Pontifex ſcilicet Maximus, quod eſt, Epiſcopus Epiſcoporum, edicit: Ego & Moechiae, & fornicationis delicta poenitentia functis dimitto.* Cum vero Encyclicum hujuſmodi edictum invidioſè perſtrinxiſſet, quòd ubique & in omnibus Eccleſiis fuiſſet pervulgatum, ſubjungit. *Sed hoc in Eccleſia legitur, & in Eccleſia pronunciatur, & virgo eſt.* Ex quibus planum eſt, fuiſſe imprimis Pontificum, hujuſmodi circularia decreta ab omnibus ſubſcribenda, & ſuſcipienda emittere ad fidem diſciplinamque ſarciendam. Divus quoque Auguſtinus de Innocentii reſcripto, quod omnium Epiſcoporum manus ro- 396
borarunt, lib. 2. c. 3. contra duas Pelagianorum Anten-

cyclicas epiſtolas ſcribit : *Per Papae reſcriptum cauſſa Pela-
gianorum finita eſt , totoque Orbe poſt ejus damnationem damna-
ti ſunt , ac literis Innocentii tota hac de re dubitatio ſublata eſt.*
Poſt hoc Apoſtolicae Sedis latum judicium , poſt Epiſcopo-
rum mutuas concordeſque Epiſtolas , id ipſum docentium ,
ulteriori examini minime locum ſupereſſe , ſcripſit Capreo-
431 lus Carthaginenſis primas ad Synodum Epheſinam , in qua
ejuſdem epiſtola probata eſt , quando ſcilicet Pelagiani , Ne-
ſtorio patrocinante , novum promovebant examen . *Tanta
conſtantia , & virtute quibuſcumque novis erroribus reſiſtatis , ne
hos quos pridem impugnavit Eccleſia , hiſque temporibus repullu-
lantes , Apoſtolicae Sedis authoritas , Sacerdotumque in unum
conſonans ſententia oppreſſit , ſecundae diſputationis praetextu vox
jamdudum ablata revocare videatur ..... Siquis ea , quae jam
olim dijudicata ſunt , denuo in diſputationem vocare ſinat , is ſa-
ne nihil aliud facere cenſebitur , quàm de fide , quae hactenus
valuit , ipſemet dubitare* . Pelagiani enim ſpe Oecumenicae
Synodi caput erigebant , jamque auxilio freti Neſtorii , ſpe-
rabant in proxima Epheſina Synodo id ſe obtenturos , ut
diſputationem cauſſaeque propriae examen inſtaurarent .
Nulla interim Oecumenica Synodo damnati illi fuerant , ſed
duplici tantummodo Innocentii I. , & Zoſimi Tractoria ,
quae in particularibus Synodis propoſita , atque ſubſcripta,
Apoſtolicae primùm , aliarum deinde Sedium authoritate
eorumdem errores praefocaverat . Negat autem Capreolus
in Oecumenica Synodo locum illis inſtaurandae diſputatio-
nis debere concedi , cujus rei ineluctabilem continuò ratio-
nem ſuggerit , qua praecedens Pelagiana objectio funditùs
convellitur . Nam error , Apoſtolicae Sedis authoritate , at-
que unanimi Eccleſiarum calculo per duplicem illam Tra-
ctoriam proſcriptus , tractatum alium ſuſcipere haud pote-
rat , niſi ad majorem extenſioremque probationem . Pergit
enim Capreolus : *Deinde ad poſteritatis exemplum , ut ea quae
nunc pro Catholica fide definita ſunt , perpetuam firmitatem ob-
tinere valeant , oportet ea omnia inconcuſſa , immotaque conſerva-
re , quae ſuperioribus temporibus à Sanctis Patribus conſtituta
ſunt . Nam qui illa perpetuam ſtabilitatem retinere voluerit ,
quae de Catholicae Fidei ratione ſtatuerit , is non propria au-
thoritate , ſed antiquorum Patrum judicio ſententiam ſuam corro-*

bora-

borare debet: ita ut ea ratione, partim veterum, partim recen-
tiorum decretis, & ſententiis placita ſua comprobans, unicam
Eccleſiae veritatem jam inde ab initio ad praeſens uſque tempus,
ſimplici puritate, invictâque conſtantia, & authoritate decurren-
tem ſe aſſerere, docere, & tenere oſtendat. Ergo profitetur to-
tius Africae nomine Capreolus, integrum jam non eſſe, poſt
prolatum tanta ſolennitate judicium, ceu in re dubia, ani-
mo hinc & inde pendere, aut recidivae diſputationis cam-
pum fidei adverſariis aperire, cum Pelagianorum delira-
menta jam protriviſſet *Apoſtolicae Sedis authoritas, Sacerdo-*
tumque in unum conſonans ſententia.

III. Atque hinc quaelibet à reliquis Epiſcopis perſcri-
ptae Encyclicae robur tunc demum obtinebant invictum,
quum Apoſtolicae Sedis, & Eccleſiae Capitis ſuffragium
confirmationemque haberent. Quoties enim de orta qua-
piam controverſia Eccleſiae judicium erat exſpectandum, ut
omnibus prodeſſet, atque ex eo fidei, & animorum conſen-
ſio demonſtraretur, neceſſaria erat Capitis adprobatio. Id
quod docuit Innocentius I. in reſponſione ad Patres Afri- 402
canae Synodi, qui, ut editum à ſe decretum reliquas per
Orbem Eccleſias tutò pervagaretur, ejuſdem praeſtolaban-
tur confirmatorium calculum: *Patres olim* (inquit Ponti-
fex) *non humana, ſed divina decrevere ſententia, ut quidquid*
in disjunctis remotiſque Provinciis ageretur, non prius ducerent
definiendum, quam ad illius Sedis notitiam perveniret, ubi to-
ta ejus authoritate, juxta quae fuerit, pronuntiando firmaretur;
Scientes quod per omnes Provincias de Apoſtolico fonte petenti-
bus reſponſa ſemper emanent, praeſertim quoties fidei ratio ven-
tilatur. Quod arbitror omnes Fratres, & Epiſcopos noſtros non
niſi ad Petrum, id eſt, ſui nominis, & honoris authorem referre
debere, velut nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum mun-
dum poſſit omnibus Eccleſiis in commune prodeſſe. Unde vero
Encyclicis pondus accederet, doceat nos Ruſticus Diaco- 550
nus in diſput. adverſus Acephalos. Recolit ille Cyrillianas
adverſus Neſtorium Encyclicas, inter quas celeberrima illa
fuit, de Pace ad Orientales edita. Haſce omnes ad plures
direxerat, eaſdemque ab omnibus ſubſcriptas receperat: &
tamen voluit Cyrillus, eaſmet ab Apoſtolica Sede confir-
mari. Sic enim Ruſticus. *Epiſtolae Cyrilli ad Neſtorium,*

quas & Sanctiſſimus Coeleſtinus Papa Magnae Romae ut proprias ſuſcepit. Et infra: *Iſtas Epiſtolas, id eſt, ſuas, & Orientalium de Pace tranſmittens Cyrillus Romanae Eccleſiae Sedi, à Sanctiſſimo Xiſto confirmari ſategit*.

250 IV. Novatianus propterea in Epiſtola apud Cyprianum num. 31. quam Presbyterii nomine ſcripſit, S. Antiſtitem laudat, quod in cauſſa Lapſorum, quam, ſalubri adhibito temperamento, Epiſcopis per Encyclicam, & Apoſtolicae Sedi ſignificaverat, ejuſdem Sedis ſuffragium praeſtolari voluerit, & concordem eandem invenerit, in qua idem diſciplinae vigor perdurabat. Hujus conſenſionis rationem mox ſubjungit. *Quoniam nec tantas de nobis laudes protuliſſet dicendo: quia fides veſtra praedicatur in toto Mundo, niſi jam exinde vigor iſte radices fidei de temporibus illis mutuatus fuiſſet, quarum laudum, & gloriae degenerem fuiſſe, maximum crimen eſt*. Hanc perſuaſionem in ſua prima ad Coeleſtinum
431 Synodica faſſus eſt Maximinianus, in depoſiti Neſtorii locum electus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, in qua haec inter alia ad rem. *Omnes fines terrae, quae Dominum ſincerè receperunt, & ubique terrarum Catholici veram fidem confitentes, in poteſtatem Romanorum Pontificum, tanquam in Solem reſpiciunt, & ex ipſa lumen Catholicae, & Apoſtolicae fidei recipiunt. Nec immeritò, quia Petrus legitur primò perfectam fidem eſſe confeſſus...... Decebat tantae dignitatis, & ſapientiae virum non ab alio coeleſtis myſterii arcana requirere, niſi ab eo potiſſimum, quem non potuit caro & ſanguis inſtruere, ſed cui Dominus ipſe ſua ſecreta dignatus eſt aperire. Hunc enim de ceteris mortalibus ex toto terrarum Orbe Conditor Orbis elegit, cui cathedram Magiſterii principaliter poſſidendam tenere perpetuo privilegii jure cenſuit, ut quiſquis divinum aliquid, aut profundum noſſe deſiderat, ad hujus perceptionis Oraculum, doctrinamque recurrat, ne illi humiliter referre, quod ſolvendum eſt, erubeſcat, etiamſi ipſe quod quaeritur non ignorat*. Poſtrema haec verba confer cum laudata Romani Presbyterii ad Cyprianum epiſtola, & in ſimili expreſſione priſcam intellige, ac perſeverantem perſuaſionem.

Sed quoniam fundamentalis eſt animadverſio iſtiuſmodi ad capitis, & membrorum unitatem in fide ſervandam, aut conſtituendam, inſigni exemplo aliquo in celebri quapiam

En-

Digitized by Google

Encyclica comprobandum eſt ſtudium illud ingens, quo Epiſcopi ſuffragia haec promovebant, & ſuffragiorum cum Apoſtolica Sede conſenſionem. Sic enim plenius quoque dubiis occurritur, quae excitari poſſent ad Encyclicarum identitatem, atque authoritatem ſubdole infringendam. Perſiſtimus in Ariminenſi conciliabulo, ejuſdemque decretis, 359
& converſionem lapſorum Epiſcoporum conſideramus, qui tandem Semiarianorum fraude detecta, qua unius literae adjectione protriverant Nicaenam formulam, contra eandem adjectionem ſcriptis inſurrexerunt. Primi qui haereticale Ariminenſe decretum improbandum eſſe cenſuerunt, fuere Macedoniani, infenſiores tunc Semiarianorum hoſtes, qui anathemate ſuperadditam formulam proſcripſerunt, ex Socrate l. 4. c. 4. *Illam quae Arimini fuerat ab Epiſcopis,* 440
quibuſcum ipſi prius conſenſerant, anathemate damnarunt. Occidentis vero Epiſcopi, quorum plurimi lapſi fuerant, epiſtolas Liberio dederunt, proprium lapſum manifeſtantes, ac ſecum agi remiſſo canonum jure ſupplici libello poſtularunt. Liberius Encyclicam Orbi direxit, de qua Siricius 385
in epiſt. ad Himerium n. 1. *Et poſt caſſatum Ariminenſe Concilium, miſſa ad Provincias à venerandae memoriae Praedeceſſore meo Liberio generalia decreta probibeant*. In Encyclico iſtiuſmodi *Tomo Occidentalium*, eorumdem epiſtolae continebantur, ejurantium quod fraude decepti conſcripſerant, impiae Ariminenſi formulae, ſubdolè abs Semiarianis exaratae, ſubſcribentes: Continebantur & reliquorum epiſtolae, qui iterum unam ſolummodo formulam, & hanc Nicaenam, juxta Liberii epiſtolam, decernebant ſequendam. Tomum eundem Synodus Italica dirigendum putavit Illyricianis, qui per Urſacium, ac Valentem decepti, atque eadem fraude irretiti, Semiariani evaſerant; & tunc tandem 366
Liberii decreta agnoſcentes, Catholicae Eccleſiae aſſociari cupiebant. Itaque praedicta Synodus epiſtolam cum Tomo direxit, ut ex recepta à reliquis Epiſcopis, qui Liberii Encyclicae ſubſcripſerant, formula, & ipſi catholicae unitati reſtituerentur; eoſdemque Illyricianos Antiſtites in hunc modum alloquitur: *Et quantum ad Italiam quidem pertinet, cum fidei paternae, boc eſt, apud Nicaeam ſcriptae, ſe reddidit, fraudem quam paſſa eſt apud Ariminum recognoſcens, Illy-*

Digitized by Google

ricum etiam Deum clementi nutu reſpexiſſe gaudemus : & conſortio infidelitatis , quo gravabatur abjecto , ea quae ſunt rectae ſententiae, probare coepiſſe gratulamur. Quod ut plenius dignoſcerent , exemplaria adjunxerunt cum lapſorum , tum innocentium reliquorum Epiſcoporum , qui vel formulae fidei ſubſcripſerant , vel epiſtolas ediderant ; ſimulque formulae ſummam exponunt . *Noſtram igitur , dilectiſſimi Fratres, unam eandemque accipite firmam ſubſcriptione ſententiam . Nicaeni tractatus adverſus Arium , Sabelliumque , cujus Photinus partiaria haereditate damnatur , decreta ſervamus . Ariminenſis Concilii ſtatuta , quorumdam tergiverſatione corrupta , conſenſu omnium Provinciarum jure reſcindimus , quorum etiam exemplaria tranſmittenda cenſuimus , ut nec in fide retinenda , nec in confutando Ariminenſi Concilio aliqua videretur condeſcenſio .* Formam itaque , & ordinem Encyclicarum vides . Liberius generalia decreta edidit , edita ſubſcribuntur vel ejuratione lapſus , vel confutatione erroris ab Epiſcopis in integra fide perſiſtentibus . Ad fidem imo faciendam , exemplaria Illyricianis diriguntur omnia , ut *conſenſum omnium Provinciarum* Occidentalium conſpicientes , ipſi quoque à devio tramite ad rectam Catholicae Fidei ſemitam regrederentur . Epiſtolam hanc , propoſiti argumenti nobiliſſimum monumentum,
354 reſervavit in Operis Hiſtorici fragmentis Hilarius .

VI. Sed ſubactius trutinanda eſt cautio, ab Italica Synodo exigita . Praeter enim formulam eo tenore ſubſcribendam, cujus exemplaria in ſuſcepto Occidentalium Tomo legebantur , proponunt ut ipſi quoque ſubſcribentes , epiſtolas dirigant , ex quibus unanimitas in fide , & erroris reſciſſio innoteſcat . *Quicumque igitur noſtrae unanimitatis optat habere conſortium , quicumque individuam pacem nobiſcum habere deſiderat, quae ſunt noſtrae ſententiae comprobare feſtinet , & fidei nobis memoratae ſubſcriptionem , & reſciſſionem Ariminenſis Concilii ſine ambiguitate mittendo .* Atque ut ad id eoſdem pelliciat , quorumdam Illyricianorum exempla laudat , de quibus : *Id certe petimus , quod complures harum Provinciarum porrigimus ipſi conſenſum .* Poſtulat inſuper (ut perfectae Encyclicae normam exhibeat) eos profiteri , authores defectionis Provinciarum Illyrici Urſacium eſſe atque Valentem , formulaeque ſubſcribendae anathematiſmos addere in eoſdem .

Autho-

Authorés autem haereſis Arianae, vel Aëtianae Valentem, & Urſacium, ceteroſque eorumdem conſortes, non nunc eſſe, quod manifeſtari apud Illyricum coeperunt, ſed olim condemnaſſe manifeſtum eſt. Equidem ſiquando, tum maxime neceſſaria fuit haec Epiſcoporum omnium ſubſcriptio. Namque ingens illorum numerus, qui Arimini in Oecumenico velut Concilio ſedentes, unanimi primùm calculo unicam propoſuerant ſuſcipiendam Nicaenam formulam; Principis dein violentia territi, laqueiſque Semiarianorum irretiti, perfidiam receperant, atque ſubſcripſerant, non levem ingerebat indefectibilitati Eccleſiae fucum, eò periculoſiorem, quod conciliari decreto recens illa perfidiae formula muniebatur: ut propterea niſi plauſibiliori auguſtiorique medio fuiſſet reſciſſum, facillimè in errorem fideles adducere potuiſſet.

VII. Anteaquam vero abs Encyclica Liberii recedamus, qua reſciſſum eſt Ariminenſe Concilium, Orbis utriuſque, ut Occidentalis, ita Orientalis ſubſcriptio eſt inquirenda; unde innoteſcat tandem conſuetudo in ſubſcribendis Encyclicis obſervata, juxta quam Urbis Pontifices periclitanti fidei ſuppetias ferre conſuevere, & inflicta vulnera reſarcire. De Orientalium itaque ſubſcriptionibus, origine à Macedonianis ducta, agit Socrates l. 4. c. 12., ubi quum de 440
terrae motu & ruina verba feciſſet, quibus rerum maximam mutationem portendi, omnibus, excepto Eudoxio Arianorum duce, perſuaſum erat, mox de Macedonianis ſubjungit. *Qui metu magis quam violentia conſtricti, per ſingulas Civitates ultro citroque Legatos inter ſe miſerunt: Significantes neceſſario confugiendum eſſe tum ad Fratrem Imperatoris, tum ad Liberium Romanae Urbis Epiſcopum, eorumque fidem amplexandam potius, quam ut cum Eudoxio communicarent.* Addit concilia plurima fuiſſe hac de re habita, *Et epiſtolas quidem ſcriptas tum ab Urbe Smyrna in Aſia, tum ex Pamphylia, Iſauria, & Lycia, ubi Concilia celebraverant.* Quae omnia eodem ſenſu reſcripſerant, faſſi Liberii fidem eſſe ſuſcipiendam. Epiſtolas illas ſuo aevo extitiſſe omnes, fatetur Socrates, quas *apponere brevitatis ſtudio praetermiſiſſe* ſe aſſerit. Ad has autem quaquaverſum perferendas, *mittunt Euſtathium Sebaſtiae Epiſcopum...... Silvanum Tarſi Ciliciae, & Theophilum Caſtabalorum, quae etiam Ciliciae Urbs eſt:*

mandantque ne in fide diſſentiant à Liberio, ſed cum Eccleſia Romana communionem ineant, fidemque Conſubſtantialis conſenſu ſuo confirment.

VIII. In Epiſtola autem, de qua Socrates, quaeque praedictarum omnium Synodorum nomine ad Liberium ſcripta eſt, continebantur quae legati egerant, anteaquam ad audientiam admitterentur. In libello enim Pontifici oblato haec ſunt annotanda, ut praecipuus harum Encyclicarum ſcopus appareat in ſervanda fidei inter Paſtores unitate, quae in mutuis hiſce ſubſcriptiſque de fide Epiſtolis pro majeſtate eluceſcit. Rem ita aggrediuntur: *Propter inſanas Haereticorum opiniones, qui Eccleſiae Catholicae offenſionis cauſſam praebere non ceſſant, nos omnem illis occaſionem adimere cupientes, profitemur & adſeveramus, Synodum orthodoxorum Epiſcoporum, quae Lampſaci, & Smyrnae, aliiſque in locis habita eſt, cujus Synodi legationem obeuntes, tum ad tuam benignitatem, tum ad univerſos Italiae, & Occidentis Epiſcopos literas adferimus. Catholicam fidem tenere, & cuſtodire, quae in ſacroſancta Synodo Nicaena..... hactenus integra, & inconcuſſa perpetuò permanſit: in qua Conſubſtantialis vocabulum adverſus pravam Arii doctrinam, piè ſanctèque poſitum eſt.* Subjungunt deinde integram Nicaenam formulam, quam omnes ſe profiteri, & profeſſos aſſeverant.

IX. Altera Liberii cautio fuit, ut iidem qui Catholici eſſe volebant, diſtinctè anathema dicerent Ariminenſi Conciliabulo. Unde in laudata Synodica ſic loquuntur Aſiae Concilia: *Sed praecipue anathemate damnantes fidem illam, quae in Ariminenſi Synodo recitata eſt, utpote contrariam ſupradictae fidei Sancti Concilii in Urbe Nicaea celebrati: cui ex oppido Thraciae Nice allatae, dolo ac perjurio circumventi Epiſcopi Conſtantinopoli ſubſcripſere.* Pontifex imo, anteaquam legatos reciperet atque audiret, exegit, ut ſcripto libello eandem faterentur Nicaenam fidem, ſubdente Socrate: *Hoc libello cum Legatos, quaſi cautione quadam, Liberio obligaviſſet, eos in communionem ſuſcepit.* Exſtat reſponſiva Liberii Epiſtola, qua fidem eorumdem laudat, *idque eò maximè quod ſententiam veſtram, atque doctrinam cum tenuitate noſtra, cumque omnibus Italis, & Occidentalibus conſentire prorſus, & conſonare affirmarunt ſimul ac demonſtrarunt.* Vides qua tandem

ratione

ratione mutuae hae epiſtolae dirigerentur ad unionem membrorum cum capite, ut una fides, perfecta animorum concordia, & unanimitas in Paſtoribus primum, deinde in fidelibus ſtabiliretur. Unde libenter ſe epiſtolas haſce dediſſe repetit, *praeſertim cum ex profeſſione Legatorum veſtrorum cognoverimus, Orientales ad ſanam mentem reverſos, eum orthodoxis Occidentis Epiſcopis conſentire*.

X. Monet quoque Occidentales omnes, ut, ejuratis Ariminenſis Conciliabuli blaſphemiis, utique poſtquam Liberius ipſe Encyclicam dederat, Nicaenae fidei adhaereſcant. *Significamus autem vobis, ne ſitis neſcii, omnes Ariminenſis Concilii blaſphemias ab illis ipſis, qui tunc per fraudem decepti fuiſſe videntur, anathemate damnatas eſſe, & univerſos in Nicaenam fidem conſpirantibus animis conſenſiſſe. Sed & vos id omnibus indicare debetis, ut qui per vim ac fraudem detrimentum aliquod fidei ſuae paſſi ſunt, nunc tandem ex haeretica caligine ad divinam catholicae libertatis lucem poſſint emergere*. Ex quo & illud eruimus, edentes, aut ſuſcipientes Encyclicam, conſueviſſe & alios certiores reddere communis acceptationis, itemque alios aliis idipſum intimaſſe: Quia videlicet, ſi univerſis de communi Eccleſiarum, capitis, & membrorum conſenſione conſtaret, auguſtiſſimo hoc Magiſterio omnis facile errorum caligo diſſipabatur. Patet inſuper medium hoc ab ipſo Liberio ea mente fuiſſe laudatum, ut quum id adhibitum Eccleſiae cernerent, *ad divinam catholicae libertatis lucem poſſent emergere*.

Imo, ut noſſent quam emittere profeſſionem tenerentur qui Liberii & Occidentalium participes eſſe volebant, libelli ipſius exemplar reſponſivae epiſtolae adjunxit. *Cujus etiam exemplum his literis ſubjiciendum eſſe exiſtimavimus, ne quam haereticis occaſionem ad ſtruendas iterum inſidias relinquamus*. Cautiones haſce, & media in aliis plerumque fuiſſe adhibita, ſatis ſuperque oſtendent Encyclicae in particulari expendendae.

XI. Exitum porrò mutuarum iſtiuſmodi epiſtolarum deſcribit idem Socrates. Quum enim Liberii epiſtolam recitaſſet, illas addit Legatos ex Urbe regreſſos in Synodo Si- 366
cula retuliſſe. *His literis acceptis, qui cum Euſtathio erant, in Siciliam proficiſcuntur. Cumque illic Synodum Epiſcoporum*

Siciliae fieri curaſſent, & Conſubſtantialis fidem coram ipſis confeſſi eſſent, fidemque Concilii Nicaeni comprobaſſent, acceptis illorum quoque literis in eandem ſententiam ſcriptis, ad eos, à quibus miſſi fuerant, reverterunt, qui, ſuſceptâ Liberii epiſtola, legatos per ſingulas Civitates miſerunt ad eos, qui Conſubſtantialis fidem propugnabant; hortantes ut Tharſum Ciliciae pariter omnes convenirent, quo & Nicaenam confirmarent fidem, & omnes, quae poſtea exortae fuerunt, contentiones penitus abolerent. Liberii itaque epiſtola per Aſiam ubique & regionis illius Provincias circumferebatur, ut unius omnes eſſe fidei, & cum Occidentalibus commercia eos inſtauraſſe oſtenderetur.
425 Exſtabat tunc Sabini Epiſcopi conciliorum & epiſtolarum omnium collectio, quae, enatis concertationibus illis, ultro citròque datae fuerant: unde & omnia ferme illorum tem-
440 porum monumenta eruit Socrates, qui ſub capitis finem addit. *Porro Macedonianos, miſſis ad Liberium legatis, cum eo communicaſſe, & Nicaenam fidem comprobaſſe, ipſe etiam Sabinus fatetur in collectione geſtorum Synodalium.*

XII. Eoſdem Occidentalium omnium literas, qui Liberii communionem obtinuerant, detuliſſe ſecum in Orien-
366 tem reduces, atque has omnes in Tyanenſi Synodo pro-
440 poſuiſſe, teſtatur Sozomenus l. 6. c. 12. ubi iis enarratis, quae Socrati prodita vidimus, deſcriptoque Siculae Synodi coetu, Legatos aït in patriam eſſe reverſos. *Eodem tempore cum Synodus Epiſcoporum congregata eſſet Tyanis, cui intererant Euſebius Caeſareae Cappadociae Epiſcopus, Athanaſius Ancyrae, Pelagius Laodiceae, Zeno Tyri, Paulus Emeſae, Otrejus Meletinae, Gregorius Nazianzi, & alii complures, qui, regnante Joviano Antiochiae collecti, Conſubſtantialis doctrinam retinendam eſſe decreverunt: Liberii & Occidentalium literae recitatae ſunt. Qua ex re ingenti gaudio affecti, ſcripſerunt ad omnes Eccleſias, ut Occidentalium Epiſcoporum decreta perlegerent, & Epiſtolam tum Liberii, tum Epiſcoporum Italiae, Africae, Galliae, & Siciliae: nam & iſtorum literas attulerunt Legati à Synodo Lampſacena miſſi; utque omnium illorum numerum conſiderarent. Multo enim plures erant iis, qui in Ariminenſi Concilio ſederant. Praeterea ut conſentire cum illis & communicare vellent, ſeque ejuſdem eſſe ſententiae, per literas indicarent.*

Pontificis itaque Encyclica, quaedam velut praelucens

fax

ſax aderat, & verae communionis teſſera habebatur. Eccleſiis inſuper communicabantur mutuo commercio literae Epiſcoporum omnium, eidem Pontificiae Encyclicae conſentientium. Quamobrem tametſi CCCC. Ariminenſes defeciſſent, nihilominus plurimi alii Occidentalium gloriabantur, ſe per epiſtolas Encyclicae Liberii ſubſcripſiſſe, & hinc urgebant, unam hanc fidem eſſe ab univerſis ſuſcipiendam. Quis autem in hac & epiſtolarum, & Synodorum ſerie non videat ideam certam judicii, & Encyclicae epiſtolae argumentum? quis non plane perſpiciat, qua cautela, quove pondere incederent authores Encyclicarum, ut dum Eccleſiis judicii veritas intimabatur, ſplenderet unanimitas, conſenſus, judicium, proindeque definitionis certitudo.

XIII. Synodus quaevis, ſeu Primas, ſeu Epiſcopus Encyclicam condens, eadem elaborabat forma, ut vicinioribus Eccleſiis mitteretur, examinaretur, recitaretur, eaedemque de ſubſcriptione & acceptatione certiores redderent authores, & alios, ad quos ſubinde erat mittenda. In Encyclica Alexandri Alexandrini Epiſcopi ad omnes Epiſco- 319
pos Orbis directa, certiſſima deprehenduntur veritatis hujus indicia, quod in altera Diſſertatione dicetur. Sat modo erit laudaſſe Synodum Iconienſem, indictam, ut Encyclicae, quam 377
de Spiritu S. ediderat Baſilius M., & quam inter alias quas recenſet Encyclicas, Patrum Chalcedonenſium Adlocutio me- 451
morat, Epiſcopi ſubſcriberent. Sic autem in epiſtola Synodica Patres. *Et optabamus quidem maximè admirandum, omnique cum reverentia nominandum Epiſcopum Baſilium praeſentem excipere in noſtra Synodo, & ſocium ſeu potius principem habere in dandis ad vos literis*. Directa enim fuerat epiſtola haec, ut Epiſcopi reliqui editum à S. Baſilio Encyclicum de Spiritu S. tractatum ſubſcriberent, eo ad Eccleſias fine directum.

XIV. Encyclica autem Epiſcopi cujuſvis, doctrina & ſanctitate ſpectabilis, quantum priſcis temporibus haberet aeſtimii, colligere pronum eſt ex Baſilii M. epiſtola 51., 370
quae eſt ad S. Athanaſium, eo tempore data, quo Oriens & Occidens poſt ann. 362. graviſſimis diſputationibus confictabantur, cum ob quaeſtionem de vocibus Hypoſtaſis, & Uſiae in expoſitione conſubſtantialis Trinitatis uſurpandis;

tum ob Schiſma Antiochenae Eccleſiae, quam tres ſimul Epiſcopi, Meletius, Vitalis, & Paulinus occupabant. Baſilius quidem epiſt. 50. ad eundem data, allatas per Silvanum aſſerit Occidentalium epiſtolas pro Meletio, in cujus partes ipſemet propendebat. Sed ad has terminandas diſceptationes Athanaſium hortatur, ut Encyclicam ſcribat, vehementi fiducia detentus, quod ſi ab illo ineundae concordiae exordium duceretur, facile adſtipulatores futuri eſſent Epiſcopi reliqui. Quum enim Eccleſiae ſtatum breviter Athanaſio expoſuiſſet, ita circa remedium affatur. *Et ad iſta quis ſufficiens gubernator? quis tantae fidei, ut credatur excitaturus Dominum, qui & ventum increpet & mare? quis alius, quam qui à puero in pietatis agonibus decertavit? quoniam igitur jam quicumque inter nos ſani ſunt circa fidem, ad eorum, qui ejuſdem doctrinae ſunt, concordiam & unitatem jam dextre accedunt: bona fiducia ad conſolationem tuae clementiae venimus, ut omnibus nobis unica ſcribas epiſtola, quae, quid agendum ſit, admoneat. Nam ita volunt, ut abs te initium ipſis fiat, quid communiter dicendum, tenendumque ſit. Quoniam vero tibi propter memoriam praeteritorum ſuſpecti forſan & inimici videntur, hoc facito, pientiſſime Pater: Epiſtolas ad Epiſcopos factas mihi tranſmitte, ſive per aliquem illorum, quos illic habes Fideles, ſive etiam per Fratrem noſtrum, & Syndiaconum Dorotheum: quas acceptas non prius ad eos dabo, niſi reſponſa ab ipſis accepero. Quod ſi ita non fecero, peccator ero in te omnibus diebus vitae meae.* Ex quibus luculenter oſtenditur, quomodo in primitiva Eccleſia Encyclicae, tametſi à particulari, ſed gravitate doctrinae ſanctitatiſque conſpicua perſona miſſae, praeſtolari potuerint Epiſcoporum omnium ſubſcriptionem, atque conſenſum, & inculpatam in toto Orbe fidem teſtari.

XV. Martyres quoque ſcripſiſſe Encyclicas, ſupra vidimus, quas tamen non ipſi, ſed Epiſcopi intimabant. Ii enim epiſtolas Martyrum recipientes, eorumque monitis Eccleſiae ac fidelium bonum promoveri juvarique poſſe videntes, ſuis epiſtolis ſociabant, & ad Eccleſias dirigebant.
250 Id quod cum Presbyterio Romano feciſſe Novatianum vidimus, qui Martyrum epiſtolas cum ſua ad Cyprianum dedit: Viciſſim & alias in eadem cauſſa Lapſorum ſuis inſeruit

Cyprianus. Unde Africani illi Martyres, decreto edito, 248
poenam adverſus Traditores ſtatuerunt: idemque per Eccle-
ſias ab Epiſcopis vulgatum, norma fuit poenitentialis, juxta
quam hujus criminis rei multabantur.

XVI. Imo nec Imperatoribus haec conſcribendarum in
gravioribus diluendis controverſiis Encyclicarum facultas
denegata eſt, quas Regiae Urbis Epiſcopus ad Eccleſias
mittebat. Ita Leo Imperator, ut Timotheo Aeluro & Aegy- 457
ptiis, Chalcedonenſis Concilii hoſtibus, occurreret, Ency-
clicam exaravit Epiſtolam, mandavitque Anatolio, ut ad
Epiſcopos dirigeret; qui eam ſuſcipientes, ſinguli in Syno-
dis propriam ſententiam expoſuere. Leguntur omnia in III.
Parte Chalced. Conc. Similiter quum Juſtinianus Tracta-
tum adverſus Origenem & Origeniſtas edidiſſet, curavit, ut
à Menna in Conſtantinopolitana Synodo expenſus, uni- 541
verſis Epiſcopis dirigeretur. Moris ejuſdem veſtigium in
Conſtantio etiam habemus, qui cum Nicomediae Conci-
lium indixiſſet, quae terrae motu corruit, curam alterius
loci deligendi injunxit Ancyrano Baſilio. Is autem juſſa Im- 347
perialia impleturus id egit, quod refert Sozomenus l. 4. c. 440
16. *Scribit interim ad Baſilium, ut ex omnibus Orientis Epi-
ſcopis ſciſcitetur per literas, quo in loco Synodum celebrare opor-
teret ...... Baſilius itaque praefixis epiſtolae ſuae Imperialibus
literis, mandavit Epiſcopis per ſingulas Provincias conſtitutis,
ut quamprimum apud ſe deliberarent, & locum, qui ipſis videre-
tur aptiſſimus, indicarent.*

§. VII.

DE ECCLESIARUM ORIENTIS, ET OCCIDENTIS DIVISIONE.

Synopſis.

I. *Quando in Eccleſiam invecta ſit haec diviſio*. II. *Quando in Imperio*. III. *Orientis & Occidentis in Imperio limites*. IV. *Iidem in Eccleſiaſticis limites*. V. *Diviſio ab Euſebianis potiſſimum eſt profecta*. VI. *Quae illorum ſuaſu praeſumſerit in Eccleſiaſticis Imp. Conſtantius*. VII. *Ab iiſdem Euſebianis nuncupari coepti ſunt Orientales, & Occidentales Epiſcopi*. VIII. *Iidem ab eo tempore ab Occidentalibus diſſociati*. IX. *Mortuo Conſtante Imp., apud Conſtantium egerunt, ut Occidentales Arimini in Occidente, in Oriente Seleuciae congregarentur Orientales*. X. *Conſtantii cauſſa, & Euſebianorum fraude lapſi ſunt Ariminenſes*. XI. *Grave Schiſma Orientem ab Occidente diſtraxit*.

I. PRopoſita ex Lampſaceno Concilio animadverſio, atque ex ſubſcriptione Encyclicae Liberii, per Occidentales primùm, deinde per Orientales facta, cogit in vocis hujus & diviſionis rationes inquirere, quò facilius innoteſcat Encyclicarum ſcopus, ut ſcilicet Epiſcoporum in dogmatis conſenſus & unanimitas, doctrinaeque concordia manifeſtaretur, imo etiam decretum communi utriuſque partis voto ſubſcriptum, velut irreformabile ubique ſuſciperetur. Vocum ergo illatum notitia audiri in Eccleſia coepit ſub ſeculi IV. initium. Prioribus enim tribus ſeculis Encyclicae quotquot leguntur editae, mittebantur *ad Eccleſiam toto Orbe diffuſam*, vel *ad Eccleſiam Catholicam*. Nec ulla Eccleſiarum in Orientem, & Occidentem memoratur diviſio, nec epiſtolae vel ad Orientales, vel ad Occidentales datae. Occaſio itaque invectae uſurpationis accurate indaganda eſt, ut, gradu facto, authoritatem libremus petiti argumenti ex utraque parte Epiſcoporum in unum per vota & ſubſcriptiones conſpirantium; atque illuſtrius hinc emi-

neat

neat pondus & aeſtimium conſenſus univerſalis Eccleſiae ,
qui tunc veritatis receptiſſimum erat argumentum.
II. In Imperio primitùs diviſio Orbis in Orientalem &
Occidentalem, vocumque iſtiuſmodi uſus coepit innoteſce-
re , quando ſcilicet Imperatores Romam Imperii caput re-
linquentes, varias ſibi delegerunt Sedes. Hinc apud Stra- 15
bonem nulla Orientalis aut Occidentalis partis , aut ſimi-
lis diviſionis mentio . Tunc primum quum XXX. Tyran- 261
ni Romanum Imperium ſciderunt, & in occupatis perſtite-
re regionibus, Orientis pars fuit audita . Legimus enim
apud Pollionem . *Quum Odonatus in Orientis partibus cepiſ-* 310
ſet Imperium. Et alibi . *Ergo Macrianus , undique collectis exer-*
citibus , Orientis partes petiit. His enim in locis Orientalis
Imperii pars, Oriens dicta , intelligi debet , quippe quem ,
ſeu illius ſaltem partem in poteſtatem ſuam redegerat Odo-
natus . Diviſio re & nomine facta eſt , quum imperarunt
Probus & Florianus , ſed plenius Conſtantio , atque Gale- 277
rio dominantibus, quando Occidens Conſtantio ceſſit , Ma- 304
ximiano Galerio Oriens. Qua de re Eutropius lib. 10. , ubi 345
abdicatione Maximiani Herculei, & Diocletiani narrata ,
ſubjungit . *His abſentibus ab adminiſtratione Reipublicae , Con-*
ſtantius & Galerius Auguſti creati ſunt , diviſuſque inter eos
Romanus Orbis . Eadem Imperii diviſio Euſebio etiam ob- 315
ſervata eſt l. 8. c. 13. ubi , praedicta abdicatione prodita ,
aït : *Vix haec geſta fuerunt , cum Imperium Romanum totum*
in duas partes diviſum eſt , quod quidem nunquam ante factum
eſſe memoratur . Fuerant equidem antea duo Auguſti, ſed
pari poteſtate , abſque ulla imperii ſciſſione concorditer im-
perantes . Sciſſio ſub initium IV. Chriſtiani ſeculi ſemel
introducta , perſeveravit inter Conſtantini M. , & Theodoſii
M. filios, quorum uni Oriens, Occidens alteri tradebatur
cum abſoluto , nec invicem dependente regimine . Juxta
priorem formam, qua duo dicebantur Auguſti, & duo Cae-
ſares, ut in Diocletianea perſecutione contigit, pari hono-
ris & poteſtatis conſortio praediti erant Auguſti ; Caeſares
autem, velut adjutores, adſciſcebantur. Quod diſcimus ex
oratione Maximiani Galerii , Diocletianum impellentis
ad abdicandum Imperium. Illo enim dicente , poſſe ſimul
omnes declarari Auguſtos, Galerius , ex Lactantio de mor- 304

Digitized by Google

tibus Perſecut. c. 18. *Reſpondit, debere ipſis diſpoſitionem in perpetuum conſervari, ut duo ſint in Republica majores, qui ſummam rerum teneant; item duo minores, qui ſint adjumento: Inter duos facile poſſe concordiam ſervari, inter quatuor pares, nullo modo*. Illos autem quatuor diſtinctas habuiſſe, quas gubernarent, ditiones, mox ſubjicit, illud etiam urgens inter alia motiva, quibus Diocletianum ad Imperium dimittendum inducere nitebatur: *Jam fluxiſſe annos quindecim in Illyrico, vel ad Ripam Danuvii relegatus cum gentibus barbaris luctaret, cum alii intra laxiores, & quietiores terras delicate imperarent*.

III. Eodem tempore Orientis nomine Provinciae intelli-
375 gebantur, quas deſcribunt illius aevi ſcriptores. Ammianus etenim l. 14. c. 8. in hunc modum limites deſcribit. *Orientis vero limes in longum porrectus, & rectum ab Euphratis fluminis ripis ad uſque ſupercilia porrigitur Nili: Laeva Saracenis conterminatus gentibus, dextera pelagi fragoribus patens: Quam plagam Nicanor Seleucus occupatam auxit mirum in modum, cum poſt Alexandri Macedonis obitum ſucceſſorio jure teneret regna Perſidis*. De his eruditè differit Pancirolus in Notit. Dignit. Imper. Orient. c. 105. Videatur idem Marcellinus l. 26. c. 4., ubi prodit, Valentinianum cum Fratre Valente Orientem, atque Occidentem eſſe partitum: hunc ſibi retinuiſſe, Orientem vero Fratri, quem Imperii ſocium declarabat, conceſſiſſe: exercitum quoque cum eodem diviſiſ-
440 ſe. Hinc apud Socratem, Sozomenum, Theodoritum alioſque crebra nuncupatio Imperatoris Occidentalium, & Orientalium itidem Imperatoris.

IV. In Eccleſia quoque non una & eadem fuit vocum Occidentalis, Orientaliſque uſurpatio, non idem limes, nec eadem Provinciarum deſignatio: Quando diviſio vindicari coepta eſt, ſequebantur Imperii diviſionem. Hinc
337 cum inter Conſtantini M. filios, in tres ſcilicet partes, Imperium diviſum eſſet, Conſtantino deinde mortuo, duo re-
340 licti ſint, Conſtans, & Conſtantius, totius Imperii ſummam obtinentes, Occidentis limes protendebatur ad Thraciae montes, & cum Sardica Urbe terminabatur: quae erat Conſtantis ditio. A Montibus, ubi Philippopolitana Urbs, Orientalis, quod tenebat Conſtantius, Imperii li-

mes incipiebat, ut ex duplici Concilio Occidentalium Sar-
dicae habito, & Euſebianorum Philippopolitano anni 347.
conſtat, & advertunt laudati Eccleſiaſticae Hiſtoriae Scri-
ptores. Tunc ergo qui Conſtantis Imperio ſubdebantur
Epiſcopi, Occidentales dicti, reliqui Orientales. Numerum
Provinciarum Orientalium ſigillatim exhibent in ſua epiſto-
la Euſebiani, quam Sardicenſem vocarunt. V. Tom. 1. 347
Concil. edit. Harduini p. 671. Notio tamen haec in Eccle-
ſiaſticis videtur immutata: quippe Orientales illi deinceps
propriè dicti ſunt, qui Antiocheno Patriarchatui ſubdeban-
tur, ut ex actis Conciliorum Epheſini, & Chalcedonenſis
facilè poſſet demonſtrari.

V. Receptior itaque vocum uſus in Eccleſiaſticis coepit
temporibus Julii Romani Pontificis, qui ad Orientales epi- 342
ſtolam dedit, quam integram Apologiae ſuae ſecundae in-
ſeruit S. Athanaſius, & dein Labbeus in collectione Con-
cil. Cum enim Euſebiana factio increbuiſſet, atque Impe-
ratorem perfidiae authorem, promotoremque delegiſſet; ut
ille Orientis Imperator, & Orientalium Provinciarum do-
minus apud omnes celebrabatur; ita Euſebiani vocari ma-
luerunt Orientales Epiſcopi, perinde ac ſi non Chriſtum,
ſed Orientis Principem, ac Dominum ſequerentur. Con-
ſtantius inſolentiſſimae ſuperbiae vir, hiſce Epiſcoporum
aſſentationibus inflatus, eò devenerat, ut ſcripſerit de illo
Marcellinus l. 15. c. 2. *Qui ſummam Aulam tenebant, omni* 375
*placendi ſtudio in adulationem ex more collato, virtutem felicita-
temque Imperatoris extollebant in Coelum...... quo ille ſtudio
blanditiarum exquiſito ſublatus, immunemque ſe deinde fore ab
omni immortalitatis incommodo fidenter exiſtimans, confeſtim à
juſtitia declinavit, ita intemperanter, ut aeternitatem eam ali-
quoties aſſereret: ipſe dictando ſcribendoque propria manu, Or-
bis totius ſe Dominum appellaret.* Quapropter Athanaſius de
Synodis, ubi de Euſebianis, ſcripſit. *Omnia reſpectu ſuae hae-
reſis ſcripſerunt: deinde cum ſimularent ſe de Domino ſcribere,
alium ſibi Dominum, Conſtantium ſcilicet creaverunt......ſuumque
Caeſarem ſcilicet appellaverunt.*

Illuſtria alia idem Athanaſius reliquit. monumenta hujus
aſſentationis Euſebianorum, praecipue poſt Sardicenſem
Synodum, quando ejuſdem innocentia ubique proclamata 347

erat, ſuaeque Sedi fuerat reſtitutus. Solicitare tum coeperunt Urſacium, & Valentem, ut pro Athanaſii dejectione Conſtantium interpellarent; iidemque in habita ad Conſtantium allocutione, quum Epiſcoporum conſpirantium pro Athanaſii innocentia conſenſum, in Encyclicae Sardicenſis ſubſcriptione expreſſum, Imperatori enarraſſent, ſubjungunt. *Nos interim deſerti, deſtitutique relinquimur, neque leve periculum eſt, ne haereſis noſtra palam innoteſcat, ac deinde tu nobiſcum haereticus judiceris: quod ſi ſit, vide ne cum Manichaeis in eandem claſſem computemur. Age igitur, incipe eos perſequi, & ſuſcipe patrocinium tuae ſectae; ſiquidem illa te ſuum Imperatorem agnoſcit.* Novum itaque erigitur in Eccleſia abominationis idolum, ſedetque decretorum author, &. Conciliorum Imperator, omneſque cogit Epiſcopos ad ſubſcribendum placitis ſuis. Quam ob rem ipſe, quum Paulinum Epiſcopum Trevirorum, Luciferum Calaritanorum, Euſebium Vercellenſem, Dionyſium Mediolanenſem refragatores audiret, dicenteſque *id non eſſe Eccleſiaſtici Canonis, ſtatim ſubjecit. At quod ego volo pro Canone ſit: ita enim me loquentem, qui vocantur Syriae Epiſcopi, ſuſtinent. Aut igitur obtemperate, aut vos quoque exules eſtote.* Ex eodem Athan. p. 831., qui p. 861. addit. *Siquidem jam denuo in locum Eccleſiaſticae cognitionis ſuum Palatium tribunal earum cauſſarum conſtituit, ſeque earum litium ſummum Principem & Authorem facit.* Et mox. *Quis enim videns eum in decernendo Principem ſe facere Epiſcoporum; & praeſidere judiciis Eccleſiaſticis, non merito dicat, illum eam ipſam abominationem deſolationis eſſe, quae à Daniële praedicta eſt? Nam cum circumamictus ſit Chriſtianiſmo, & in loca ſancta penetret, & inibi conſiſtens devaſtet Eccleſias, abrogans Canones, vi cogens, ut ſua obtineant, quis unquam audebit dicere, hoc tempus Chriſtianis pacatum eſſe, & non potius perſecutionis eſſe?* Alia plurima ibid. adducit, ut probet tum praeſumtiones Conſtantii in Eccleſiaſticis judiciis, tum foedas Orientalium Epiſcoporum aſſentationes; meritoque de eodem Imperatore concludit pag. 831. *Iſte vero nulla ratione inſtructus, vi & potentia omnes cogit: adeo ut ſtatim nulli non appareat, ipſorum ſententiam non ſecundum Deum, ſed humanam eſſe, & Arianos revera nullum habere Regem, niſi Caeſarem: per eum enim omnia, quae*

volunt

Digitized by Google

volunt , *perpetrant iſti Chriſti perduelles* . De eadem Orien-
talium fraude , qua Conſtantium faſcinaverant , Sulpicius 401
l. 2. c. 54. agens , aït , Euſebianis *quodlibet audere atque*
agere facile erat , *Regis amicitia ſubnixis* , *quem ſibi pravis*
adulationibus devinxerant . Haec itaque vera origo eſt ſciſ-
ſionis Eccleſiarum in Orientalem atque Occidentalem .

VII. Adde apud eundem Athanaſium , referentem Epi-
ſcoporum dicta , Conſtantio adulantium , ſeque ipſius ſtatu-
ta ut Canonicas ſanctiones venerari profitentium , vocari ab
Imperatore authores ſuae ſententiae *Syriae Epiſcopos* : quo
nomine Orientales hauddubie indigetat . Oriens enim , Pli- 75
nio l. 5. c. 12. teſte , fuit plaga Veteribus , ubi ſol oritur , à
Tigri fluvio uſque ad Cyprum , & Thraciam verſus Occi-
dentem , & à Pontó Septentrionali uſque ad Arabiam ver-
ſus Meridiem : Quae tota regio Syria dicta eſt , & terrarum
maxima : proindeque idem erat Syriae dici Epiſcopos , at-
que Orientales . Itaque ab Euſebianis Orientalium nuncu-
patio manavit , qua , ut ſe Conſtantii mancipia oſtenderent,
maluerunt ab Orientis domino , Orientales dici , quam Ca-
tholicae Eccleſiae Epiſcopi . Unde diro poſtmodum Schiſ-
mate abs Occidentalibus divulſi , ſectam fecere propriam ,
fide , moribus , atque Eccleſiaſtico regimine planè diverſam.

VIII. Quam autem ſciſſionem conſtituerant , opere com-
pleverunt. Etenim quum Conſtans fratrem Conſtantium hor-
tari coepit , ut totius Orbis Epiſcopi Sardicae ad motas con-
certationes terminandas convenirent , plurimique jam ibi
adeſſent , Euſebiani Orientales probe gnari , minimè ſibi li-
berum futurum , vi ac potentia Domini ſui , & Imperatoris
abuti in decernendo , Sardica digreſſi , Philippopolim in 347
Thraciam commigrarunt , coetum habituri ſuum ; & tunc
primum duo haec promoverunt , ut ſcilicet utraque pars
Concilia in ſuo tractu ageret , & quod uni foret placitum,
ab altera minimè reſcindi poſſet . Pravi hujus inſtituti ra-
tiones adducunt in epiſtola exarata in Philippopolitano
conciliabulo , quam tamen ſub Sardicenſis conventus no-
mine evulgarunt . Haec autem habent . *Propterea hanc no-*
vitatem moliebantur inducere , *quam horret vetus conſuetudo Ec-*
cleſiae , *ut in Concilio Orientales Epiſcopi quidquid fortè ſtatuiſ-*
ſent , *ab Epiſcopis Occidentalibus refricaretur* : *ſimiliter quicquid*

Occi-

Digitized by Google

Occidentalium partium Epiſcopi, ab Orientalibus ſolveretur. Sed hoc ex illo ſuo praviſſimo ſenſu tractabant. Verum omnium Conciliorum juſtè legitimèque actorum decreta firmanda, Majorum noſtrorum geſta conſignant. Nam in Urbe Roma ſub Novato, & Sabellio, & Valentino haereticis factum Concilium, ab Orientalibus confirmatum eſt: & iterum in Oriente ſub Paulo à Somatis, quod ſtatutum eſt, ab omnibus eſt ſignatum. Iis ge-
440 mina habet Sozomenus l. 3. c. 8. Subdolè autem abs Encyclicarum uſu Eccleſiarum ſciſſionem in Orientalem, & Occidentalem emanaſſe hariolantur. Ab hoc quidem tempore Orientales ab Occidentalibus diſſociari coepti ſunt, cum hùc uſque in apertum deſciſſere veriti, Occidentalium ſemper communionem affectarint. Nunc demum, diſrupto communionis commercio, erectoque Conſtantii vexillo, non ſub Chriſto, ut antea, ſed ſub Principe militare coepere Orientales. Hinc Sozomenus, enarratis ibid. c. 13 Conciliorum Sardicenſis, & Philippopolitani actis, concludit. *Poſt hanc Synodum Orientales, & Occidentales non amplius inter ſe commiſti ſunt, tanquam idem ſentientes de fide, neque invicem communicarunt. Sed Orientales quidem in Thracia tenus, Occidentales vero uſque ad Illyricum ſeſe mutuò diremerunt. Eccleſiarum vero ſtatus diſſenſionibus perturbatus, & calumniis*
440 *obnoxius fuit*. Et Socrates l. 2. c. 20. de utriuſque Synodi Epiſcopis. *Porro utrique rectè ſe, atque ordine feciſſe exiſtimabant: Orientales quidem, eo quòd Occidentis Epiſcopi eos, qui à ſe depoſiti fuerant, recepiſſent: Occidentales vero, propterea quod hi, qui iſtos depoſuerant, ante cauſſae cognitionem aufugiſſent: & eo quod ipſi quidem Nicaenam fidem cuſtodirent, illi vero eam adulterare auſi fuiſſent.*

IX. Haec quidem Euſebianorum machinatio fuit, quam, vivo Conſtante, ad effectum perducere prorſus non valuerunt, cujus timore perciti intra vallum conſiſtere quotquot irruptionem moliebantur. Irruperunt autem, Conſtante interfecto, & rerum ſummam obtinente Conſtantio, impietatis duces, atque eò ferocius, quo diutius conceptam in Orthodoxos iram corde foverant. Quare ſubſcriptionem primò Epiſcoporum, Encyclicae Sardicenſi factam, irritam reddere ſunt conati, Synodo deinde Ariminenſi collecta, perfidiam approbari curarunt. Oecumenicam ergo Sy-

nodum

nodum à Conſtantio Euſebiani ipſi poſtularunt; ſed ut me-
ditatam ſciſſionem inducerent, ipſi pariter authores fuere,
ut Orientales in Oriente, in Occidente Occidentales Epi-
ſcopi ſejunctim cogerentur. Praecipuus diviſionis hujuſce-
modi author fuit, & apud Imperatorem ſuaſor Baſilius An- 347
cyranus; quod Sozomenus l. 4. c. 16. in hunc modum me-
moriae prodidit: *Dum Synodus ingenti ſtudio acceleratur, Eu-
doxius, Acacius, Urſacius, ac Valens, & qui cum illis erant,
cum apud ſe reputaſſent, ex omnibus ubique Epiſcopis, alios
quidem Nicaenam fidem conſtanter retinere; alios vero eam prae-
ferre, quae in dedicatione Antiochenae Baſilicae edita eſſet:
quarum utraque ſubſtantiae nomen haberet, & Filium Patri un-
dequaque ſimilem aſſereret, ac ſi fortè omnes in unum convenirent,
opinionem Aëtii, quam ipſi probabant, eos procul dubio condem-
naturos, utpote à duabus illis fidei formulis diſſentientem; id
evicerunt, ut Occidentales quidem Arimini, Orientales vero Se-
leuciae in Iſauria congregarentur. Eo ſcilicet conſilio, ut quo-
niam facilius eſt paucis, quam omnibus perſuadere, ipſi bifariam
diviſi, utramque Synodum, ſi fieri poſſet, in ſuam ſententiam
pertraherent: ſin minus, alteram ſaltem, ne communi omnium
ſuffragio haereſis ipſorum damnaretur. Ad has autem res per-
ficiendas ſubſidio illis fuere tum Euſebius Eunuchus, Praepoſitus
Cubiculi, qui & neceſſarius Eudoxii, & ejuſdem cum illo ſen-
tentiae erat; tum alii primores viri, qui Euſebio gratificari ſtu-
debant.* Sciſſio itaque, ac prophanus hic agendi modus, re-
ceptae conſuetudini contrarius, non aliis quam Eunu-
chis patrocinantibus, ſimilium plerumque fraudum archi-
tectis, introduci oportebat. Praepoſteram agendi rationem
ipſa adhibita vis ſatis commonſtrat. Quare Eunuchorum po-
tentia factum eſt, ut Arimini Occidentales, Orientales Seleu-
ciae in coetum cogerentur, ut prolixe ibid. Sozomenus cap. 17.

X. Quod promovêre Eunuchi, id in ipſa Ariminenſi Sy-
nodo per Urſacium, & Valentem egit Imperator, quibus
ducibus Ariminenſes Epiſcopi lapſi ſunt. Ex Severo Sulpi- 359
tio enim lib. 2. n. 59. haec diſcimus. *Valens & Urſacius af-* 401
firmantes, praeſentem fidem (Ariminenſis nempe perfidiae)
*catholicâ ratione conceptam ab Orientalibus, Imperatore authore,
prolatam, cum piaculo repudiari, ut quis diſcordiarum finis
foret, ſi quae Orientalibus placuiſſent, Occidentalibus diſplice-*

rent. Fraudem adhibitam aperit Sozomenus l. 4. c. 19. Tunc ergo conclamata perverſitatis formula; actumque, ut quae Orientalibus ab Imperatore, perfidiae Patrono, edita placerent, eadem & Occidentales cum obſequio ſuſciperent. Quod apoſtatici etiam Ariminenſes Epiſcopi in ſua Pſeudo-Synodica ad Imperatorem directa, & exſtante in fragmentis apud Hilarium, verbis hiſce haud veriti ſunt comprobare. *Quia & nos in praedicatione nominis Dei Orientalibus, & tuae diſpoſitioni plenum reddidimus obſequium*. Quare germana ſciſſionis Orientalem inter, & Occidentalem Eccleſiam origo, & perverſa invecta methodus, ut ad placitum alterutrius partis, magis autem Imperatoris, fidei terminarentur controverſiae, ex praedictis eſt repetenda. Formulam enim Ariminenſem, ſibi jam à Valente, & Urſacio oblatam, probaverat antea Imperator Conſtantius.

XI. Atque hinc quoque ortum eſt diſſidium, quod fere duravit deinceps inter Eccleſias Orientis, & Occidentis. Diviſio enim ex linguae primùm diverſitate orta, per Urſacium, Valentem, perfidiaeque ſocios aucta, in ſequentibus Eccleſiaſticis conventibus vindicata legitur, uſque quo
379 Oriens fere omnis ad Theodoſii ſenioris Imperium graviſſimis laceſſitus haereſibus, à communione & fide divortium fecit, qualibet parte res ſuas agere, & in ſuos coetus concedere aſſueta. Quapropter in Concilio Aquileienſi, quum
381 Palladius, Arianorum ſignifer, diſceptationem detrectaret, quod ſoli ibi conſiderent Occidentales, cauſſam S. Ambroſius protulit: *Quia ſcirent conſuetudinem hujuſmodi, ut in Oriente Orientale eſſet Concilium, intra Occidentem Occidentalium; inde non putaverunt eſſe veniendum*. Quum deinde, quod Ambroſius hìc aſſerit, apud omnes fere receptum id eſſet, poſt inſtaurata unitatis, & communionis commercia, quadam adhibita moderatione, conſtitutum eſt, ut ante Synodum in Oriente indictam, Romae fieret Epiſcoporum Occidentalium Concilium, quod controverſiam ſuo calculo terminatam, Orientalibus per legatos referaret. Hanc conſuetudi-
381 nem in reliquis, poſt II. Oecumenicum, Orientis Conciliis accuratiſſimè ſervatam legimus. Ut vero ſimul omnes in unam fidem temporibus B. Damaſi coiverint, in Comment. ad Patrum Chalced. Adlocut., ubi de Tomo Occidentalium, enarrabimus.

§. VIII.

DE ACTIS IN ENCYCLICARUM EVULGATIONE POST INDUCTAM ECCLESIAE ORIENTALIS, ET OCCIDENTALIS DIVISIONEM, EXEMPLO SARDICENSIS ENCYCLICAE.

Synopſis.

I. *Encyclica Sardicenſis proponitur*. II. *Narratur cauſſa Athanaſiana*. III. *Poſt Sardicenſem Encyclicam juſſu Conſtantis Imp. Paulus Conſtantinopolitanus reſtituitur*. IV. *Athanaſius à Conſtantio revocatur*. V. *Sardicenſis Encyclica à Julio Pontifice confirmata*. VI. *Epiſcopi ubique omnes Encyclicae ſubſcribunt, & Athanaſio communicant*. VII. *Illorum epiſtolae in Tomum Encyclicum ſunt redactae*. VIII. *Ipſe Conſtantius Encyclicam Sardicenſem Dei Decretum appellat, & Athanaſium ſuſcipit*. IX. *Athanaſius Alexandriam pergens, in variis Epiſcoporum Synodis, & in Hieroſolymitana praeſertim ſub Maximo ſuſcipitur*. X. *Quo jure Maximus Hieroſolymitanam Synodum congregaverit*. XI. *Sardicenſis Encyclica in Concilio Carthaginenſi ſub Grato ſubſcribitur*. XII. *Valens, & Urſacius Nicaenam fidem, & Athanaſium ſuſcipiunt*. XIII. *Univerſalem Eccleſiae conſenſum, & ſecutam deinde pacem deſcribit Athanaſius*. XIV. *Arianorum duces turbantur, & ad Conſtantium confugiunt*. XV. *Antencyclica ab Imperatore vulgatur*. XVI. *Hanc à Liberio Pontifice confirmari elaborant*. XVII. *Liberii reſponſum expenditur*. XVIII. *Colligitur ex tota diſputatione Encyclicarum authoritas*.

I. QUae hactenus de Orientalis, & Occidentalis Eccleſiae diviſione, deque nova celebrandorum Conciliorum forma per Euſebianos inducta, diſſeruimus, difficilem habent intelligentiam, niſi Encyclicae Sardicenſis Concilii ſubſcriptio tum in Concilio, tum extra ab Epiſcopis in Cathedris ſuis ſedentibus facta, penitus introſpi-

ciatur. Equidem vel ex hac unica deprehendi authoritas poterit, quae accedit controverſiarum definitionibus, per Encyclicas ubique ſubſcriptas, propoſitis. Hanc per partes juvabit deſcripſiſſe, ut ex ea reliquarum normam habeamus, ſimulque conſtet, quanti ponderis, & aeſtimii illa fuerit, cum ad ejus irritandas ſubſcriptiones, machinas omnes promoverint Orientales, & dira ſaevâque perſecutione Conſtantius graſſatus ſit in eos, quotquot datum conſenſum revocare detrectarunt.

II. Conſtantis itaque Imperatoris voto, Juliique Pontificis, & Maximini Trevirorum Epiſcopi zelo non interrupto,
335 Athanaſius, Euſebianorum factione in Synodo Tyria depoſitus, intruſo in ejus vicem Georgio Alexandrino, lupo verius quam Paſtore, ad necem non ſemel quaeſitus, Ro-
342 mamque velut ad aras profugus, & Romanae Synodi de-
347 creto innocens declaratus, tandem in Sardicenſi Concilio cauſsâ ejuſdem retractata, Sedi reſtituitur. In epiſtola enim à Synodo enucleata, & ad Orbis Epiſcopos data, Athanaſiana cauſſa penitus fuit definita, idemque innocens communi Antiſtitum praeſentium voto declaratur, necnon depoſiti Arianiſmi duces, Acacius Caeſarienſis, Theodorus Heracleenſis, Narciſſus Neroniadis, Valens, & Urſacius judicantur. Modus quo Encyclica Epiſcopis, & Eccleſiis Orbis denunciata fuit, à S. Athanaſio, aliiſque coaevis, & proximis Scriptoribus accuratè deſcriptus fuit, & nos eorum legentes veſtigia deſcriptum exhibebimus, animadverſiones identidem annectentes, quibus dati conſenſus authoritas dignoſcatur.

III. Ut itaque Conſtans audivit Sardicenſis Concilii unanimitatem in declarandis inſontibus Athanaſio praeſertim Alexandrino, & Paulo Conſtantinopolitano, hunc Con-
440 ſtantinopolim, referente Socrate l. 2. c. 23. *cum duobus Epiſcopis, & reliquo honorifico apparatu mittit, tum ſuis, tum Synodi literis communitum*. Epiſtola ergo Sardicenſis non poterat non publicari per Conſtantinopolitanum Tractum, & apud finitimarum Provinciarum Epiſcopos, qui, Macedonio, intruſo Epiſcopo, tunc abdicato, novum reſtitutum Pontificem velut legitimum ſuſcipere tenebantur, ac decreto, ſeu Encyclicae Sardicenſi, ea quae ſupra diximus decernenti, ſubſcribere.

IV.

Digitized by Google

IV. Duos alios Legatos una cum Synodica direxit ad
Conſtantium Synodus, quorum acta deſcribit Theodoritus 423
l. 2. c. 9., ubi calumnia per ſummum nefas à Stephano
Antiocheno excogitata detegitur, ob quam depoſitus, ſuc-
ceſſorem habuerat Leontium Caſtratum, quemadmodum à
Sozomeno quoque, & Socrate proditum eſt. Conſtantius,
ſuſceptis honorificè legatis, triplici epiſtola Athanaſium ac-
cerſivit, ſpondens effecturum ſe, ut ſummo cum honore
Alexandrinae Sedi reſtitueretur. Illas ut accepit Athana-
ſius, Aquileïae tunc moras trahens, primò Presbyteros
duos ad Eccleſias uſquequaque omnes cum Encyclica Sar-
dicenſi miſit, ut Epiſcopi ſubſcriberent, atque in ſignum
conſenſus Pacificas Presbyteris traderent; Romam deinde
perrexit, ut Apoſtolicâ confirmatione obtenta, Encyclicae
pondus ſuum, & aeſtimium accederet.

V. Dicebamus, Encyclicam quamlibet Pontificio calculo
eſſe confirmandam, quatenus inter membra, & caput ſum-
ma ſervaretur unitas, atque inſuper Encyclica, ceu irre-
formabile decretum, ſuſciperetur. Athanaſius priſcae con-
ſuetudinis gnarus, illicò ac Sardicenſem Synodicam acce-
pit, priores de Pontificia confirmatione curas ſuſcepit, quam
& obtinuit. Audiendus Socrates, qui adductis ibid. tribus
Conſtantii epiſtolis, quibus Athanaſium Aquileïae commo- 440
rantem, ad Alexandrinam Sedem vocabat, ſubjungit: *Oſten-
ſiſque literis Julio Epiſcopo, Eccleſiam quidem Romanam ma-
ximo gaudio affecit. Jam enim credebant Orientalium quoque
partium Imperatorem ipſorum fidei conſentire, quippe qui Atha-
naſium ad ſe evocaret*. Recitat deinde Julii epiſtolam, quâ
commendat Concilii decretum de Athanaſii reſtitutione,
Alexandrinam Eccleſiam hortatur, ut Antiſtitem ſuum, tot
pro fide exantlatis laboribus clarum, ſuſcipiat, profuſiſque
laudibus eundem afficit Athanaſium. Neceſſum ergo erat
ad totius Orbis conſenſum exprimendum, ut epiſtolae En-
cyclicae Pontificius calculus adderetur. Unde Socrates, cum
Julii, tum Imperatoris enarratis epiſtolis, ſubdit: *His li-
teris fretus Athanaſius, in Orientem perrexit*. Ex quo & illud
diſcimus, Epiſcopos aut ſubſcriptione, aut altera epiſtola
conſenſum teſtari ſuum conſueviſſe.

VI. De Presbyterorum delectu, qui Sardicenſis Concilii

Encyclicam, & acta ſubſcribenda deferebant, verba facit Athanaſius ipſe in epiſtola ad Solitarios. Hujuſmodi autem fuit Epiſcoporum ſubſcribentium unanimitas, ut ſcribat ibid. p. 826., quod poſt omnium ſubſcriptionem, *erat in Eccleſia profunda, & admirabilis pax, invicem undecumque Athanaſio Epiſcopo ſubſcribentibus, iiſdemque ab Athanaſio conſuetas Pacis & tranquillitatis literas accipientibus*. Addit imo Georgium, Acacium, Theodorum, & Narciſſum, Euſebianorum primipilos, quos Sardicenſis Synodus in eadem Encyclica depoſuerat, videntes poſt omnium ſubſcriptiones, & Athanaſii reſtitutionem, & propriam depoſitionem ratas ubique haberi, ſeriò cogitare coepiſſe, ac vereri, ne praeterquamquod depoſiti fuerant, velut Haeretici etiam traducerentur. *Cum viderent tantum cum Athanaſio animorum conſenſum, & pacem agitari: erant enim plures in hoc numero, quam quandringenti, tum è Magna Roma, atque univerſa Italia, Calabria, Apulia, Campania, Brutia, Sicilia, Sardinia, Corſica; tum ex univerſa Africa, Galliis, Britannia, Hiſpaniis, una cum magno illo Confeſſore Hoſio, è Pannoniis, item è Norico, Siſcia, Dalmatia, Dardania, Dacia, Miſia, Macedonia, Theſſalia, & univerſa Achaïa, Creta, Cypro item, & Lycia, plurimique ex Palaeſtina, Iſauria, Aegypto, Thebaïde, & univerſa Lybia, & Pentapole*. Prodit deinde prava illorum conſilia ſuperius relata, quibus Conſtantio ſuaſerunt, ut Orientalis Eccleſiae abs Occidentali ſciſſionem permitteret, ipſeque pro arbitrio Eccleſiis decreta figeret.

VII. Epiſcopi quoque ſive epiſtolis, ſive ſcriptis votis, quod egit Julius, Athanaſianam innocentiam ſunt teſtati. Epiſtolas haſce in Tomo Encyclico, ut moris erat, comprehenſas, laudat idem Athanaſius in Apologia 2., in qua propria abſolutione in duplici Synodo, Romana ſcilicet ſub Julio, & Sardicenſi commemorata, haec ad rem habet. *Eorum autem, qui Synodo ſubſcripſerunt nomina, ceterorumque aliorum iſta ſunt: Oſius ab Hiſpania &c.* Et reliquis ſubinde recenſitis, aït. *Qui igitur decretis Synodi ſubſcripſerunt, ſunt iſti, plurimique item alii, qui ante hanc Synodum pro nobis ſcripſerunt, tum ex Aſia, tum ex Phrygia, tum ex Iſauria, quorum ſingulorum nomina cum ſuis epiſtolis circumferuntur prope*

ſexa-

ſexaginta: in univerſum vero trecenti quadraginta quatuor. Ex quo & illud eſt animadvertendum, epiſtolas in codicem contractas, obvias fuiſſe, atque ad authoritatem faciendam ubique circumlatas. Unde argumentum innocentiae propriae promovit Athanaſius. De epiſtolis, hîc ab Athanaſio commemoratis, mentio occurrit in excerptis Athanaſianis, apud Photium cod. 258. pag. 1442. *Imperator Conſtans, adjunctis multis ſatellitibus, dimittit Magnum Athanaſium, & Julius Pontifex multis eum literis munivit*: quas ab Occidentalibus Epiſcopis habere potuit, cum Epiſcopi omnes ſubſcriptae Encyclicae exemplaria ad Primatem dirigerent, ut mox videbimus. Has ergo à Pontifice ultrò accepit Athanaſius, ut conſpirantem Occidentalium conſenſum apud Orientales demonſtraret. 858

VIII. Conſtantius ipſe in epiſtolis, Catholicae Eccleſiae inſcriptis, agens de Athanaſii innocentia, Encyclicam Sardicenſem, ſibi à Concilii legatis oblatam, divinum decretum vocat. In tertia quoque ex tribus, quas Imperator ad Athanaſium ſcripſit, Evocatoriis epiſtolis aït, ſe Alexandrinum Presbyterum una cum epiſtola direxiſſe, qui idipſum voce teſtaretur, quod ſcriptis aſſeveraverat. Imo addit. *Ad pleniorem autem notitiam, Achetam Diaconum miſimus; ex quo diſcere poteris, & quodnam ſit mentis noſtrae propoſitum, & quod ea quae cupis, facile conſecuturus ſis*. Poſtremis hiſce verbis praecedentes noſtrae conjecturae de Diaconica epiſtola, Diaconis data, munus aliquod publicum ſuſcepturis, egregiè confirmantur. Quorſum enim omnis illa adhibita ab Imperatore cautio, niſi ut Diaconus publico diplomate, ſeu Diaconica munitus, Athanaſium de Imperatoris mente, ac ſententia quamcertiſſimum faceret? In quinta quoque, quam Alexandrinis ſcripſit epiſtola, haec duo recolit: I. jam Athanaſium inſontem eſſe probatum, utique Epiſcoporum ſubſcriptionibus, & epiſtolis. *Cum ante oculos ſemper habeamus veſtram in omnibus diſciplinam, nec ignari ſimus, jam pridem vos Epiſcopali providentia deſtitutos eſſe, aequum cenſuimus, Athanaſium Epiſcopum, virum ob vitae ſanctimoniam morumque probitatem omnibus cognitum, ad vos remittere*. II. Decretum Sardicenſe, ab omnibus jam tum ſubſcriptum, Dei decretum appellat. *Epiſcopum autem veſtrum Dei decreto, no-*

ſtraque ſententia ad vos directum, libenter excipite. Et mox. *Haec igitur duo contemplantes, tum noſtram, Deique ſententiam.* Imo etiam in quarta *Eccleſiae Catholicae* inſcripta, ut diximus, epiſtola, eodem modo loquitur. *Non eſt derelictus à Dei gratia reus Epiſcopus Athanaſius, ſed quamquam brevi temporis ſpatio humanae probationi ſubjacuit, divina tamen ſuffragante Providentia, juſtam meruit referre ſententiam, reſtitutus tum Dei voluntate, tum noſtro judicio, in Patriam ſimul & Eccleſiam, cui divino nutu praeſidebat*. Refert deinde Socrates, apud quem laudatae quinque Imperatoris epiſtolae exſtant, quomodo ſuſceptus ab Imperatore fuerit, & quàm honorificè dimiſſus, iter Alexandriam verſus ſuſceperit.

IX. Praetermittendae minimè ſunt circumſtantiae Athanaſiani itineris, in quo Epiſcopi omnes ejuſdem adventum praeſtolantes, oblata Sardicenſis Synodi acta turmatim ſubſcribebant, & lubentiſſimè acquieſcebant omnes, ut Epiſcopus, ac Chriſti athleta Sedi ſuae reſtitueretur. Noluit autem cum Leontio Antiocheno, quem agnoſcebat Arianiſmi fautorem, congredi, nec etiam cum Acacio Caeſarienſi depoſito, & quidem in eadem Encyclica Sardicenſi;
440 ſed Hieroſolymam divertit, ut Socrati proditum ibid. c. 24. *Athanaſius Epiſcopus, arrepto per Syriam itinere, in Palaeſtinam pervenit; ingreſſuſque Hieroſolymam, Maximo ejus Civitatis Epiſcopo, cuncta, quae in Sardicenſi Concilio geſta fuerant, expoſuit, ac qualiter Imperator Conſtantius decretis Synodi conſenſiſſet: deditque operam, ut Epiſcoporum illius Provinciae Synodus congregaretur. Maximus verò nihil cunctatus, quoſdam ex Epiſcopis Syriae, ac Palaeſtinae accerſit, celebratoque ex more Concilio, ipſe quoque communionem, & priſtinam dignitatem Athanaſio reſtituit. Sed & Synodus Alexandrinis, & univerſis per Syriam, & Aegyptum Epiſcopis, ea quae de Athanaſio ſtatuta, judicataque erant, per literas ſignificavit*. Extat Synodalis
350 epiſtola Epiſcoporum Syrorum, atque Palaeſtinorum de judicio Sardicenſi, à ſe confirmato, & Alexandrinae Eccleſiae intimato. Eadem de re ipſe Athanaſius in Apologia ad Conſtantium pag. 774. *Deductus igitur cum ſuis ad iſtum modum Athanaſius, in peragranda Syria, Syros, & Palaeſtinos Epiſcopos convenit, qui Synodo Hieroſolymis coacta, ſinceriter eum cum ſuis exceperunt, & cum pace deduxerunt: ſimul has*

literas

literas ad Eccleſiam, & Epiſcopos ſcripſerunt.

X. Syriae dicuntur, atque Palaeſtinae Epiſcopi Hieroſolymam conveniſſe; ac jure quidem Canonum. Leontius enim Antiochenus, qui Syriae praeerat, jam cum Euſebianis depoſitis ſocietatem inierat, & ipſe caſtratus, jure Canonum, praeſertim Nicaenorum depoſitus, cum reliquis Eunuchis, qui à partibus Arianorum ſtabant, machinabatur novam Athanaſii dejectionem. Acacius quoque Caeſarienſis, cui Hieroſolymitana Eccleſia ſubjecta erat, depoſitus in Sardicenſi Encyclica, primatialia jura amiſerat: Spectabat proinde ad Epiſcopum viciniorem congregare Synodum Syrorum imprimis, atque Palaeſtinorum, qui in Tyria Synodo ſententiam depoſitionis in Athanaſium dixerant. Jure autem in 335 Nicaeno Concilio can. VII. conſtituto, prima Sedes in Pa- 325 laeſtinae tractu erat Hieroſolymitana, cui, ut Protothrono, in abſentia, aut alio canonico Caeſarienſis Primatis impedimento, facultas data erat, publico Eccleſiae, totiuſque Dioeceſeos bono invigilandi. Haec, reor, vera occaſio fuit, cur *Concilio de more celebrato* per Maximum, quotquot olim Euſebianorum fraude decepti, ſententiam dixerunt in Athanaſium, in praeſenti Hieroſolymitana Synodo palinodiam recantaverint, & iniquam de ſanctiſſimo Praeſule ſententiam Synodica emendarint. Veram hanc fuiſſe cogendae Synodi occaſionem, prodit ipſe Athanaſius in epiſt. ad Solitarios pag. 823. *Omnes Palaeſtinae Epiſcopi, exceptis duobus, aut ad ſummum tribus, iiſque ſuſpectis, ita Athanaſium exceperunt, & communionem ejus amplexi ſunt, ut & ſcriptis, & verbis pro ſatisfactione proteſtarentur, omnia quae prius ſcripſerant, ea ſe non voluntate, ſed vi coactos feciſſe.* Imo ut haec audivit factioſa Arianorum cohors, Maximo haud vitio vertit, quod inconſultis vel Antiocheno, vel Caeſarienſi Epiſcopis, Synodum hanc celebraſſet, ſed tantummodo, quòd à priori ſententia cum ſuis receſſiſſet, ex Socrate c. 24., ubi 440 relata Hieroſolymitana Synodo, ſcribit. *Qua de cauſſa inimici Athanaſii, Maximum non mediocriter irriſerunt, quod cum antea depoſuiſſet Athanaſium, tunc repente mutato conſilio, perinde quaſi nihil prius geſtum eſſet, ſententiam pro eodem tulerat, qua communio illi ac dignitas reddebatur.* Sed quantum ponderis acceſſerit interim ex ea Synodica Athanaſianae cauſ-

ſae, infra c. 26. docet Socrates. *In hoc rerum ſtatu ingreſſus
Alexandriam Athanaſius, Epiſcoporum Aegypti Concilia congre-
gavit, qui quidem convenientem prorſus cum Sardicenſi Synodo,
& cum ea, quam Hieroſolymis Maximus convocaverat, tulere
ſententiam.*

XI. Sed ad Sardicenſem Encyclicam regrediamur. Afri-
348 cae ſex Provinciae in Carthaginenſi Synodo ſub Grato, una
cum actis Concilii, eandem ſuſceperunt Encyclicam. Gratus
enim in prima interlocutione in hunc modum Epiſcopos
tum Africae, tum ubique reliquos eſt allocutus. *Gratias
Deo Omnipotenti, & Chriſto Jeſu, qui dedit mali Schiſmatis fi-
nem, & reſpexit Eccleſiam ſuam, ut in ejus gremium erigeret
univerſa membra diſperſa.* Adfuerat enim ille Sardicenſi Con-
cilio, nec dubitandum, quin acta ſuarum Provinciarum
Epiſcopis renunciaverit, quum Canones aliquot juxta Sardi-
cenſia decreta in praeſenti, quam agebat, Synodo confirma-
verit. Quin etiam S. Athanaſius in Apologia ad Conſtan-
tium, Encyclicam Sardicenſis Concilii recolens, hoc prae-
mittit ſcholion. *Haec epiſtola ad Aegyptios, & Africa-
nos Epiſcopos per omnia ſine ulla mutatione deſcripta eſt.*
pag. 760.

XII. Tandem quod luculentiſſime exhibet pondus, &
vim praeſtiti hujus univerſalis conſenſus Encyclicae Sardi-
cenſis Concilii, illud eſt, quod Valens & Urſacius, ejura-
348 to Philippopolitano conventiculo, in primo habito Medio-
lani Concilio, ſuamet profeſſione, & poenitentiae libello
faſſi ſunt, quae injuſtè contra Athanaſium egerant. Dein-
de quum Athanaſii legatis occurrerent, epiſtolam Pacificam
tum ſuam, tum reliquorum Epiſcoporum, illis etiam non
poſtulantibus, adjunxerunt libello. Libelli illi duo legun-
354 tur in fragmentis apud Hilarium, annotantem, Romae idip-
349 ſum apud Julium in altera coacta Synodo ab iiſdem fa-
ctum. Quod Athanaſius quoque advertit in epiſtola ad Soli-
tarios, ubi praedictos libellos refert, & pag. 826. ſubjun-
git. *Has literas cum dediſſent, ultro ſcripſerunt epiſtolis Pacifi-
cis, quas Athanaſii presbyteri Petrus, & Irenaeus, & Ammo-
nius Laïcus ad id circumëuntes colligebant, cum tamen Atha-
naſius nihil tale ab Urſacio & Valente poſtulaſſet.* Ubi vero
meminit Athanaſius Ammonii laïci, intelligendus dubio

Digitized by Google

procul is eſt, qui Magiſtriani officio fungebatur, quo comite curſus publicus legatis Presbyteris patebat. Quemadmodum quum Leo ſuam, & Anatolii Encyclicam per Clericos Lega- 457
tos direxit, ſocii aderant Magiſtriani, quorum in epiſtolis, in Tomo Encyclico III. Parte Concil. Chalced. comprehenſis, mentio ſaepius occurrit. De epiſtolis illis vide & Sozomenum l. 3. c. 23. 440

XIII. Haec itaque, curſim deſcripta, facile demonſtrant, cujus authoritatis, ponderis, atque aeſtimii haberetur conſenſus Encyclicae datus; adeo quidem, ut Athanaſius, iis omnibus enarratis, argumenti vim hiſce verbis expreſſerit: *Quis igitur iſta, & tantam Eccleſiae pacem non admiratus eſt? Quis non gaviſus de tanta & tot Epiſcoporum inter ſe concordia? Quis Deum non glorificavit, conſpecta in Synaxibus tanta populi laetitia? Quot igitur inimici ſimultatem depoſuerunt? Quot prius calumniati, calumnias ſuas damnaverunt? Quot prius odio infeſti, Athanaſium poſtea dilexerunt? Quot palinodiam ſuorum in eum ſcriptorum cecinerunt? Multi, qui vi, non voluntate apud Arianos agebant, noctu ad Athanaſium venientes, ſeſe & purgabant, haereſimque ſimul anathemate exſecrabantur, & veniam de inſidiis ac calumniis ſuis poſtulabant, corporibus quidem ſe apud illos apparere, animo tamen cum Athanaſio Synaxim facere, ac ſemper cum eo eſſe, poſtulantes hac in re ſibi fidem haberi*. Equidem ſi argumenti vis in conſenſu Encyclicae praeſtito hic non emicat, nihil aio illuſtri quavis enarratione certo poſſe demonſtrari.

XIV. Quamquam verò haec librata ratione expenſa ſatis ſuperque ſint, ut tamen ſaluberrimum remedium hocce, per quod olim ſtetit animorum fideique concordia, magis eluceſcat, adſtruere illud ex adverſariorum perſuaſione conabimur. Contrariorum enim confeſſio exactior plerumque eſt veritatis oſtenſio. Inter haec itaque depoſiti in Synodica Sardicenſi Epiſcopi, Arianorum duces, Leontius videlicet, Georgius, Acacius, Theodorus, & Narciſſus, animadvertentes ex communi illo Orbis conſenſu, ultimum imminere Arianae cauſſae exitium, ſedulo meditari coeperunt, quid conſilii foret capiendum. Quod Athanaſius, novam expoſiturus tragoediam cum ſciſſionis Eccleſiarum, tum perſecutionis, quae mox ſecuta eſt, ita enarrat ibid. *Haec quum*

audi-

audirent, & *conſpicerent ſententiae Euſebianae*, *haereſeoſque ſucceſſores*, *inter quos Leontius ille caſtratus*, *quem ne ſub Laïci quidem ſpecie ad communionem admitti oportuit*, *eo quod ſeipſum abſcidit*, *ut libere cum Euſtobio dormiret*, *revera quidem ejus muliere*, *ut ipſe praetendit*, *ſed quae Virgo praedicatur*. Atque id Canonibus Nicaenis de Eunuchis, deque interdicto Clericis cum mulieribus contubernio, occaſionem dediſſe, probant illorum canonum commentatores; de quo etiam Theodoritus l. 2. c. 24. Proſequitur autem Athanaſius. *Georgius item*, & *Acacius*, *Theodorus*, *Narciſſus*, *qui in Synodo depoſiti exautboratique erant*, *magno pudore ſuffundebantur*. *Deinde quum viderent tantum cum Athanaſio animorum conſenſum*, & *pacem agitari*, (Et hîc provincias omnes enumerat, quae, ut ſupra expoſitum eſt, Encyclicae Sardicenſi ſubſcripſerant) *metu invidiaque anxii fuere*, & *quod tot Epiſcopi cum Athanaſio communionem foverent*, & *quod formidarent*, *ut quos ipſi deceperant*, *à ſe deficerent*, & *huic unanimitati*, *communionique ſeſe adjungerent*, *neve quod futurum videbatur*, *de eorum haereſi jam ubique famoſa*, *triumphus ageretur*. Agnoverunt ergo adverſarii ipſi, certum ſibi ex *tanto conſenſu* imminere exitium: proindeque conſenſus, & Encyclicae ſubſcriptio habebatur veritatis argumentum. Sed quoniam tunc imperabat Conſtans, opportunius inchoandae tragoediae tempus praeſtolabantur.

Conſtante autem Maxentii Tyranni proditione ann. 351. interfecto, ac pace fruentibus in toto catholico Orbe poſt Sardicenſem Synodum Eccleſiis ad eundem uſque annum, Conſtantio ceſſit Conſtantis univerſa ditio. Quare impoſtores rati opportunum adveniſſe tempus ad impia, quae animo fovebant, perficienda conſilia, Urſacium, atque Valentem delegerunt, qui Imperatori ſuaderent, tum propria revocari oportere edicta, tum Antencyclicis Epiſcopos cogi ad damnandum iterato Athanaſium. Abs conſenſu Encyclicae praeſtito, ſuaſoriam aggrediuntur perjuri Epiſcopi, apud Athanaſ. ibid. pag. 828. *Quicquid terrarum eſt ſcriptis tuis*, *quibus nos impetis*, *adimplevit*: & *fere omnes cum eo communione ſociantur*, cum reliquis, quae ſupra cum de prima occaſione ſciſſionis Eccleſiarum Orientalis, & Occidentalis actum eſt, prolixius referavimus. Eadem attingunt

Socra-

Socrates l. 2. c. 25. & ſeqq., Sozomenus l. 4. c. 8., Theodoritus 440
l. 2. c. 13.

XV. Impii itaque tragoediae actores, videntes Sardicen-
ſem Encyclicam ab Orbis totius Epiſcopis ſubſcriptam, in
argumentum veritatis tranſiiſſe, nova condita Antencycli-
ca, damnationi Athanaſii ſubſcribere ſunt aggreſſi; ſecuti
in eo quidem Arii perfidiam, qui poſt Alexandri Encycli- 320
cam, cui potior Orbis pars ſubſcripſerat, egit apud Euſe-
bium Nicomedienſem, ut in Nicomedienſi Synodo Antenc-
cyclicas per Orbem dirigeret, quibus pientiſſimi Alexandri
conatus fuere retardati, & non parum infracti, ut ex So-
crate alio loco dicemus. Id quod ut facilius obtinerent his
temporibus Euſebiani, mentionem quidem in Antencycli-
ca Athanaſianae ob nova crimina damnationis fecere, ſed
nuſpiam Sardicenſis Synodi, aut formulae cujuſpiam ſub-
ſcribendae, ne videlicet fraus detegeretur. Antencyclica
itaque per Urſacii, atque Valentis Clericos in Orbem mit-
titur, ipſo referente in epiſt. ad Solitarios p. 829. Athana-
ſio, qui & illud annotat, Epiſcopis, Clericis, aliiſque ad
Judices per vim adductis, fuiſſe ſaepius dictum. *Aut ſubſcri-
bite, aut ab Eccleſia recedite. Nam* [ſubjungit de ſenten-
tiae illius executione] *& Magiſtratibus ſcriptum eſt, & multa
pecuniaria denunciata, niſi quiſque ſuae Civitatis Epiſcopum
ſubſcribere coëgiſſet*. Et mox pag. 830. *Exiſtimans quod quemad-
modum hominum ſententias, ita quoque veritatem immutare poſ-
ſet*. Pergit enarrare tragoediae hujus acta, quaeve mala per-
petraverint Judices, ut aut verbis blanditiiſque, aut vi Epi-
ſcopos Clericoſque pertraherent in Athanaſii damnationem.

XVI. Interim ad confirmationem principalioris conditio-
nis, quam ſupra aſſeruimus requiſitam ad ſtatuendam En-
cyclicae cujuſvis authoritatem, petitam ſcilicet ex neceſſa-
ria Romani Pontificis confirmatione, ut in capite, atque
membris totius Eccleſiae conſenſus oſtenderetur, minimè
praetermittimus annotare, quanto elaboraverint ſtudio Eu-
ſebiani, ut ducem, aut conſentientem in Athanaſii dam-
natione haberent Romanum Pontificem. Noverant enim
Urſacius, & Valens, ſtruendi ac deſtruendi verſipelles arti-
fices, extortas licet omnium ſubſcriptiones minimè oblite-
rare poſſe priorem conſenſum, niſi praeſto eſſet Romani

Ponti-

Pontificis confirmatio. Quam ob rem ita apud ſe conſtituerunt: *Si Liberium in noſtram ſententiam traxerimus, omnes brevi ſuperabimus*. Ex Athan. ibid. p. 832. Ea de cauſſa per Eunuchos primum, per ſe deinde Liberium aggreſſus eſt Conſtantius. Sed, re infecta, minis etiam atque exilio frangere voluit Pontificis ſolidum firmumque Orthodoxiae defendendae propoſitum. Quod docet ibi Athanaſius, & pro-
423 lixius Theodoritus l. 2. c. 16. Quae ſimiliter cum Oſio egerint pro eadem extorquenda ſubſcriptione, enarrant Athanaſius ibi, & reliqui Eccleſiaſtici Scriptores.

XVII. Ex iis autem, quae innuimus de Antencyclica, per Valentis, Urſaciique Clericos in Orbem delata, ſolamque Athanaſii damnationem promovente, abſque alterius ſuſcipiundae conditionis interpoſitione, quamluculentiſſimè oſtenditur Encyclicarum authoritas, ſi ad Liberii colloquium cum Eunuchis habitum pauliſper attendamus. Inter alia enim argumenta, quibus imperialia juſſa rejicit, illud praecipuum erat, quod jam probatus à Romana Eccleſia fuiſſet Athanaſius, nec abſens condemnari poſſet. Subjungit autem, ex eodem Athan. p. 833. *Quod ſi omnino Imperator curam ſuam pro Eccleſiaſtica pace interponere quaerit, aut ſi ſcripta à nobis pro Athanaſio deleri jubet, deleantur quoque ea, quae contra illum ſcripta ſunt: fiatque deinde Eccleſiaſtica Synodus longè à Palatio, ubi nec Imperator praeſto eſt, nec Comes ſe ingerit, nec Judex minatur, & ubi ſolus timor Dei ad omnia ſufficit, & Apoſtolorum inſtitutio, ut eo in loco ante omnia Eccleſiaſtica fides aſſeratur; quemadmodum à Patribus definitum eſt in Nicaeno Concilio ...... Neque fas eſt, prius quaeſtionem de factis alicujus, quam de fide Religionis haberi. Primum enim omnis fidei diſcordia reſcindenda eſt, & tum quaeſtionem de negotiis fieri oportet..* Tanti faciebat Pontifex ſubſcriptiones Encyclicae, pro Athanaſii abſolutione editae, ut omnino arbitraretur in eo facto neceſſarium, vel utramque partem à priori ſententia recedere, atque in Concilio convenire, in quo Nicaenae fidei decretum confirmaretur, unde abs ejuſdem profeſſione agnoſcerentur tandem qui puri, & qui noxii; vel omnino ſtare ſubſcriptioni univerſi Orbis, qui in Epiſcopis conſentientibus Sardicenſis Concilii decretum roboraverat.

Antencyclicae vero ſubſcriptionem eo ſcopo fuiſſe promotam, ut deinde Athanaſium, velut Epiſcoporum omnium ſubſcriptione damnatum, apud ignaros reum, ac depoſitum traducerent, ipſemet advertit Athanaſius, qui in eadem ad Solitar. epiſtola p. 842., ubi de Conſtantio, in hunc modum concludit: *Ceterum cum ille quicquid libuit in Eccleſias tum Italicas, tum alibi ſitas deſignaſſet, aliis in exilium ejectis, aliis vi in ſuam ſententiam pertractis, ubique per omnia ipſius terrore diffuſo, in Alexandriam furorem ſuum, veluti peſtem, convertit, & in ea re non levi calliditate uſi ſunt Chriſti perduelles, nimirum ut ſpeciem multorum Epiſcoporum ſubſcriptionis praeſeſerrent, & ut Athanaſius nullum haberet in perſecutione ſua Epiſcopum, apud quem conqueri poſſet: ideo praeoccupantes omnia terrore impleverunt, terroremque quaſi ſubſeſſorem ſuis dolis aſſociaverunt. Ignari vecordes, ſe in iis ſubſcriptionibus non voluntates Epiſcoporum, ſed vim, quam paſſi eſſent, oſtentare.*

XVIII. Ex actis hiſce, atque Encyclicae Sardicenſis ſubſcriptione facile modus colligitur, in aliis ſubſcribendis Encyclicis obſervatus: Colligitur quoque authoritas, quae ex Epiſcoporum conſenſu, & Pontificia confirmatione eiſdem accedebat. Ex ſaeviſſima deinde perſecutione, in Epiſcopos mota, ut recederent à dato conſenſu, novâque ſubſcriptione priorem abolerent; ex minis, exiliis, aliiſque adhibitis conatibus adverſus eos, qui ſubſcribere detrectabant, magis emicat communis perſuaſio, Encyclicam nempe ſubſcriptam veritatis eſſe argumentum. Enimvero Lucifer, Euſebius, Dionyſius, aliique ſubſcribere renuentes, exilio quidem multati ſunt, ſed condignas quoque conſtantiae laudes ſunt promeriti. Quod ſi pro unius hominis innocentia per Encyclicam confirmata, & declarata, graviſſimas paſſi ſunt perſecutiones ſanctiſſimi doctiſſimique Epiſcopi, & piaculum exiſtimarunt à praeſtito conſenſu recedere, quanti ponderis, & authoritatis fuiſſe arbitrabimur Encyclicas, dogma quodpiam ex Epiſcoporum conſenſu definientes? Qua fide, quove obſequio ſuſceptas? Quanta conſtantia propugnatas? Atque haec dicta ſint ad oſtendendam veram originem ſciſſionis Orientalem inter, & Occidentalem Eccleſiam, utque conſtaret, quanto conſenſus Epiſco-

porum

rum, in ſubſcribenda Encyclica datus, eſſet in aeſtimio apud Primitivam Eccleſiam.

ſ. IX.

DE DOMINICIS CURSORIBUS.

Synopſis.

I. *Uſus Dominicorum Curſorum.* II. *Curſus publicus à Cyro Perſarum Rege inductus, eidemque addicti homines* Angari *dicti.* III. *Eorumdem pariter in Romano Imperio conſtitutio.* IV. *Privati Curſores.* V. *Curſores Eccleſiaſtici.* VI. *Ab Apoſtolis pro Synodica Hieroſol. Concilii ſunt adhibiti.* VII. *Paulus Tychico Dominico Curſore uſus eſt.* VIII. *Dominicorum Curſorum in Eccleſiis electio, ex Ignatio, & Auguſtino expenſa.* IX. *Illorum dotes atque praeſtantia.* X. *Eligendorum examen in Presbyterio inſtituendum.* XI. *Quomodo Cyprianus Saturum, & Optatum delegerit.* XII. *Eiſdem Curſoribus Encyclicarum cuſtodia tradebatur.* XIII. *Diaconi plerumque fuerunt Dominici Curſores.* XIV. *Id ex uſu Eunomianorum confirmatur.* XV. *Cur exigita in Curſoribus doctrina, & cur iidem Presbyterii diſputationibus intereſſent.* XVI. *Illuſtratur id exemplo Poſſidonii, Eccleſiae Alexandrinae ſub Cyrillo Curſoris.* XVII. *Dominici Diaconico, ut Civiles Imperiali diplomate muniendi erant.* XVIII. *Horum celeritas.* XIX. *Ad Eccleſiaſticas dignitates ſaepe aſſumti.* XX. *SS. Codices cuſtodiebant, & Encyclicis ſubſcribebant.* XXI. *Autographa Primicerio tradenda.* XXII. *Qui apud Impp. Magiſtriani.* XXIII. *Iis teſtimonium reddebant Epiſcopi.* XXIV. *Ad Clericatum aſſumti.* XXV. *Qui Subadjuva.* XXVI. *Subadjuvae Clerici Curſoribus cooptati.*

I. ENcyclicarum nomine, argumento, atque authoritate, ex Eccleſiarum conſenſu emanante, expenſis, quae velut interiora Encyclicae epiſtolae ſunt exiſtimanda,

ad

ad exteriora modo deſcribenda progredimur. Atque rem omnem à ſuis principiis repetentes & originibus, Curſorum conditiones primùm inveſtigabimus: quaſdam enim in illis fuiſſe exigitas, ipſa Encyclicarum dignitas facile ſuadet; quippe quae eſſent velut Eccleſiarum quaedam munitiones, pro unitate fidei, atque animorum ſarta tectaque cuſtodienda, deſtruendiſque pravis conſiliis. Quare ut haec illico, & tuto denunciarentur, latores erant inſtituendi, quorum operâ, egregia illa quidem & ſpectatiſſima, res definita innoteſceret, quoſque in Veteri Teſtamento fuiſſe inſtitutos, §. I. n. X. eſt annotatum.

II. Qui vel primis labiis Populorum, & Rerumpublicarum priſcos mores receptaſque conſuetudines delibarunt, optimè norunt, curſum publicum, & Curſores ad publica denuncianda decreta, Provinciarumque acta, ſemper fuiſſe in uſu. Quotquot autem Orbis Monarchiam vel habuerunt, vel affectavere, ſive etiam pacificum Regnorum dominium
quaeſiverunt, ii quoque cultiore methodo officia Curſorum, Ante
& publici curſus diſpoſitionem introduxerunt. Ad haec pri- Chr.
mus intendiſſe videtur Rex Perſarum Cyrus. Is enim cer- 537
tas manſiones in via publica, dimenſis itineribus, & miliaribus aſſignatis, conſtituit, in quibus homines, & equos collocavit, qui unius diei iter celerrimè poſſent conficere. Ii, ut ad proximam ſtationem pervenerant, ſive epiſtolas, ſive quid aliud ſibi contraditum aliis ibi manentibus nun-
tiabant, tradebantque, atque illi ſtatim aliis ſequentibus, Ante
donec geſtorum ordo & relationes ad Regem quantocyus Chr.
pervenirent. Qua de re Herodotus l. 5. & l. 8., & Xeno- 444
phon in Cyropaedia l. 8. Qui miniſterio huic primitus de- 397
putati ſunt, iidem dicti *Angari*, voce nec Latina, nec Grae-
ca, ſed origine Perſica. Heſychius, & Svidas ita eandem 290
explicant: *Angari*, *Tabularii*, *qui alii aliis ſuccedentes*, *ali-* 980
quò mittebantur. Per hos publica decreta fuiſſe delata, pro-
dit Joſephus l. 11. c. 6. *Miſit Angaros dictos ad omnes gen-* 67
tes. De eiſdem Gruterus de Off. Dom. Aug. 3. 14., Briſſonius de Regno Perſarum 1. p. 147., Rhodiginus Antiq. Lect. 18. 8. Pancirolus in notitia dignit. Imper. Orient. c. 5. Gothofredus in Codicem Theodoſianum, & alii qui de viis publicis tractatus ediderunt, in Tomo X. Theſauri Antiq.

Rom Graevii. Inde nata vox *Angariare*, pro compellere,
vi cogere nolentem. Hoc ſenſu uſurpatur L. Viae 4. §. 1.
D. de Veteran. L. Ab his 10. §. Angariorum 2. D. de Va-
cat. & excuſat. mun. L. neminem 11. C. de Sacroſanctis Ec-
396 cleſiis, & apud S. Auguſtinum l. 3. de conſenſu Evange-
240 liſt. c. 10. Ad legem dictam de privilegiis Veteran. Ulpia-
nus. *Viae ſternendae immunitatem Veteranos non habere, Julio
Suſſiano reſcriptum eſt. Nam nec ab intributionibus, quae poſ-
ſeſſionibus fiunt, Veteranos eſſe excuſatos, palam eſt. Sed & na-
ves eorum Angariari poſſe, Aelio Firmo, & Antonio Claro Ve-
teranis reſcriptum.* Ubi interpretes explicant vocem *Anga-*
Ante *riari*, aliquid ad uſum Reipublicae capi & compelli.
Chr. III. Morem eundem, Romana aſſumta Monarchia, ſer-
40 vavit Auguſtus, de quo Svetonius in Auguſto c. 49. *Quo ce-*
112 *lerius, ac ſub manum annuntiari, cognoſcique poſſet, quid in
quaque Provincia gereretur, juvenes primò modicis intervallis
per militares vias, dehinc vehicula diſpoſuit. Commodius id vi-
ſum eſt, ut qui à loco iidem perferrent literas, interrogari quo-
que, ſi quid res exigerent, poſſent.* Similiter de Trajano Aure-
345 lius Victor de Caeſaribus c. 13. *Simul noſcendis ocyus, quae
ubique è Republica gerebantur, admota media publici curſus.*
Hinc ratio conſtat, qua Principes tanta celeritate ad fines
uſque Imperii miſerint literas, eaſdemque receperint. Ete-
nim per militares vias ordine, debitaque diſtantia ſtationes
erant diſpoſitae; ut propterea Imperatori minimè opus fue-
rit, quaquaverſum per Imperii partes literas dirigere, edicta,
reſcripta, aut mandata, quum haec, ut tradebantur, ce-
lerrimè per Curſores publicos eſſent delata. Hinc etiam
150 Ariſtides Orat. ult. Tom. 3. ſcripſit. *Quocirca nihil Impera-
torem opus eſt Imperium totum miſerè pervagari, nec variis com-
meatibus ſingula ſtabilire, terram calcando, cum poſſet Orbem
totum commodiſſimè per epiſtolas regere; quae mox ut ſcriptae
ſunt, velociſſime, tanquam ab avibus, deferuntur.* Eadem de
527 re audiendus Procopius, ſub finem Arcanae Hiſtoriae ex
verſione Johannis Vincentii Pinelli. *Romani Imperatores,
qui antea fuerunt, modum excogitarunt, quo cuncta ſibi quamce-
lerrimè poſſent nunciare, &, ut ſcirent quae ubique inter hoſtes
agerentur, & ſiqua in Civitatibus ſeditio, vel quid aliud im-
proviſum è praeſidibus, vel aliud quodcumque orirtur, & ut*

annua

annua tributa velociter & tutò tranſmitterentur. Publicum ergò, & celerem quemdam ubique curſum hoc modo inſtituerunt: Viro expedito ad iter diei ſtationes conſtituerant quandoque octo, quandoque pauciores, non tamen minus quinque, quod primum eveniebat: quadraginta verò equi in ſingula manſione ſtabulabantur, & ibidem Hippocomi ad curandos quos poterant equos, erant deſtinati: ſuccedentibus verò ſibi ad ſtationes probatiſſimis equis, qui eos agebant, decem fermè dierum iter viciſſim conficiebant, agentes quo modo ſignificavimus. De publici curſûs introductione, uſu, & deſuetudine videndus Spanhemius Diſſert. 9. de praeſtantia, & uſu Numiſmat.

IV. Nec publici tantùmmodo Curſores, ad Reipublicae
mandata deferenda electi, ſed privati quoque erant, quos
longè commendatiores habebant, ad epiſtolas ultro citroque
mittendas. Tacitus enim in Agricola cap. 43. *Supremo qui-* 100
dem die momenta deficientis per diſpoſitos Curſores nunciata con-
ſtabat. Et Svetonius in Tito c. 9. *Confeſtim ad alterius Ma-* 112
trem, quae procul aberat, Curſores ſuos miſit, qui anxiae fi-
lium ſalvum nuntiarent. Et in Nerone c. 49. *Inter moras per-*
latos à Curſore Phaontis codicillos praeripuit. Eorumdem fre- A. C.
quens quoque mentio eſt apud Ciceronem in epiſtolis. 70

V. Adinſtar publici hujuſce curſus, Eccleſiae primitùs ſuos diſpoſuere Curſores, non quidem manſionibus, ſtationibuſque diſtributis, cum Eccleſia tunc non Reſpublica, ſed in Republica eſſet: freti autem hoſpitalitate fidelium, quae teſſera verae Eccleſiae erat, uberem habebant Curſores proventum, quo & itinera perficerent, & officiis omnibus exciperentur. Horum itaque in ſacris originem, & antiquitatem juvabit exponere, unde & requiſitae conditiones conſtabunt.

VI. Ut Encyclicarum exemplar quoddam in Hieroſoly-
mitana Synodo Act. 15., ita Eccleſiaſticorum etiam Curſo- 47
rum dederunt Apoſtoli, quos quidem Dominicos Curſores priſca illa aetas indigetabat. Directuri enim per tres Palaeſtinas, & confinitimas Provincias Synodicam, in qualibet Eccleſia recitandam, duos Presbyteros Paulum, & Barnabam, duoſque velut Curſores, Judam, & Silam delegerunt. Sic enim ibi v. 22. *Tunc placuit Apoſtolis, & Senioribus cum omni Eccleſia eligere viros ex eis, & mittere Antio-*

ebiam cum Paulo, & Barnaba Judam, qui cognominabatur Barſabas, & Silam, viros primos in fratribus. Hinc creſcente deinceps fidelium, miniſtrorumque numero, factum eſt, ut, quoniam praeter epiſtolae denunciationem, plerumque inſtruendae erant Eccleſiae, Diacono Dominico curſori Presbyteri Doctores aſſociarentur, qui praedicationis, aut diſputationis munus, ut in §. ſequenti dicemus, exercerent. In deligendis autem Curſoribus Sila, & Juda, qui Synodicam epiſtolam deferrent, adhibita ſunt Judicum in eo coetu conſidentium vota, v. 25. *Placuit nobis in unum collectis eligere viros, & mittere ad vos, cum cariſſimis noſtris Barnaba, & Paulo .... Miſimus ergo Judam, & Silam*. Neque perperam diligentem rei hujus memoriam ab eo coetu factam exiſtimandum. Quum enim dirigendarum Encyclicarum formam Eccleſiis traderent, inſtruere eaſdem voluere, quo modo Dominici curſores eſſent deligendi, ut videlicet illi tantùm aſſumantur, qui induſtria, diligentiaque *viri primi inter fratres* habebuntur. Et ſanè propriam in officio diligentiam, initoque delectui reſpondentem, apud Eccleſias factis teſtati ſunt Silas, & Judas: quippe Curſorum more Synodicam apud eaſdem recitantes, atque hortantes fideles, ut Apoſtolica, ac Conciliaria *praecepta*, atque *dogmata*, ſummo obſequio ſuſciperent, oſtenderunt reipſa primos ſe inter fratres eſſe, ſubdente Sacro textu: *Judas autem, & Silas, & ipſi cum eſſent Prophetae, verbo plurimo conſolati ſunt fratres, & confirmaverunt*. Donum illud Propheticum, quo dicuntur praediti, nemo non videt intelligendum eſſe de Prophetia illa ſecundi gradus, quam extraordinaria ratione collatam, *ad exhortationem, & conſolationem fidelium*, Apoſtolus docet 1. Corinth. c. 13., & de qua abundè diſſeruimus in Tractatu de Prophetia, quem typis, ſi vita vireſque ſuppetant, mandare conſilium eſt.

398 Chryſoſtomus autem hom. 33. in Acta Apoſtol. rationem quaerit, cujus gratia, Synodicam emiſſuri, tanta circumſpectione, & ſollertia Apoſtoli verſati ſint cum in delectu Curſorum, tum in eorumdem trutinandis, morum, doctrinae, induſtriae, ſanctitatiſque dotibus; & concludit id merito factum, ut videlicet ex hiſce perſonis, à quibus omnis ſuſpicio vel minimae pravitatis aberat, univerſi fideles mit-

tentium Magiſterium, authoritatemque colligerent, fideique propoſitis definitionibus facilius aſſentirentur. *Oportebat enim* (inquit S. Doctor) *epiſtolam adeſſe ſolum, ne dicant quod dolo extorſerint, quod alia pro aliis dixerint ...... Propter hoc enim neque Paulus venit ſolus, neque Barnabas, ſed etiam alii ab Eccleſia, ne ſuſpectus ſit ..... Oſtendit quomodo fide digni ſint .... Poſt epiſtolam etiam ipſi ſermonibus exhortantur. Nam & hac re opus erat, ut & ita omni ſuſpicione liberarentur; & ipſi, inquit, cum eſſent Prophetae, ſermonibus multis exhortabantur fratres. Oſtendit hic fidelitatem illorum.* Haec Chryſoſtomus. Quibus illud addimus, diligenter proinde annotata haec fuiſſe, Spiritu Sancto dictante, ut officium hocce, Eccleſiis uſque adeò profuturum, inſtituerent, rationemque examinis atque delectus edocerent.

VII. Apoſtolicam eandem diligentiam, & ſedulitatem in eo, quod praeïverunt Dominicorum duorum Curſorum exemplari, habitoque tam anxie ſoliciteque delectu, ut nonniſi viris ſpectatiſſimorum in Eccleſia morum officium illud traderetur, exercuit deinde Paulus in ſuis emittendis Encyclicis. Epiſtolae enim ad Epheſios, & ad Colloſſenſes, ut in Diſſert. II. dicemus, expreſſam habent Encyclicarum formam. Ambas ut in Orbem dirigeret, Tychicum Diaconum delegit, cujus dotes enumerans, ſpectatiſſimae fidelitatis eſſe aſſeverat. Ita ad Epheſ. 6. v. 21. *Omnia vobis nota faciet Tychicus, frater chariſſimus, & fidelis miniſter in Domino*. Et in altera ad Colloſſenſes 4. v. 7. *Omnia vobis nota faciet Tychicus, frater chariſſimus, & fidelis miniſter, & conſervus in Domino*. Ut enim Apoſtoli, ſcripſerint licet Synodicam, praecepta atque dogmata in coetu ſtabilita minimè ſcripſerunt, ſed, oretenùs denuncianda, miſſis Presbyteris, & Curſoribus conſignarunt; ita Paulus, multis praeter epiſtolam oretenùs Tychico traditis, probatam ejuſdem fidelitatem meritò commendat. In ceteris verò Pauli epiſtolis omiſſum ideò latoris nomen reor, quod ex primario earum inſtituto non ad univerſas Eccleſias eſſent dirigendae, ſed quarumdam tunc Eccleſiarum inſtitutionem ſpectarent. Id quod apud Patres poſterioris aevi licet animadvertere, qui ubi in epiſtolis de communi Eccleſiarum utilitate agunt, Curſoris nomen, dignitatemque annotant; quod omittunt

Digitized by Google

privati negotii epiſtolam dirigentes.

VIII. Ex Eccleſiis deinde, Apoſtolico exemplo inſtitutis, ut quaelibet, atque imprimis ſpectabilior, ſuum habuit Dominicum curſorem, ita nonniſi praemiſſo per Epiſcopum, aut Presbyterium examine, ad ejuſdem delectum veniebat. Illuſtre perſeverantis hujus ſolicitudinis exemplum habemus
101 in epiſtolis S. Ignatii Martyris. Ad Smyrnaeos enim, quum eorum zelum erga Antiochenos, Syriaeque Eccleſias diffuſum commendaſſet, ut proſequantur, hortatur, & ſuſpicionibus conſulant, impoſtorumque fraudibus; atque ob id rationem Dominici Curſoris deligendi in hunc modum proponit n. 11. *Quò itaque opus veſtrum abſolutum ſit tum ſuper terram, tum in Coelo, decet ad Dei honorem, ut Eccleſia veſtra eligat Sacrum Legatum, ut cum ad Syriam uſque venerit, congratuletur illis, quod pacem conſecuti ſint, & ſuam receperint magnitudinem, & reſtitutum ſit illis ſuum corpus. Digna igitur mihi res viſa, ut aliquem veſtrum mittatis cum epiſtola, quò unà cum illis glorificet Deum.* Quem hic *Sacrum Legatum* appellat, in epiſtola ad Polycarpum nuncupat *Divinum Curſorem*, ſuadetque ad Encyclicas, mutuaſque Epiſtolas ultro citroque perferendas, virum eligi conteſtatae fidei, & pietatis. Speciatim quoque admonet, id, adhibito in conſilium Preſbyterio, fieri oportere. Sed ipſum Sanctum Martyrem audiamus. *Decet in Deo, Beatiſſime Polycarpe, Concilium cogere Deo decentiſſimum, & eligere aliquem, quem valde charum habeatis, & impigrum, qui poterit Divinus Curſor appellari, illumque eo dignari bonore, ut profectus in Syriam, glorificet veſtram impigram charitatem in gloriam Chriſti.* Quotquot hìc
396 in Curſore dotes requirit Ignatius, poſtulat & Auguſtinus epiſt. 10. ad S. Hieronymum, In ea enim Cyprianum Diaconum epiſtolae latorem ita collaudat, ut ſimul brevi oratione praecipuas in quolibet Dominico Curſore dotes accuratè deſcribat. *Gratia in promendis epiſtolis, diligentia in cuſtodiendis, alacritas in perferendis, & fides in reddendis.* Ex quibus liquet, quanti officium iſtud Eccleſiae penderent, & exiſtimarent.

IX. Fidelitatem ceteraſque in Curſoribus dotes, atque virtutes merito Apoſtoli, Paulus, Ignatius, & Auguſtinus commendarunt. Etenim in Eccleſia cum pace, fideique

unitate

Digitized by Google

unitate nihil ſit praeſtantius, tum ad utramque fovendam diſſitas inter, ingenioque, & moribus diverſas nationes, nihil Encyclicis eſt accommodatius; ut propterea neceſſe fuerit, media praeſto eſſe ad utrumque finem aſſequendum aptiora, cujuſmodi dubio procul eſt, viros tanto muneri exequendo pares adfuiſſe. Quam ob rem ad pacem atque Eccleſiarum commoda plurimum conferebat, ut principaliores Eccleſiae Curſorem Dominicum haberent, fidelem eum quidem, moribuſque probatiſſimum, qui epiſtolas circumquaque deferens, Eccleſiarumque inſerviens neceſſitatibus, ſibi & officio commendationem adſciſceret. Grande ſanè officium, in quo quicumque ultimum claudebant diem, inſigni velut honoris monimento, ſingulari ejus muneris commemoratione in ſepulcrali lapide inciſa cohoneſtabantur. Unde inter Chriſtianorum priſcas inſcriptiones Chriſtophorus Brenverius, & Manſenius in Antiquitat. Treviren. hanc adducunt: *Urſacius Curſor Dominicus*. Eundem titulum & nos plerumque uſurpabimus, ut noſtrum Encyclicarum latorem à publico Imperiali diſcriminemus.

Tandem, quoniam Dominicus Curſor ſubſcriptum Encyclicae exemplar apud Eccleſias relinquere tenebatur, imo & vota Epiſcoporum ſuſcipere, reſpondentem profeſſionem trutinare, conſenſum verum à ficto dignoſcere, profitentium fidem expendere, atque iis, quorum haec noſſe intererat renuntiare; vir equidem minimè illiteratus, ac indoctus eſſe debuit, qui haec exequi munera pro dignitate poſſet. Quamobrem mirum non eſt, ſi Eccleſiae, Apoſtolis praeeuntibus, in deligendo curſore examen praemiſerint, atque ad perſonae induſtriam, diligentiam, fidelitatemque attenderint, omniaque Candidatorum merita ad ſollertem ſeveramque criſin adduxerint.

X. Frequens apud Cyprianum occurrit mentio Curſoris cujuſdam Dominici, cognomento Saturi, de quo nos breviter, quoniam S. Antiſtes copioſius de eo diſſerit, illiuſque miniſterio ad deferendas epiſtolas plerumque uſus eſt; 48
nobiſque inſuper momenta ſuggerit, quibus, quae haſtenus diſputavimus, firmius adſtruantur, nec modica afferatur lux inſtitutioni, exigitiſque in Dominico Curſore conditionibus. Cernens diligentiſſimus Praeſul in ſuo ſeceſſu, ob ſae-

viſſimam vigentem perſecutionem, & ob Curſorum inopiam, gravia incommoda, quae Eccleſiis imminebant tum ob Libellaticorum audaciam, tum ob ferendas neceſſariò Confeſſoribus ſuppetias, nec tamen praeſentia ſua collabenti Eccleſiae proſpicere valens, ſaltem epiſtolis ſubvenire conſtituit. Gnarus autem, Curſorum delectum, inſcio Presbyterio, legitimè fieri haud poſſe, gravi urgente neceſſitate, aliquos ipſe delegit, atque Saturum inter alios Curſorem declaravit. Ne autem in ſpretum Presbyterii elegiſſe Saturum videretur, extemplo Presbyteros Carthaginenſes Doctores habiti delectus certiores fecit, ſcribens epiſt. 24. *Sed & illud ad vos literis meis perferre debui, urgente cauſſa, Clero in Urbe conſiſtenti, literas me miſiſſe. Et quoniam oportuit me per Clericos ſcribere; ſcio autem noſtros plurimos abſentes eſſe, paucos verò, qui illic ſunt, vix ad miniſterium quotidiani operis ſufficere; neceſſe fuit novos aliquos conſtituere, qui mitterentur.* Publica itaque negotia non niſi per Clericos intimabantur Eccleſiis, eaque potiſſimùm, quae fidei, ac diſciplinae cuſtodiam, paciſque vinculum reſpiciebant. Unde optimè cenſuerunt primi Religionis ſatores, ex Eccleſiae gremio Curſores eſſe deligendos. *Oportuit*, ait Cyprianus, *me per Clericos ſcribere*. Horum enim fides, atque integritas cum longè mittentibus Epiſcopis exploratior erat, qui non niſi probatiſſimos quoſque ad Clerum aſſumebant; tum minùs dubia iis erat, ad quos mittebantur. Quod equidem facilè conjiciet, quicumque animo repetierit, quaenam eſſet primaevae Eccleſiae in examine aſſumendorum ad Clericalem gradum ſolicitudo, quantumque fideles ejuſdem aevi Clericis deferrent venerationis, atque obſequii.

XI. Saturi verò, atque Optati electionem, in turbulentiſſimorum illorum temporum neceſſitate factam, deſcribere pergit Cyprianus. *Feciſſe me ſciatis Lectorem Saturum, & Hyppodiaconum Optatum confeſſorem, quos jam pridem communi conſilio Clero proximos feceramus: Quando aut Saturo die Paſchae ſemel atque iterum lectionem dedimus, aut cum Presbyteris Doctoribus Lectores diligenter probarentur, Optatum inter Lectores Doctorem Audientium conſtituimus: examinantes, an congruerent illis teſtimonia, quae eſſe debent in his, qui ad Clerum parabantur.* Clericatus ergo candidati ante ordinis cle-

ricalis ſuſceptionem in aliquo gradu erant, probandi quidem, priuſquam eorumdem petitiones admitti poſſent. Quanta porrò hinc ad ulteriorem ſyſtematis noſtri oſtenſionem eruantur, nemo non videt. Edocemur etenim, publicas haſce Epiſtolas à Clericis tantummodo potuiſſe deferri: Delectum autem illorum ab Epiſcopis quidem habitum, ita tamen ut praeſentes Presbyteros conſulerent; abſentes, quorum intererat, facerent certiores: imo nec alios in quavis neceſſitate fuiſſe electos, niſi quos praecedens coram Preſbyterio examen dignos oſtendiſſet, & jam proximè ad Clericatum probaſſet idoneos: atque haec omnia Presbyterii illius fuiſſe munera, quod *Doctores* Presbyteri conſtituebant. Videmus inſuper Epiſcopi ſolicitudinem, ſemet purgantis, quod haec ſolus in ea circumſtantia praeſtitiſſet. *Nihil ergo* (ſubjungit Cyprianus) *à me abſentibus vobis factum eſt, ſed quod jam pridem communi conſilio omnium noſtrum coeperat, neceſſitate urgente, promotum eſt*.

Promotio autem iſthaec Saturi ad deferendas Encyclicas paſſim apud eundem Antiſtitem occurrit; eâque mente imprimis facta deprehenditur, ut vel quae ſpectabant Lapſorum cauſſam, eo aevo vexatiſſimam, vel quae Novatianum Schiſma, denuntiarent. Quod idem planè eſt, ac delectum eundem Dominicum Curſorem Encyclicarum, quae ad controverſias illas eliminandas à Cypriano, aliiſque Epiſcopis mutuo fuerant editae, ut in ſequenti Diſſertatione expendendum. Legantur interim Epiſtolae S. Cypriani 32. 35., & 55. in quibus Saturi, latoris Encyclicarum, fidelitas, atque induſtria commendata preſſius deprehenditur.

XII. Dominico eidem Curſori concredebatur Encyclicarum cuſtodia, ut Epiſcopis, Clericiſque eas exhiberet, unde Eccleſiarum conſenſum poſſent dignoſcere. Nec immeritò Clericis curſoribus provincia haec demandabatur, qui ſubſcriptas epiſtolas exhibentes, ſimul etiam teſtari poterant Eccleſiarum, quibus tradiderant, & à quibus mutuas ſubſcriptas Encyclicas receperant, ſententiam conſenſumque. Tanta porrò erat muneris hujus dignitas, ut qui ex Curſoribus ſolicitudinem hanc ſuſceperant, iidem ab Epiſcopis facultatem obtinerent, qua exſcribere volentibus copiam facerent exſcribendi, quatenus hac ratione unanimitatem Eccleſia-

rum omnes agnoſcerent. Icciro Cyprianus epiſt. 32. de epiſtolis emanatis in praefatis controverſiis verba faciens, hortatur omnes, ut exemplaria, per Provincias diſſeminata, legant, relegantque, & commodioris lectionis gratia, addit. *Quamvis & Saturo Lectori Fratri noſtro mandaverim; ut ſingulis deſiderantibus deſcribendi faciat poteſtatem, ut in Eccleſiarum ſtatu quoquo modo interim componendo, ſervetur ab omnibus una, & fida conſenſio*. Rectè profectò. Quod enim omnium maximè innoteſcere oportuit, occultari non debuit: Imò cum Encyclicae eo ſcopo emitterentur, ut omnes *unam, & fidam conſenſionem* agnoſcerent, meritò è Clero conſtituti ſunt, qui eaſdem ſervarent, cupientibus oſtenderent, darentque exſcribendi facultatem. Similiter quum idem Cyprianus tunc Cleri Romani reſponſa circa Lapſorum cauſſam accepiſſet, monet reſpondentem iis, quae & ipſe facienda decreverat, aliaque publicae utilitatis tractantem Carthaginenſem Clerum, apud quem epiſtola illa ſervabatur, hoc modo: *Et ſi exempla epiſtolarum tranſcribere, & ad ſuos perferre voluerint, facultatem tranſcriptionis accipiant*. Ex quibus omnibus non parum lucis adfertur iis, quae in ſuperioribus de Diaconica, ejuſque neceſſitate diſputavimus. Quum enim tanti intereſſet, ad fidei integritatem, animorumque concordiam ſervandam, agnoſcere, quid in Encyclicis fuiſſet conſtitutum, cumque illas Curſores plerumque ipſi cuſtodirent in authentico, plurimum quoque intererat, ut Curſores diplomate ſacro muniti, Provincias pervagarentur, certique univerſi eſſent tum de fidelitate, tum de munere, ad quod obtinendum tanti examinis praeparamenta Epiſcopi eligentes cenſuerant praemittenda.

XIII. Vulgaris tamen obtinebat conſuetudo, ut Diaconi ipſi Dominici Curſores eſſent, eiſdemque ex officio ſolicitudo haec committeretur. Cujus rei innumera praeſto eſſe documenta, nemo ibit inficias, qui ad Encyclicarum latores animum adverterit. Quemadmodum autem Encyclicarum forma, ita quoque Dominicorum Curſorum ratio ab eodem fonte manavit. Idem enim D. Paulus & Encyclicas ſcripſit, & per Tychicum Diaconum apud Eccleſias recitandas tranſmiſit. Scio equidem in vulgata Scriptura legi, Miniſtrum Tychicum; ſed in Graecis Codd. vox Διάκονος

legitur,

legitur, quae tametſi & Miniſtrum, & ſacro Diaconatus
Ordine inſignitum ſignificet ex aequo, & generatim; nihilo-
minus apud S. Paulum de Diacono ordinato id eſſe intelligen-
dum, probat ad eum locum S. Johan. Chryſoſtomus. In quam 398
ſententiam eò lubentius adducor, quod eam abs aſſidua Ec-
cleſiae praxi videam confirmari, juxta quam, ubi licuit, Dia-
coni ad id muneris nunquam non ſunt adhibiti. S. Ignatius 101
etiam, ut in reliquis, ita in hoc quoque Magiſtros ſuos eſt aemulatus. In epiſtola enim ad Philadelphios, hortatus, ut Dominicum Curſorem eligant, Diaconum eligi jubet, ſcribens num. 10. *Quoniam ſecundum orationem veſtram, & ſecundum viſcera, quae habetis in Chriſto Jeſu, nunciatum eſt mihi, pacem habere Eccleſiam Antiochenam, quae in Syria eſt: Decet vos, ut Dei Eccleſiam, eligere Diaconum, qui obeat ibi legationem Dei, & cum illis in unum congregatis ſimul gaudeat, & glorificet nomen*. Mox autem ſeligendi Curſoris officium, dignitatemque ſubjungit. *Beatus ille in Jeſu Chriſto, qui dignus habitus fuerit ejuſmodi miniſterio*. Burrhum quoque Diaconum ſuum, & Curſorem eadem emphaſi ex tanto miniſterio commendat in epiſt. ad Smyrnaeos. *Salutat vos Charitas Fratrum, qui ſunt in Troade, unde & ſcribo vobis per Burrhum, quem miſiſtis mecum una cum Epheſiis Fratribus veſtris, qui omni modo me refocillavit. Atque utinam omnes illum imitentur, qui eſt exemplar Divini miniſterii*. Dixerat ſupra, epiſtolarum latorem eſſe, dicique Dominicum Curſorem; hîc ejuſdem officium, Divinum miniſterium vocat, atque in Burrho exemplar reliquis Dominicis Curſoribus imitandum proponit. De eodem in epiſtola ad Epheſios n. 2. ſcribit. *De Burrho autem conſervo meo ſecundum Deum, Diacono veſtro in omnibus benedicto, oro ut permaneat ad honorem veſtri, & Epiſcopi*. Quo loci S. Martyr Burrhum, Curſoris munere defungentem, non ideo tantum felicem, beatumque aſſerit, quod Diaconus eſſet (erant enim & alii multi in eodem gradu conſtituti) ſed quòd in hocce miniſterio, quod Angelorum eſt, ſupremarumque Virtutum, paci in Eccleſia fovendae, ineundaeque etiam concordiae operam locaret ſuam. Atque ab his temporibus Encyclicae epiſtolae, paucas ſi demas, à Diaconis Curſoribus ad Eccleſias fuere perlatae, ut vel earum praenotationes inſpiciendo, prorſus eſt in numerato.

XIV. Enimverò doctrinae examen, & Diaconatus ſuſcep-
tionem praemitti neceſſariò debuiſſe, anteaquam Curſoris
425 Dominici munera quis obiret, liquet ex Philoſtorgio in Ec-
cleſiaſtica Hiſtoria, quo referente, Haeretici ipſi haud aliter
Curſores ſuos ad haec officia aſſumſere, quàm delectu primum
& examine habito, per Diaconatus ſuſceptionem probatos
vidiſſent. Eunomiani enim, tametſi Arianorum ſucceſſores,
qui purum putumque Arianiſmum propugnabant, hoſteſ-
que Homouſianorum erant infenſiſſimi, videntes nihilominus
mittendos à ſe Curſores, ex communi receptaque Eccleſia-
rum conſuetudine, non niſi praedictis conditionibus munitos
fore recipiendos, diſciplinam eandem minimè praetermiſe-
runt. Philoſtorgius itaque, Eunomii indole, ſtudiiſque re-
latis, enarrat Eudoxum, Arianorum tunc primipilum, Se-
diſque Antiochenae invaſorem, meditantem novas adverſus
Catholicos, & Semiarianos fidei formulas ad Eccleſias emit-
tere, Eunomioque miniſtro, atque Curſore uti, eundem
ad Diaconatus Ordinem promovere decreviſſe. Notat autem
Eunomium, non niſi emenſo doctrinarum curriculo, Diaco-
natum ſuſcepiſſe. Scribit enim l. 4. c. 5. *Eudoxum Eunomium ad
Diaconatum promoviſſe; ipſum verò, priuſquam accuratè ad do-
ctrinam perveniſſet, miniſterium non ſuſcepiſſe.* Quum autem Ba-
347 ſilius Ancyranus, Semiarianorum dux, Eccleſiis ubique diſ-
perſis perfidiae Ariminenſis formulam, Imperatoris Con-
ſtantii potentiâ fretus, imponeret ſuſcipiendam, Eunomius
tunc jam idoneus factus, atque Antencyclicam Eudoxi ad
Conſtantium, & ad Eccleſias perlaturus, Ordinationis munus
accepit, ex Philoſtorgio ibid. c. 8. *Non multò poſt vero, quum
Eunomius fama accepiſſet ea, quae à Baſilio facta fuerant, Antio-
chiam profectus, Ordinationem Diaconi ſuſcepit, Legatuſque ad
Conſtantium miſſus eſt, qui decretum ſolveret.* Itaque in Domi-
nico quovis Curſore praerequiſita ſunt examen, doctrina, ſtu-
dium, & conſecratio Diaconatus. Unde manet illuſtratum,
quod ex Paulo, & Ignatio aſſeveravimus, qui Divini Curſo-
ris delectum, ſumma adhibita ſedulitate, ac peculiari electio-
nis forma, ubi conſiliarii adeſſent doctores Presbyteri, fieri
oportere decernunt.

XV. Neque perperam, ſed jure optimo Doctrinae ſtudium
in deligendo Curſore attendi voluere Sanctiſſimi Epiſcopi.

Ut enim aſſolet ubi partium ſtudia , ac praejudicia vigent , in-
timata Eccleſiis per Curſorem Encyclica , qua motae quaevis
controverſiae definirentur , pronum erat oriri , aut à malefe-
riatis hominibus dubia excogitari . Qui autem amovere
illa , ut par erat , Diaconus Curſor potuiſſet , ſubſidiis ,
adjumentiſque doctrinae non praehabitis , atque antea com-
paratis ? Hac ſane de cauſſa factum eſt , ut iſtiuſmodi Curſo-
res Presbyterio adeſſent , quoties cum Epiſcopo urgentiores
fidei , aut morum controverſiae ad examen revocabantur . At-
que de his intelligenda eſt Caldonii Epiſcopi , qui Decimo
ſucceſſerat , phraſeologia de Diacono ſubminiſtrante Presby-
terium , apud S. Cyprianum epiſtola 19. , in qua Caldonius 248
acta Martyrum Cypriano , & Carthaginenſi Clero renun-
cians , inter reliqua ſcribit . *Ergo Felix , qui Presbyterium ſub-*
miniſtrabat ſub Decimo , proximus mihi vicinus (plenius cognovit
eundem Felicem) & victoria cognita ejus , & Lucius fideles extor-
res facti, reliquerunt poſſeſſiones , quas nunc Fiſcus tenet . Felix ,
cum ſub Decimo , Caldonii in Epiſcopatu praedeceſſore ,
tum ipſi Caldonio vicinus , eidemque cognitus , ſubminiſtrans
Presbyterium dicitur , quòd velut Scriba adeſſet , ad Presby-
terii acta excipienda , & conſervanda . Noſtram hanc expoſi-
tionem confirmat id , quod legimus in epiſt. 109. S. Leonis , 440
ad quem Ravennius Arelatenſis Primas pro controverſia li-
mitum Primatialium direxerat Petronium Presbyterum , &
Regulum Diaconum . Quum enim ann. 450. ob motas ab Eu-
tychete turbas , Presbyterium cogeret Pontifex , voluit , ut
diſceptationi intereſſent , adſtarentque praedicti à Ravennio
miſſi . Ita quippe epiſt. 110. *Diù filios noſtros Petronium Presby-*
terum , & Regulum Diaconum in Urbe tenuimus , quoniam & de
noſtra hac gratia merebantur , & fidei , quae nunc quorumdam erro-
re inceſſitur , ratio poſtulat . Volumus enim eos noſtro intereſſe tra-
ctatui , & univerſa cognoſcere , quae per te cupimus ad omnium
Fratrum , & Conſacerdotum noſtrorum notitiam pervenire . Hoc di-
lectioni tuae ſpecialiter delegantes , ut ſolicitudine vigilantiae tuae ,
Epiſtola noſtra , quam ad Orientem pro fidei defenſione direximus ,
vel ſanctae memoriae Cyrilli , quae veſtris ſenſibus tota concordat ,
univerſis Fratribus innoteſcat , ut certiores effecti contra eos , qui
Incarnationem Domini pravis perſuaſionibus aeſtimant temeran-
dam , ſpirituali ſe virtute praemuniant . Optimo ſanè conſilio

id factum nemo non perſpicit. Quam enim ſinceram de my-
ſterio illo, ab Eutychete impetito, fidem in Presbyterio ex-
planatam audierant Dominici laudati Curſores, eandem in
regreſſu, varias Galliarum circumeüntes Provincias teſtari po-
terant, receptique dogmatis unanimem profeſſionem com-
modiùs denuntiare.

XVI. Receptiſſimam eandem conſuetudinem teſtatam fa-
cit laudatus Pontifex in epiſtola 81. ann. 450. Dioſcoro data.
430 Poſſidonius Diaconus Alexandrinus ſub S. Cyrillo, & Dioſco-
ro, ſimulque Divinus Curſor, ſaepius Romam directus fue-
rat ad Encyclicas Cyrilli, ſive quam adversùs Neſtorium
434 emiſerat, ſive alteram celeberrimam Pacis, deferendas, nec
non alias fortaſſe in cauſſa Theodoriana editas, quae eodem
tempore coepit agitari. Ad negotia expedienda, Coeleſtinus,
Sixtus, ac deinde Leo, praeſente ipſo Poſſidonio, ſaepius
Presbyterium contrahere voluerunt, quum in hiſce Legatio-
nibus Presbyter jam eſſet Poſſidonius. Iccirco ſcribit Pontifex:
Remeanti filio noſtro Poſſidonio Presbytero hanc ad Fraternitatem
tuam epiſtolam dedimus, qui noſtris Proceſſionibus, & Ordinationi-
bus frequenter interfuit, & toties ad nos miſſus, quid in omnibus
Apoſtolicae autoritatis teneremus, agnovit. Unde in Oecumeni-
cis, aliiſque Conciliis, ubi gravis aliqua controverſia finien-
da erat, Epiſcopus quilibet Diaconum ſuum exceptorem du-
cere conſueverat, qui ipſi in Concilio adeſſet, imo & actis una
cum ipſo ſubſcriberet, ut redux, quae audierat, & ſubſcrip-
ſerat, certiùs poſſet atteſtari. Quapropter in Concilio Are-
314 latenſi I., Conſtantini juſſu in cauſſa Donatiſtarum celebra-
to, per ſingulas fermè ſubſcriptiones Diaconi occurrunt ſub-
notati. Atque hinc Apoſtolica Sedes, quoties in Oriente ce-
lebrabantur Concilia, quibus juxta morem receptum, de quo
ſupra, Occidentalium duo, aut tres tantùm intererant,
Diaconum inter illos mittere conſuevit, qui actis ſubſcribe-
ret, atque in regreſſu Occidentalibus Epiſcopis eadem renun-
tiaret, quorum ipſe teſtis adfuit, adjutor, atque ſubſcriptor.
Diacono tandem Eccleſiaſticae quoque tradebantur Chartae,
quo tutiùs nemo de earumdem authenticitate teſtari poterat,
quippe qui & in Encyclicis condendis auditor, & in denun-
tiandis Curſor, & in aſſerendo Eccleſiarum conſenſu ſecuriſſi-
mus teſtis adeſſet. Quotieſcumque itaque Epiſcopi fidei ex-

poſi-

Digitized by Google

poſitionem aliquam ſuſcipiebant , quam profiteri tenerentur,
id ferè moribus receptum erat , ut Diaconus proprium nomen
adſcriberet. Exemplo eſt profeſſio fidei , quam Paulinus An-
tiochenus , poſtquam ſuſcepiſſet Synodicam Concilii Alexan- 362
drini , magno conſenſu emiſit , atque E. in Tomo I. Concil.
pag. 783. Ad calcem verò habet: *Ego Carterius*. Haud dubiè
Antiochenſis Diaconus, qui chartam à Paulino ſuſceptam
eſſe, ſubſcriptamque atteſtabatur. Eòdem reſpexit Euſebius 354
Vercellenſis, quum in epiſt. ad Gregorium Boeticum, apud
Hilarium in fragm. pag. 1356. ſub finem ſcripſit. *Salutant
te omnes, qui mecum ſunt, maximè Diaconus*. Ille utique, cui
cuſtodia chartarum Eccleſiaſticarum erat contradita. Occur-
rit in aliis infra cenſendis epiſtolis inter ſalutationes plerum-
que ſimplex Diaconi nomen , ut intelligeretur, hujuſmodi
ſcripta à Diacono vel exarata primum , vel poſtmodum ad
Eccleſias delata, vel etiam in Eccleſiaſticis Archivis cuſtodita.

XVII. Atque ob id etiam Diaconica in Curſore Divino,
ut ſupra diximus, requirebatur, qua officium obiturus , &
tutò recipi, & parata Chriſtianis omnibus, eòque magis Dia-
conis Curſoribus, hoſpitalitatis officia poſſet experiri. Non
ſecus enim ac in Imperio curſus erat publicus, nec illo Curſo-
res ad itinera uti poterant , niſi diplomate , quod Tracto-
rium vocabant , unde Tractoria epiſtola dicta eſt , muniti
incederent : Ita qui ad tantum miniſterium eligebantur, ido-
nei aptique per Diaconicam erant reddendi , ut Eccleſiae
illorum munus, dignitatemque in Diaconica agnoſcentes,
Encyclicam reciperent , & Curſorem conſuetis officiis pro-
ſequerentur. Equidem in Politicis tanti fiebat curſus publi-
cus , ut hunc ſolus ipſe Imperator concederet , ac ne Pro-
conſules quidem hanc ſibi facultatem arrogarent . Exſtat
Plinii ad Trajanum epiſt. 22. l. 10., in qua vir Trajano ſum- 100
ma neceſſitudine , familiaritateque conjunctus , maximae-
que Provinciae Praefectura ornatus, veniam ſubmiſsè, & an-
xiè petit , quòd Uxori ſuae , quae mortuo avo ad amitam
ſe ſe quàmcitiſſimè conferre debuerat , ejuſmodi curſus fe-
ciſſet copiam . Unde ſubdit . *Uſque in hoc tempus , Domine mi,
neque cuiquam diplomata commodavi, neque in rem ullam , niſi
tuam miſi , quam perpetuam ſervationem meam quaedam neceſſi-
tas rupit* . Nec omittendum hîc ejuſdem rei alterum docu-

mentum

298 mentum , quod exhibet Aelius Capitolinus in Aelio Perti-
nace , qui electus Praefectus Cohortis Praetoriae , proinde-
que alterum ab Imperatore locum adeptus , diplomate tamen
deſtitutus , pedibus iter facere , atque aliò commigrare coa-
ctus eſt . *Dein Praefectus Cohortis in Syriam profectus, L. Aure-
lio Imperatore , ac Praeſide Syriae , quod ſine diplomate curſum
uſurpaverat , pedibus ab Antiochia ad legationem ſuam iter facere
coactus eſt* . Quo , ſimilive modo Diaconica, ut reor, conficta,
Diaconum illum Gallias circumeuntem , & ubique exce-
440 ptum , Leo Magnus gravi comprimendum animadverſione
decrevit in epiſtola 107. ad Ravennium data . *Circumſpectum
te volumus eſſe , atque ſolicitum , nequid ſibi plectenda poſſit vin-
dicare praeſumtio , quae cùm aditum falſa ſubreptione reperit ,
ad majorem ſe temeritatem nomine uſurpatae dignitatis extendit .
Petronianum quendam vagum , & erroneum certa nos Clericorum
tuorum ſuggeſtione didicimus per Gallias ſe noſtrum eſſe Diaconum
jactaſſe , & ſub hujus honoris obtentu, diverſas hujus Provinciae Ec-
cleſias circuïre . Cujus audaciae tam nefandae Dilectionem tuam ,
Frater chariſſime , ita volumus obviare, ut eum, admonitis etiam
totius Provinciae Epiſcopis, in ſua falſitate detectum , ab omnium
Eccleſiarum communione , ne ulterius hoc uſurpet , expellas* . Pe-
tronianus itaque *falſa ſubreptione aditum reperit* , utique ficta
Diaconica, & velut honoris, dignitatiſque obtentae teſſera ,
diverſas Galliarum Eccleſias circuïbat . Diaconicam ergo,
quotquot obtinebant Curſores , iidem & ſummo honore , &
omnibus hoſpitalitatis officiis ubique cumulabantur .

XVIII. Erat autem & altera Curſorum Dominicorum
praerogativa, ut non minus ac Civiles, Encyclicas, mutuaſque
epiſtolas quàm celerrimè deferrent . Iccirco Sardicenſis
447 Synodus ad praepedienda frequentia Epiſcoporum ad Im-
peratorem itinera , quae cum Eccleſiarum jactura fie-
bant , quandoque etiam non ſine praeſentis Epiſcopi dede-
core , ſanxit. can. 8. , ut ſi negotia in comitatu expedienda
habuerint , *per Diaconum ſuum mittant , quia perſona Miniſtri
invidioſa non eſt , & quae impetrarit, celeriùs poterit referre* . Dia-
coni ergo proprium erat deferre epiſtolas , *& celeriùs referre* .
Canon quoque IX. legatur, ubi de epiſtolis Diacono miſſo
datis [quas & commendatitias vocat] ut ab Epiſcopis ex-
ciperetur .

XIX. Quae porrò dignitas, qui honor Dominicorum Curſorum ab Ignatio paſſim, & laudatis Patribus annotatur, & commendatur, quantus poſterioribus etiam eſſet temporibus, colligi facilè vel inde poteſt, quod ex iis plurimi, qui officium hocce geſſerant, ad maximas Eccleſiae dignitates ſint evecti. Hilarus, qui Romanae Eccleſiae Diaconus, & Curſor, Dogmaticam S. Leonis primus in Orientem detulerat, Pontifex deinde electus eſt. Hermes delectus à Narbonenſi Archiepiſcopo Archidiaconus, ut ad Leonem Magnum varias ortas controverſias deferret, primo Bituricenſis, Narbonenſis deinde Epiſcopus fuit electus, de quo Martyrolog. Gallican. 7. Kalendas Novembris. Ita Euſebius Diaconus ad Laodicenam Eccleſiam tandem aſſumtus fuit, qui pridem miſſus à Dionyſio Alexandrino legitur cum ſua adverſus Paulum Samoſatenum Encyclica. Ut propterea de Curſoribus hiſce illud Ciceronis l. 3. de Leg. 5. non incommodè dici poſſit. *Qui benè imperat, paruerit aliquando neceſſe eſt, & qui modeſtè paret, videtur qui aliquando imperet, dignus eſſe*. Hinc Paulus actione II. Synodi VIII., Hard. Tom. V. pag. 782., memoratus, qui Archiepiſcopatu exciderat, ad quem illegitimè à Photio fuerat evectus, ob praeclara tamen merita, & Nicolaï Pontificis commendationem, Codicum hujuſcemodi cuſtos ab Ignatio Patriarcha creatus eſt. Praeſtat id Anaſtaſii verbis audire in annotationibus ad eandem Synodum, ibid. p. 942.. *Paulus iſte Archiepiſcopus quondam fuit à Photio conſecratus: ſed quia cum ceteris, qui à Photio manus impoſitionem ſuſcepere, ſecundum ſententiam Papae Nicolaï condemnatus eſt; & quoniam is erat utilis, pro conſolatione damnationis, ab Ignatio Patriarcha Cartophylax effectus eſt: Scripſerat enim & Papa Romanus, ut alia illum, excepto Sacerdotio, quantacumque vellet, dignitate ditaret*. Quanta porrò eſſet ea dignitas, paucis complexus eſt ibid. Anaſtaſ. *Cartophylax interpretatur chartarum cuſtos. Fungitur autem officio Cartophylax apud Eccleſiam Conſtantinopolitanam, quo Bibliothecarius apud Romanos. Indutus videlicet inſulis Eccleſiaſticorum Miniſtrorum, & agens Eccleſiaſtica cuncta prorſus obſequia, exceptis illis ſolis, quae ad Sacerdotale ſpecialiter, ac propriè pertinere probantur officium. Sine illo praeterea nullus Praeſulum, aut Clericorum aforis veniens, in conſpectum intromittitur, nullus Eccleſiaſtico conventui praeſentatur, nullius epiſtola Patriarchae*

Margin dates: 449 (Hilarus); 461 (Pontifex deinde); 259 (Kalendas Novembris); An. C. 70 (Ciceronis); 869 (Synodi VIII.); 870 (triarcha creatus).

miſſa recipitur, niſi fortè à ceteris Patriarchis mittatur, nullus ad Praeſulatum, vel alterius Ordinis Clericatum, ſive ad Praepoſituram Monaſteriorum provehitur, niſi iſte hunc approbet, & commendet, atque de illo ipſi Patriarchae ſuggerat, & ipſe praeſentet. Hactenus Anaſtaſius.

XX. Priſcum quoque fuit eorumdem Curſorum munus, publicos Sacros Codices reſervare, pro occaſione exſcribendos tradere, aut ob enatas Eccleſiaſticas controverſias, ad Eccleſias deferre. Curam conficiendorum quamemendatiſſimè Sacrorum Codicum Caeſarienſi Euſebio demandaverat
316 Conſtantinus. Illos ad Comitatum per Caeſarienſis Eccleſiae
Diaconos, quibus duo conceſſit ex publico curſu vehicula,
voluit deferri. Qua de re exſtat Imperatoris ad Euſebium
440 epiſtola, apud Socratem lib. 1. c. 9., ubi pag. 35. inter alia
ſcribit. *Ceterum duorum publicorum vehiculorum uſum autoritate hujus epiſtolae accipias. Sic enim quae eleganter deſcripta ſunt, ad conſpectum noſtrum commodiſſimè perferentur: Uno ſcilicet ex Eccleſiae tuae Diaconis id miniſterium obeunte. Qui quidem ubi ad nos pervenerit, humanitatis noſtrae experimentum capiet*. Et
629 Sophronius Synodicam ſuam directurus, Diaconum elegit,
ex eo praeſertim munere commendatum, ut legimus act. II.
680 Concil. VI. pag. 1294. *Jure proinde ſupplico veſtrae Fraternae dilectioni, Leontium Deo amabilem Diaconum Sanctae Chriſti Dei noſtri Reſurrectionis, & noſtri venerabilis Secretarii Cancellarium, primumque Notariorum, & Religioſum Fratrem noſtrum Polyeuctum, qui hujus noſtrae Synodicae Scripturae Miniſtri ſunt, placito vultu, & condecenti condeſcenſione ſuſcipere*.

Ita verò Miniſtri Scrinii Epiſcopalis Cancellarii erant, ut etiam aut Synodicae, aut Encyclicae, ſiqua ad Eccleſias mit-
540 tebatur, ſubſcribere tenerentur. Vigilius enim, quum in
controverſia trium Capitulorum primum edidiſſet ſcriptum, quod vulgò Judicatum dicitur, illud à Primicerio Scrinii Apoſtolici, atque à Diacono Curſore ſubſcriptum fuiſſe, docet in damnatione Ruſtici, & Sebaſtiani, qui ejuſdem fuerant Diaconi, & quibus Judicatum tradiderat. Exſtat ſententia
553 Tomo III. Concil. in Synodo V. collat. 7. pag. 177.. *Nam cum occaſionem euntis ad Siciliam reperiſſes, & Judicatum noſtrum, laudeſque ejus, ubi etiam filii noſtri Diaconus, Primiceriuſque tecum manifeſtum eſt ſubſcripſiſſe, filiis noſtris Pelagio*

Diacono

Diacono, aliiſque dirigere voluiſſes. Percurratur eadem ſenten-
tia ad majorem rei hujus illuſtrationem.
XXI Autographum Encyclici cujuſvis ſcripti ab eodem
Primicerio in Eccleſiae ſcriniis erat reſervandum, ejuſdem-
que exemplaria Epiſcopi voluntate, & aſſenſu mittenda.
Quapropter Vigilius ibid. Ruſtico vitio vertit, quod Judi-
catum Primicerio tradere diſtuliſſet. *Quomodo etiam in Pa-
latio, ut fratri noſtro Menae, ad quem ſcripſeramus, celeriter
traderetur, inſtiteris, nulli habetur incertum: ita ut filio noſtro
Surgentio Primicerio petenti ſchedam ipſam Judicati noſtri, ut
apud ſe pro loco ſuo ſecundum conſuetudinem retineret, per multos
dies dare penitùs noluiſſes, donec exemplaria per plurimos Sacer-
dotes, & Laïcos, ſed & per glorioſum Virum Tyrannum, Magi-
ſtrum Militum, alioſque Laïcos in Africam Provinciam deſtina-
res, quod in Eccleſia noſtra à Diacono nunquam factum eſt; ac
nobis neſcientibus ejus exempla deſtinares*. Id autem antiquiſſi-
mi moris eſt. Namque mittebantur etiam Presbyteri, quum
Epiſcopi alicujus apoſtaſia erat ceteris manifeſtanda. Uſurpa-
runt id Urſacius, & Valens, quum occaſione Lampſaceni 365
Concilii, de quo nos in coment. ad Patrum Chalcedonen-
ſium Adlocutionem, intellexerunt, Germinium Sirmienſem
Epiſcopum, ejurato Ariminenſi conciliabulo, ad Orthodo-
xos commigraſſe. Agebant illi Singedunenſe Concilium, 366
nullo fermè collabentis cauſſae praeſidio, ſi reapſe Germi-
nius ad aliena caſtra tranſiiſſet. Id ergo ſive ut certius
dignoſcerent, ſive ut jacturae aliquatenus conſultum irent,
Sirmium miſerunt *Secundianum Presbyterum, Pullentium Le-
ctorem, & Candidianum Exorciſtam*. Quod legimus in frag-
mentis Hilarii pag 1361. Reſcripſit ad haec tentamenta Ger- 354
minius, & à ſuſcepta ſemel Orthodoxorum profeſſione ne
hilum quidem deinceps receſſurum ſe fore teſtatus eſt in
Epiſt. ſua ibid. exſtante pag. 1364., cujus poſtrema verba ſunt
annotanda. *Sanè intimo Caritati veſtrae, me huic Epiſtolæ propte-
rea quod manus dolorem, ſubſcribere non potuiſſe: Subſcribendum
autem mandaſſe Fratribus, & Compresbyteris noſtris Innocentio,
Octavio, & Catullo*. Id moris etiam Romae ſervatum legimus
ad tempora Nicolai I. qui in epiſtolis ad Michaëlem Impera- 858
torem, exſtantibus in actis Synodi VIII., aſſerit harum pu- 869
blicarum epiſtolarum exemplaria duo fieri conſueviſſe: Ita ut

Digitized by Google

Authographum in ſcrinio Apoſtolicae Sedis reſervaretur , al-
te rum Provinciis , aliiſque dirigetur .
Diaconorum proinde id erat officium , qui , utpote Curſo-
res , ſubſcribebant ; tum Primicerii ſcriptum publicum ad
commune Eccleſiae bonum ſpectans , religiosè ſervantes , in
enatis de eodem concertationibus ipſi teſtes adhibebantur
indubii . Hinc quum Theognis Nicaenus cum Euſebio Ni-
comedienſi (qui primi vexillum pro Ario erexerunt) ju-
335 dicium adversùs S. Athanaſium vulgaſſent in cauſſa Mareoti-
dis paludis pro Iſchira impoſtore , idemque Eccleſiis inti-
maſſent , unde prima S. Athanaſii depoſitio conclamata
347 eſt , Patres Sardicenſes, excogitatam fraudem detecturi , &
improbitatem judicii , Diaconos Theognitis vocarunt , eo-
rumque teſtimonia exceperunt . Atque iccirco in Encyclica
pro Athanaſio , Tom. I. Concil. p. 665. , promotae calum-
niae teſtes , Diaconos proponunt , eorumdemque teſtimo-
nia . *Et haec convincebant ii , qui tunc Theogniti Diacones
fuerant* .
XXII. Sed quae hactenus de Diacono, Curſore Dominico,
diſputavimus, qui vel epiſtolam reſponſivam ad eum , qui En-
cyclicam direxit , vel ſaltem delationis teſtimonium exigebat,
vix intelligi pro merito poſſunt , niſi publicorum Curſorum ,
atque eorum praeſertim , qui Magiſtriani dicti ſunt , noti-
tiam, atque munera expoſita habeamus, & reſerata . Magiſtria-
ni itaque Miniſtri erant, qui Imperatorum magni ponderis
edicta deferebant . Hinc in actis S. Abercii , exſtantibus
apud Baronium , legimus : *Valerianum, & Baſianum Magi-*
402 *ſtrianos divinorum noſtrorum officiorum miſimus* . Et Marcus Ga-
zenſis in vita Porphyrii Gazenſis Epiſcopi . *Venit Magiſtria-
nus, epiſtolas afferens Imperatorum*. Eorumdem operâ Conſtan-
tinus Nicaeni Concilii epiſtolas, quas ipſe enucleaverat.,
476 quaquaverſum direxit , Gelaſio Cyziceno teſte lib. 3. Et
431 Johannes Antiochenus ſuum ad Urbem , & Epheſinum
Concilium adventum Patribus ſignificaturus , in conteſta-
tione ad S. Cyrillum , Parte I. Conc. Epheſ. pag. 1349. re-
lata , ſcribit : *Deeſt autem praeſentiae Sanctae Synodi .....
Johannes Antiochenus Epiſcopus , qui & ipſe jam in januis eſt,
juxta quae nuper ſuis literis intimavit, & per eos , quos prae-
miſit Praefectianos , atque Magiſtrianos nunciata ſunt*. Unde

quum

Digitized by Google

quum Leo Imperator ad omnes Orbis Epiſcopos Encycli- 457
cam direxit, ut Epiſcoporum judicium, & unanimem de
Chalcedonenſi Concilio profeſſionem eliceret, opera Magi-
ſtrianorum eſt uſus, ut teſtantur epiſtolae Epiſcoporum reſ-
ponſivae. De hoc autem officio prolixe Pancirolus in notitia
Imperii cap. 16.

XXIII. Epiſcopi autem continuò tenebantur reſponde-
re, ut demonſtrant epiſtolae in Tomo illo Encyclico, ubi
& acceptam à Magiſtriano fatentur epiſtolam, & ſimul da-
tum eidem reſponſum: quod quidem ſi differri oportuiſſet,
Magiſtriano tenebantur oblatae epiſtolae teſtimonium red-
dere, ſeque eandem tradidiſſe proprio Notario, teſtari. Rei
hujus documentum exſtat in Synodico Caſſinenſi c. 127.,
ubi Johannes Antiochenus per Magiſtrianum Alexandro 435
Hieropolitano intimavit, ut vel Pacificae epiſtolae, cui ſub-
ſcripſerant Orientales, ipſe quoque ſubſcriberet, vel ſedem
relinqueret. Porrò in ejus capitis epigraphe legitur. *Epi-
ſtola Alexandri Epiſcopi in perſonam Magiſtriani, qui praefa-
tas attulerat literas*. Redditum autem teſtimonium hocce
ſubjicitur. *Epiſtolam mihi reddebat admirabilitas tua Antio-
cheni. Quam non ſuſcepi propter aliquas Eccleſiaſticas quaeſtio-
nes. Lecta verò mihi eſt à bonitate tua. Et ut hoc poſſis oſten-
dere, hanc epiſtolam feci ad tuam nobilitatem, declarans, quod
in his, quae praecepta ſunt à piiſſimo, & amico Chriſti Impera-
tore noſtro, permaneo: ut nec fatiger nunc ad ejus pium comita-
tum, & in mea Eccleſia perſiſtam, orationes faciens pro ejus Im-
perio. Notarius verò qui mecum eſt, accepit ejus exemplar*. Ubi
vides, Curſorem publicum delatam epiſtolam legere conſue-
viſſe, ejuſdemque exemplar relinquere, quod Eccleſiae No-
tarius cuſtodiendum accipiebat. Unde quae hactenus probata
ſunt, certiùs innoteſcunt.

XXIV. Quoniam verò iſtiuſmodi homines quamaptiſſi-
mi erant Dominici Eccleſiarum curſores, eoſdem quando-
que ad Clericatum eligere Epiſcopi conſueverunt. Ita Ale-
xandriae Diaconus à Cyrillo electus eſt Theodorus, qui
Laïcus eodem officio defunctus fuerat, quod pariter, Cleri-
cus ſubinde electus atque ordinatus, egregiè Epheſini Con- 451
cilii tempore obivit. Id ipſemet Theodorus teſtatur in li-
bello Patribus Chalced. oblato Act. III. pag. 323. *Viginti &*

duos plus minus annos in ſchola devotiſſimorum Magiſtrianorum Subadjuva [ita ex Graecis codicibus legendum] *converſatus ſum: nullam adverſus memetipſum dans aliquando reprehenſionem, aut querelam, ſperans magnae illius ſcholae mereri privilegia. Sed & Sanctae, & Beatae memoriae Cyrillus .... deputatum me habuit, & maximè in tempore, quo facta eſt ſub eo in Epheſo Synodus; & ſine ulla querela miniſtrans ſancto illi, & per Deum facto Concilio, itaut pro ſinceritate, & ſtudio meo, magnae Alexandrinae Civitatis ab ipſo mererer.*

XXV. Subadjuva is erat, qui in eodem Magiſtrianorum
officio velut adjutor aderat, quò perſpecta ſedulitate ejus fi-
delitateque in his praeſtandis muneribus, privilegia, ut aïe-
bat Theodorus Diaconus, Magiſtrianorum obtineret. Vo-
cis ejuſdem mentio, atque uſus occurrit in altero libello,
eadem Act. III. Chalced. relato. Accuſatur ibi Dioſcorus,
quod Eccleſiae pecunias diſtraxerit, & Eunucho Chryſa-
449 phio dederit, per quem Epheſinae Latrocinalis Synodi tra-
goedia peracta eſt. Chryſaphius ergò Magiſtrianos miſit.
Sic enim in Actis pag. 334., ubi de pecuniis Eccleſiae à
Dioſcoro uſurpatis. *Quas à nobis magnificentiſſimus, & glo-
rioſiſſimus Nomus per virum devotum, Severum Magiſtrianum,
& quondam Subadjuvam ejuſdem devotiſſimae Magiſtrianorum
ſcholae, accepit*. Subadjuvae itaque, velut Magiſtrianorum
adjutores, exercebantur, ut & ipſi Magiſtriani fierent.

XXVI. Eccleſiaſtici tandem Magiſtriani officium Diaco-
nus is exercebat, qui Diaconicam promerebatur, qua hujus
fiebat muneris obeundi facultas. Magiſtrianus hic Eccleſia-
ſticus, ſeculi more, ſuos habebat Subadjuvas, ſeu coadju-
tores, qui ſua in deferendis Eccleſiaſticis epiſtolis fide pro-
bata, viam ſibi ad Dominici curſoris gradum, & Diaco-
natus ordinem ſternerent: quos quidem inferiorum ordi-
num, ut Subdiaconi ſunt, & reliqui, Clericos fuiſſe reor.
Ut propterea, quoties per Subdiaconum, Acolytum, Lecto-
rem, aut Exorciſtam Encyclicas latas legimus, id de hiſce
adjutoribus, quos Subadjuvas ea aetas vocabat, ſit intelli-
gendum. Noſtrae conjecturae argumentum eſt Libellus ci-
483 tationis miſſae à Felice Papa ad Acacium, & exſtantis Tom.
11. Concil. pag. 829., ubi Uranii Subdiaconi, & Subadju-
vae mentio fit. *Epiſcopali diligentia commonente* (inquit Pon-

tifex

tifex) *debuerat dilectio tua Eccleſiaſticum morem ſecuta, quid reſponſio ſanctae memoriae Praedeceſſoris mei per virum devotum Uranium Subadjuvam Subdiaconum apud clementiſſimum Principem, quid apud te quoque literae ipſius in cauſſa Alexandrinae Eccleſiae profecerint, indicare*. Tametſi ergò nuperus Conciliorum collector Harduinus τὸ Subadjuvam à textu ſubmoveri debere conjecerit; quum nihilominus, & in antiquis Codd. exſtet, & res ipſa in Eccleſia olim viguerit, qua de cauſſa ille à textu ad notas vocem rejecerit, minimè aſſequor. Quum autem Felix vitio vertat Acacio, quod Uranio Subadjuvae reſponſum tradere noluerit, magis adſtruitur, quod ex Codicis Caſſin. exemplo animadvertebamus, Epiſcopos videlicet obſtrictos fuiſſe, publicis hiſce Curſoribus teſtificari, & reſpondere. De Uranii miſſione loquitur quoque Eutychianiſtarum Breviculus, annotans haec fuiſſe geſta, *ſuperveniente Uranio Subadjuva*.

In Synodo V. etiam Collat. 7. adducta eſt Vigilli Chartula, Tom. III. Concil. pag. 186., qui quaedam noſſe cupiens ex Antiochenis Archivis, ſe illuc Thomam, ut perquireret atque deferret, miſiſſe teſtatur, inquiens ſub finem. *Pro hac etenim cauſſa deſtinavimus Thomam devotiſſimum, agentem in rebus, & Subadjuvam*. Exigebantur enim rei confectae teſtimonia in Archivis Antiochenae Eccleſiae adſervata: unde Subadjuvarum requirebatur officium, & opera, qua proinde voluit uti Vigilius. Notum quippe quod in Hiſtoria Miſcella Edit. Caniſii l. 17. pag. 528. legitur: *Qui Subadjuvae dignitate habebatur inſignis*. Adde quod Olympius, & Gerontius, qui epiſtolas ad Leonem Magnum in cauſſa Timothei Aeluri, & Encyclicas pro Chalcedonenſi Concilio detulerant, dignitate Subadjuvae legantur inſigniti in epiſtola Leonis, edit. Queſnel. 27., ad Epiſcopos Aegypti. *Querelas tamen dilectionis veſtrae praeveniens, Clementiſſimo, & Chriſtianiſſimo Principi de tantorum malorum remediis ſupplicavi, & per filios noſtros Gerontium, & Olympium Subadjuvas diverſo tempore depopoſci*. Et in epiſt. 98. ad Julianum Coënſem. *Et cum omnibus occaſionibus ſcribere non quieſcam, quibuſdam tamen ſcriptis meis, id eſt, per filium noſtrum Subadjuvam Rodanum, Domeſticum filii noſtri, viri illuſtriſſimi Aſparacii datis; nullum reſponſum tuae fraternitatis accepi*. De

[margin: 535 beside "In Synodo V. etiam Collat. 7."; 457 beside "Qui Subadjuvae dignitate"]

410 eodem officio Syneſius epiſt. 144. *Harpocratio quidam eſt Heracliani Satellitum ex eorum ordine, qui adjutores adjuvant; vox enim Subadjuva id ſignificare creditur.*

§. X.

DE PRESBYTERIS DOCTORIBUS, DIACONO, DOMINICO CURSORI, ADSOCIATIS.

Synopſis.

I. *Cur Diacono Curſori adſociarentur Presbyteri.* II. *Morem praeformarunt Apoſtoli.* III. *Suſceperunt Apoſtolicae Eccleſiae.* IV. *Exemplo Alexandri I. Pont., & Synodi Siculae illuſtratur.* V. *Ex S. Athanaſii epiſtolis.* VI. *Ex Concilio Antiocheno II. contra Paulum Samoſatenum.* VII. *Ex cauſſa Athanaſiana apud Julium Pontificem agitata.* VIII. *Ex epiſtola Synodi Singedunenſis.* IX. *Ex damnatione Joviniani à Siricio evulgata.* X. *Expenditur Ambroſii reſponſum.* XI. *Morem eundem Athanaſio proponebat Baſilius M.* XII. *Et accuratè obſervavit Apoſtolica Sedes.*

I. Diacono equidem, Dominico curſori, Encyclicas ad Eccleſias Orbis laturo, unum alterumve Presbyterum ſocium fuiſſe datum, cum in ſequenti Diſſertatione demonſtrabitur, tum apud Eccleſiaſticos Scriptores tam certum eſt, ut quod certiſſimum. Illud tantummodo diſquirendum eſt, quo fine ſcilicet Diacono Presbyter comes ſit datus. Presbyteri, qui cum Diacono mittebantur, delecti fere erant ex Presbyterio, quod, ut dictum eſt, Doctoribus Presbyteris conſtabat. Quoniam verò ii ob doctrinae excellentiam, morumque gravitatem conſiliarii Epiſcopo aderant, intantum ut abſque illorum votis nunquam ad deliberationem veniret, è re publica Eccleſiarum erat, ut graviori urgente controverſia, aut regione aliqua infecta haereſibus, non ſcriptis tantum conſulerent, ſed unus inſuper aliquis ex illis eligeretur, qui viva voce, & quae conſcripta fuerant explanaret, & ſenſa tueretur, atque inſanos graſ-

ſantis haereſis impetus opportunè infringeret. Nemo enim melior, atque aptior ſeligi ad id poterat Doctore Presbytero, qui, ut nonniſi exercitatiſſimus ſcientiſſimuſque tractator deligebatur, ita in condenda Encyclica adſeſſor fuerat, & in Presbyterio approbator, non iners iccirco futurus, nec ignarus decretorum eorumdem aſſertor apud Eccleſias.

II. Si rei hujuſce inquiramus originem, Apoſtolica haec eſt, & in Encyclica Hieroſolymitana luculenter expreſſa, in qua deferenda Dominicis curſoribus ſocii dati ſunt Paulus, & Barnabas. Sic enim Actor. 15. v. 25. legimus. *Placuit nobis collectis in unum, eligere viros* (Curſores nempe Silam, & Judam) *& mittere ad vos cum chariſſimis noſtris Barnaba, & Paulo hominibus, qui tradiderunt animas ſuas pro nomine Domini Jeſu Chriſti*. Ad haec obſervat in Comment. Chryſoſtomus, merito praeter latores, miſſos quoque fuiſſe Doctores, cujuſmodi erant Paulus, & Barnabas, cum perbrevis eſſet epiſtola, & ad eos, qui Judaïzantium haereſi tenebantur, directa. Illos autem jam Presbyterii Antiocheni declaratos fuiſſe Doctores, notum oppidò erat, & cap. 13. Actorum v. 1. proditum, ubi, non ſecus ac in Encyclica Synodica, Barnabas, & Paulus hoc ordine recenſentur, ut Paulo Barnabas praeponatur. 398

III. Apoſtolicum inſtitutum primitivae Eccleſiae Patres ſunt ſecuti. Etenim in Paſchatis concertatione, Victorem inter, & Polycratem Aſianum Exarcham habita, Pontifice in jus ſummum propendente, Lugdunenſis Eccleſia Encyclicam adverſus quoſdam emiſit, qui tunc ad Fratrum perturbationem ultro vitam perſecutoribus offerendam aſſeverabant: unde plurimi lapſi ſunt. Irenaeum proinde Preſbyterum Eccleſia eadem dirigere voluit, ut motae controverſiae modum faceret. Irenaeus autem is eſt, qui antea epiſtolis ad humanius cum Aſianis agendum, Victorem adhortatus fuerat, teſte Hieronymo in libro de Viris Illuſtribus in Irenaeo. *Feruntur ejus & aliae ad Victorem Epiſcopum Romanum de quaeſtione Paſchatis epiſtolae, in quibus commonet eum, non facilè debere unitatem Collegii ſcindere*. Non abſimiliter quum Alexander Hieroſolymitanus Antiſtes electus eſt, Clementem Alexandrinum Presbyterum, Hieroſolymis tunc commorantem, cum epiſtola ad Antiochenſem

186 (margin, beside "Victorem inter")
378 (margin, beside "bus in Irenaeo")
212 (margin, beside "abſimiliter")

Eccleſiam direxit, in qua de ſua agit ordinatione. In ea autem ſic de latore. *Porro has literas, Domini fratres, per Beatum Presbyterum Clementem ad vos miſi, virum virtute praeditum, & probatum; quem vos & noſtis jam, & amplius cognoſcetis. Qui quidem Dei nutu, ac Providentia, dum hic apud nos praeſens eſſet, Eccleſiam Chriſti & confirmavit, & magnopere auxit.* Adverſus Judaeos, niſi me fallit conjectura, de-
315 certans. Nam Euſebius qui lib. 6. c. 11. haec fragmenta epiſtolae refert, cap. 13. addit, Clementem librum edidiſſe *de Eccleſiaſtica Regula, ſeu adverſus Judaeos.*

IV. Illuſtre exemplum cum Encyclicae, tum Diacono ſo-
125 ciati Presbyteri Doctoris, exſtat in Synodo Sicula, cujus acta Authori Praedeſtinati debemus. Ille enim de haereſibus l. 1. c. 16. haec habet ad rem. *Sextadecima haereſis Heracleonitarum, ab Heracleone adinventa eſt, quae Baptizatum hominem, ſive juſtum, ſive peccatorem, loco Sancti computari docebat, nihilque obeſſe Baptizatis peccata memorabat, dicens: ſicut non in ſe recipit natura ignis gelu, ita Baptizatus non in ſe recipit peccatum....... Hic in partibus Siciliae inchoavit docere. Contra hunc ſuſceperunt Epiſcopi Siculorum Euſtachius Lilybaeorum, & Panormenorum Theodorus: Quique omnium, qui per Siciliam erant Epiſcoporum Synodum exorantes, geſtis eum audire decreverunt: Et univerſas adſertiones ejus dirigentes ad S. Alexandrum Urbis Epiſcopum, rogaverunt, ut ad eum confutandum aliquid ordinaret. Tunc S. Alexander ad ſingula quaeque capita hydri ſingulos gladios Dei Verbi de vagina Divinae Legis ejiciens, librum contra Heracleonem ordinans, ferventiſſimum in ingenio Sabinianum Presbyterum deſtinavit, qui & ſcriptis Epiſcopi, & adſertione ſua ita eum confutaret, ut nocte media navis praeſidio fugeret.* In quo facto ordo geſtorum attendendus eſt. Mutuae primò Lilybaetanum inter & Panormitanum Epiſcopos ſcriptae ſunt epiſtolae: Synodus deinde habita eſt, & Synodi Encyclica ad Pontificem delata: ac tandem Pontificis refutatio emanavit, miſſuſque ab eo Sabinianus, Presbyter Doctor, qui etiam oretenùs frangeret haereſiarchae audaciam proterviamque.

V. Hinc moribus receptum fuit, ut Presbyteros quoſdam mitterent in regiones, aliqua praeſertim erroris labe infectas, qui zelo & doctrina fidelium, fideique cauſſam ſuſci-

perent defendendam. Athanaſium diſciplinae hujus perquam 326
ſolicitum fuiſſe, ejus paſſim teſtantur epiſtolae. Exſtat in-
ter alias illa, quam ad Johannem, & Antiochum Compreſ-
byteros ſuos dedit, Tom. 1. pag. 951., & in qua eos lau-
dat ob miſſas ad ſe relationes circa Hieroſolymitanae Ec-
cleſiae ſtatum, & ut idem proſequantur, hortatur. In alia
ſimiliter, quam ad Palladium Presbyterum dedit, memo-
rat quae ſibi de Cappadociae in S. Baſilium motibus denun-
tiaverat. Et, ut alia plura mittamus, quum Dracontius fu-
ga ſeſe proripuiſſet, ne Epiſcopus fieret, hortatoriam ad eun-
dem epiſtolam ſcripſit S. Doctor, oſtenſurus debitum ſuſ-
cipiundi in iis circumſtantiis Epiſcopatus: atque inſuper
praeter epiſtolam Presbyterum dirigit, de quo ſic pag. 959.
Hac de cauſſa dilectos noſtros Hieracem Presbyterum noſtrum,
& Maximum Lectorem adhortatus ſum iſtuc ire, ut etiam ver-
bis te incitarent, & ex illis cognoſcere poſſis, quo cum affectu iſta
ſcripſerim, & periculum ſimul, quod tibi imminet ex iſta detre-
ctatione ordinis ſacri.

VI. Quum cauſſa Pauli Samoſateni Antiochiae agitare- 270
tur, duo Alexandrini Presbyteri, ambo doctiſſimi, Euſe-
bius, & Anatolius in Syriam profecti (fortaſſe quando Dio-
nyſius Encyclicae à Synodo miſſae reſpondens, eoſdem
Dominico curſori ſociavit: Euſebii enim Presbyteri in ex-
ſtantibus apud Euſeb. in Hiſt. epiſtolarum fragmentis cum
laude meminit Dionyſius) tanto zèlo, ac doctrina ſplen-
duerunt, ut Laodiceni utrumque ſucceſſive in Epiſcopos
ſuos elegerint. De his praecitatus Euſebius l. 7. c. 32., ubi 315
Laodicenorum Epiſcoporum ſeriem referens, haec ſcribit.
Apud Laodiceam verò poſt Socratem Epiſcopus fuit Euſebius,
domo Alexandrinus. Cauſſam ex Patria migrandi ei praebuit
negotium Pauli Samoſateni. Cujus gratia cum in Syriam veniſ-
ſet, ab iis qui coeleſtium rerum amore illic flagrabant detentus,
domum redire prohibitus eſt. Qui quidem noſtra memoria ama-
bilis quidam Religionis theſaurus fuit, quemadmodum ex ver-
bis etiam Dionyſii ſupra allatis facilè cognoſci poteſt. Huic dein-
de ſubſtitutus eſt Anatolius, bonus quod aïunt boni viri ſucceſſor,
ipſe quoque domo Alexandrinus. Pergit deinde eorumdem
geſta referre. Plures enim Doctores Presbyteros cum Pau-
lo Samoſateno diſputationes iniiſſe, idem advertit Euſebius.

Illi ergò cum reſponſiva ad Synodi Antiochenae Encyclicam
mitti à Dionyſio potuere, ut voce, & paraeneſibus catholi-
cum dogma propugnarent.
335 VII. Poſt Synodum Tyriam, in qua à factioſis Euſebia-
nis bellum adverſus S. Athanaſium eſt conclamatum, com-
plures hìnc & inde epiſtolae miſſae ſunt. Scribebant Eu-
ſebiani, ut Athanaſium legitimè ob crimina depoſitum oſten-
derent, conflataſque in illum calumnias comprobarent:
Catholici verò, ut illius, & ſimul fidei quam ſuſceperant
337 cauſſam propugnarent. Julius cum Occidentalibus utriuſ-
342 que partis ſcripta ad trutinam revocans, Athanaſium in Sy-
nodo Romana innocentem declaravit. Euſebiani hinc dele-
gerunt Macarium Presbyterum, Martyrium, & Heſychium
Diaconos, qui epiſtolas deferentes, & quaerimonias, Pon-
tificem, atque Occidentales Antiſtites adverſus Athanaſium
excitarent. Adſuere quoque S. Athanaſii Presbyteri, &
inſtituta concertatio eſt. Summam illius hoc modo reprae-
ſentat Julius, ibi p. 741. in Apolog. ad Conſtant. *Veſtri le-
gati, Macarius nimirum Presbyter, & Martyrius Heſychiuſque
Diaconi nullo modo cum hùc veniſſent, pares Presbyteris ab Atha-
naſio miſſis, ac ſemper ab illis convicti refutatique, Concilium
indici à nobis poſtularunt, literaſque & ad Euſebianos, & Atha-
naſium Alexandriam, quibus convocarentur, mitti, ut coram om-
nibus juſto judicio de cauſſa cognoſci poſſet: tum enim ſe de Atha-
naſio probaturos, quod jam nequirent. Publicè enim coram nobis
Martyrius, & Heſychius refellebantur, Athanaſii Presbyteris
bona cum fiducia alacriter reſiſtentibus. Martyrius verò cum ſuis,
ſi vera dicenda ſunt, ubique profligabatur, ac proinde Concilium
generale poſtulavit.*
359 VIII. Eadem ratione poſt Synodum Ariminenſem Va-
lens, & Urſacius, qui Occidentales coëgerant, ſuſcipere
perfidiae formulam, epiſtolas ad alios quoque, qui non in-
terfuerant, direxerunt, ut ſubſcriberent. Exſtat Synodi
366 Singedunenſis (eſt Civitas in Hungaria inferiori, hodie Si-
gedin) epiſtola, quam reſervarunt fragmenta operis Hiſto-
rici Hilariani pag. 1360. In ea primo afferunt, omnes Oc-
cidentis Epiſcopos aſſenſum praeſtitiſſe, *cui etiam univerſi
Orientis Epiſcopi conſenſerunt*. Sed Patribus, haſce omnes epi-
ſtolas in ea Urbe, & conciliabulo diſcutientibus, Jovinia-

nus

nus Diaconus, & Martyrius Subdiaconus retulerunt Ger-
minii confeſſionem, de qua ſubdubitabant (illi autem
Curſores fuiſſe videntur,ab impoſtoribus delecti ad hanc for-
mulam intimandam, & ſubſcriptiones extorquendas) Po-
ſtulant proinde Patres ab eodem Germinio, ut diſtinctè
propriam opinionem ſcripto prodat; & ita epiſtolam clau-
dunt. *Haec per Secundianum Presbyterum, Pullentium Lecto-
rem, & Candidianum Exorciſtam tranſmiſimus charitati tuae.*
Presbyterum quidem dirigunt, ut reluctantem Germinium
diſputatione convincat; reliquos duos velut teſtes, ut reor,
novae emittendae profeſſionis, ſi fortè ad hanc induci Ger-
minius potuiſſet. Grande enim Arianis erat perfidiae emo-
lumentum, ſi Germinium, quem, ut Hilarius diſſerit in 354
lib. adv. Auxentium, ſocium impietatis habuerant, quem-
que catholica profeſſione apud eundem Hilarium ibid. pag.
1359. exſtante, reſcipiſcentem viderant, denuo ad propria
caſtra reducerent.

IX. Joviniani Haereſiarchae damnatio, & damnationis
facta per epiſtolam intimatio, quam ad Italiae Epiſcopos
Doctores Presbyteri Romanae Urbis detulerunt, luculen-
tiſſimum ſuppeditat documentum priſci ejuſdem moris, quo
cum Encyclicis mitti Presbyteri conſueverunt. Quis fuerit
Jovinianus, quive ejus errores, prodit Hieronymus in duo- 378
bus libris adverſus ipſum editis, & S. Auguſtinus de hae- 396
reſ. c. 82. Errores ab ipſo Hieronymo fortaſſe Siricio denun-
ciati, Pontificem compulerunt, ut ad examen revocatos dam-
naret. Exſtat epiſtola, quae tametſi in vulgatis Conci-
liorum collectionibus ex Iſidori editione legatur cum epi-
graphe *ad diverſos Epiſcopos*: In collectione nihilominus Iſi-
dori ejuſdem MS., qua etiam uſus eſt Baronius, & exſtat
hodieque in Vallicellana Bibliotheca, legitur: *Siricius uni-
verſis Epiſcopis*. Rem itaque aggreditur Pontifex ab uſu 385
epiſtolarum Pacificarum, quas ab Apoſtolica Sede recipie-
bant Epiſcopi. *Optarem ſemper, Fratres chariſſimi, dilectio-
nis & pacis veſtrae ſinceritati gaudia nunciari, itaut viciſſim
diſcurrentibus literis, ſoſpitatis veſtrae juvaremur indicio.* Ex
quo diſcimus, quod quemadmodum in Paſchalibus Encycli-
cis quandoque denunciabantur, & oppugnabantur errores,
ita in Pacificis quoque id fuerit obſervatum, de quibus ma-

niſeſtè

nifeſtè loquitur Siricius. Joviniani deinde recenſitis erroribus, addit. *Facto ergo Presbyterio, conſtitit doctrinae noſtrae, id eſt, Chriſtianae Legi eſſe contraria. Unde Apoſtolicum ſecuti praeceptum, quia aliter quam quod accepimus, annuntiabant, omnium noſtrum tam Presbyterorum, & Diaconorum, quàm etiam totius Cleri una ſuſcitata fuit ſententia.* Vel ut alii Codices legunt. *Unam ſcitote fuiſſe ſententiam, ut Jovinianus, Auxentius, Genialis, Germinator, Felix, Plotinus, Martianus, Januarius, & Ingenioſus, qui incentores novae haereſis, & blaſphemiae inventi ſunt, Divina Sententia, & noſtro judicio in perpetuum damnati, extra Eccleſiam remanerent.* Ad Encyclicum hocce decretum Provinciis intimandum, Romanae Eccleſiae Presbyteri delecti ſunt, cujus delectus motiva in hunc modum proponuntur. *Quod cuſtodituram ſanctitatem veſtram non ambigens, haec ſcripta direxi per Fratres, & Compresbyteros meos, Creſentem, Leopardum, & Alexandrum, qui religioſum officium fidei poſſint ſpiritu adimplere ferventes.* Poſtrema haec verba, quibus illorum fidei zelus commendatur, id quod dicebamus certo confirmant, eos videlicet directos fuiſſe ad defenſionem decretorum, atque ad errorum refutationem, ſuſcepta etiam diſputatione, faciendam.

374 X. Ex epiſtola, quae unica exſtat, reſponſiva S. Ambroſii, quaeque luculenter oſtendit, ſeptemdecim ampliſſimas Provincias tunc Epiſcopo Mediolanenſi ſubjectas, Encyclicum Siricii decretum ſubſcriptione firmaſſe, colligitur imprimis harum mutuarum epiſtolarum uſus, dum omnium nomine ita aggreditur. *Recognovimus literis ſanctitatis tuae boni Paſtoris excubias, qui diligenter commiſſam tibi januam ſerves, & pia ſolicitudine Chriſti ovile cuſtodias, dignus quem Oves Domini audiant & ſequantur, & ideo quia noſti Oviculas Chriſti, lupos facilè deprehendis, & occurris quaſi providus Paſtor, ne iſti morſibus perfidiae ſuae, feralique ullulatu Dominicum Ovile diſpergant. Laudamus hoc, Domine Frater dilectiſſime, & toto celebramus affectu.* Errores deinde recenſent, & urgentiſſima brevi animadverſione rationes addunt, quibus prava ſingula Joviniani dogmata perſtringuntur: denuntiant ipſum quoque Imperatorem exſecratum fuiſſe errorum authores, concluduntque miſſos Presbyteros id egiſſe demum, ut pravitatis ſequaces damnarentur. *Quam & clementiſſimus*

exſe-

Digitized by Google

*exſecratus eſt Imperator, & omnes qui illos viderunt, quaſi quæ-
dam contagia refugerunt: ſicut teſtes ſunt Fratres, & Compreſ-
byteri noſtri Creſcens, Leopardus, & Alexander, ſancto ferven-
tes ſpiritu, qui eos omnium exſecratione damnatos Mediolanenſi ex
Urbe quaſi profugos repulerunt.* Sequebantur Epiſcoporum ſub-
ſcriptiones, quorum tamen nomina exſcriptorum negligen-
tia nobis invidit.

XI. Hos, ut reor, mittere ſuadebat Baſilius in epiſt. 48. 370
ad S. Athanaſium. Quum enim in aliis epiſtolis Orientis
ſtatum expoſuiſſet, hortatur ut Legatos dirigat ad Occi-
dentis Epiſcopos, qui literis ſuis Orientales excitent ad
diſcordiarum occaſiones relinquendas tum circa dogmata,
tum circa diſciplinam. Aſſerit quoque aptiorem ipſo eſſe
neminem, & ſubjungit. *Innumeros illos, quos pro pietate tu-
liſti labores, uno iſto opere confirma. Viros aliquos Eccleſiae tuae
potentes in doctrina ſana ad Occidentales Epiſcopos mitte, qui
quibus calamitatibus occupemur, ac premamur, illis exponant.
Inſtrue illos forma narrandi qua utantur. Eſto Samuël Eccleſiis.
Pete gratiam à Domino. Mnemoſynon aliquod pacis infer, &
relinque Eccleſiis. Scio quam langueant epiſtolae ad conferendam
operam tanto negotio. Verum neque ipſe aliorum ſolatio, & ad-
jumento opus habes, non magis quam Athletarum dexterrimi
puerorum acclamatione: neque nos ignorantem docemus, ſed ſe-
dulo ac ſatagenti impetum conandi intendimus. Ad reliquas
quidem Orientis res opus forſan habebis & plurium cooperatio-
ne, & neceſſarium fuerit exſpectare eos, qui ex Occidente ven-
turi ſunt.* Tanti faciebat Baſilius harum epiſtolarum concor-
diam, qua feliciter cedente, poſt Athanaſii claſſicum, vi-
ctoriam certo ſperabat, ſi *Presbyteri potentes*, & edocti *for-
mam* Athanaſianam, Occidentalibus proximas Orientis ja-
cturas aperirent. In epiſtola quoque 52. ad eundem data,
quum commendaſſet Athanaſii zelum in edendis hiſce
mittendiſque Encyclicis, ſubjungit Baſilius. *Et jam quoque
è Sacro Cleri tui coetu miſſum venerandiſſimum Fratrem Petrum
multo cum gaudio excepimus, bonumque peregrinationis ipſius la-
borem probavimus, quem juxta dignitatis tuae mandata exequ-
tum eſſe ſe, conciliatis quae erant contraria, & conjunctis, quae
erant divulſa.* Haud aliter Damaſus celebrem Tomum, qui 378
dicitur Occidentalium, tranſmiſit ad Illyricianos per Elpi-

dium Presbyterum, aut Epiſcopum, ut aliis placet; qua de
re accuratius in Commentariis ad Patrum Chalcedon. Ad-
locutionem tractabimus. Id autem agebat Pontifex, ut illi
Epiſcopi, qui cum aliis XXXIV. Aſianis Epiſcopis adſocia-
ti, Encyclicam Lampſaceni Concilii ſuſcipere detrectabant,
ad meliorem frugem, ſi fieri aliquomodo poſſet, traduce-
372 rentur. Synodum iccirco celebrarunt Illyriciani, & ad Aſia-
nos Synodicam ſcripſerunt, in qua de Elpidio. *Pluribus ad
vos ſcribere noluimus, quia miſſus eſt unus ex omnibus Domi-
nus noſter & Comminiſter Elpidius, accuratè exploraturus prae-
dicationem veſtram....... docebit vos veram fidem praedicare.*

XII. Ad Concilia proinde Presbyterum ſemper dirigebat Apoſtolica Sedes, qui praeter legati munera, doctrinâ & induſtria fidei, diſciplinaeque cauſſam tueretur. Equidem Presbyteros ad id miſſos eo munere pro dignitate functos, teſtantur acta Epheſina praeſertim, atque Chalcedonenſia.

§. XI.

DE PONTIFICIS, PRIMATUM, ET METROPOLITANORUM OFFICIIS IN ENCYCLICA QUALIBET SUSCIPIUNDA.

Synopſis.

I. *Ratio diſquiſitionis proponitur.* II. *Encyclicae ad Apoſtolicas Eccleſias dirigendae.* III. *Apoſtolicae Romanae Sedis ſententia praeſertim expetita.* IV. *Id in cauſſa Eutychetis ex Petro Chryſologo expenditur.* V. *Hinc acta Arelatenſia, & Sardicenſia diriguntur ad Pontifices confirmanda.* VI. *Baſili teſtimonium in cauſſa Schiſmatis Antiocheni expenſum.* VII. *Item Athanaſii ad Baſilii literas reſponſum.* VIII. *Encyclicas à Romana Sede ſeu conditas, ſeu probatas Suffraganeis intimabant Metropolitani.* IX. *Id ex Victore Pont. in Paſchatis controverſia expenſum.* X. *Et ex epiſtola Coeleſtini ad Neſtorium data.* XI. *Cujus ponderis eſſet apud Suf-*

Digitized by Google

fraganeos Metropolitanorum conſenſus. XII. *Expenditur formula, qua Arſenius, & Schiſmatici Meletiani ad unitatem ſunt recepti.* XIII. *Deponitur in VII. Synodo Nacholienſis Epiſcopus, quod ſuſceptam S. Germani Encyclicam Metropolitae ſuo non intimaſſet.* XIV. *Encyclicae in Metropoliticis Archivis ſervatae.*

I. IIs non indiligenter diſputatis, quae ad Diaconos, Curſores Dominicos, ſpectabant, & ad Doctores Presbyteros, illis quandoque ſociatos tum ad Encyclicam deferendam, tum ad id propugnandum, quod communi ſanciebatur conſenſu, methodica ratio poſtulat, ut de perſonis inquiramus, quibus tradebantur Encyclicae, ut propria ſubſcriptione roboraretur, quod erat definitum, idemque peculiari quadam ratione ab Eccleſiarum Paſtoribus ſubjectis fidelibus promulgaretur, fide obſequioque ſuſcipiendum. Cum enim Encyclicae ex ſcopo ſuo, & fine reſpicerent unionem animorum, fidei unitatem, unam dogmatum retinendam profeſſionem, & impoſtorum commercia evitanda, niſi ordo interveniret ac ſervaretur aliquis, difficulter ea omnia obtineri potuiſſent; ac proinde activum in docendo Eccleſiae Magiſterium innoteſcere in tanta Epiſcoporum multitudine, atque inter Eccleſias tanta terrarum mariumque latitudine diſſitas, vix ac ne vix quidem potuiſſet. Quamobrem diligentiori criterio inquirenda ſunt vetuſtatis monumenta, explorandaque priſca in iiſdem recipiendis conſuetudo: unde promulgationis modus eruatur.

II. Certum eſt, quoties ab Epiſcopo aliquo, aut quapiam Synodo emittebantur Encyclicae, deferri haſce ad Apoſtolicas Eccleſias, ac Primarias Sedes conſueviſſe. Non ſecus enim ac Irenaeus, Tertullianus aliique Apoſtolici, & vicinioris ſeculi Scriptores, quum agunt de fidei controverſiis ſolvendis dirimendiſque, conſulunt, quinimo & jubent ad Apoſtolicas Sedes confugere: ita minimè ambigendum eſt, quin recepta eadem ſervaretur in Encyclicis conſuetudo, per quas decreta Eccleſiis intimabantur, ut ipſae quoque proprio calculo ſuffragioque docerent, aut confirmarent, quod erat decretum, & fidelibus intimatum. Conſuetudo ori-

ginem

Digitized by Google

47 ginem ſuam habet in Apoſtolica , & priori Encyclica Hiero-
ſolymitani Concilii, quae tametſi ad Palaeſtinae Syriaeque
Eccleſias directa , primùm nihilominus in Hieroſolymitana
Eccleſia fuit promulgata . Morem hunc obſervans Antio-
270 chena Synodus, quae Paulum Samoſatenum damnavit, ejuſ-
demque proſcripſit haereſim, epiſtolam ad Romanum Pon-
251 tificem, & ad Alexandrinum Antiſtitem direxit. Cornelius
quoque Encyclicam adverſus Novatianum à ſe editam, Fa-
bio Antiocheno, & Cypriano Carthaginenſi inſcripſit : Si-
319 militer Alexander Alexandrinus Alexandro Conſtantinopo-
litano, ceteriſque Patriarchis ſuam. Quod teſtatum relique-
368 re Epiphanius haer. 69. n. 1. Sozomenus l. 1. c. 15. Theo-
dorit. l. 1. c. 4. , qui & illud annotat, miſſam eandem ab
Alexandro fuiſſe ad Philogonium Antiochenum , Euſta-
thium Berroënſem , doctrina inter alios ſpectatiſſimum , &
352 ad Maximum Hieroſolymitanum . Liberius autem in epi-
ſtola ad Conſtantium aſſeverat, eandem ab Alexandro olim
ad Silveſtrum directam , ſuo adhuc tempore in Apoſtolicae
Sedis ſcriniis conſervari . Id ipſum de aliis quamcertiſſimè
conſtabit ex his, quae & ſparſim dicta ſunt, & in ſeqq. Diſ-
ſert. erunt diſputanda . Rationem certè evulgandorum
Scriptorum, quae ad publicum Eccleſiae bonum pertinerent,
527 non ineptè propoſuit Juſtinianus Imp. in Epilogo ad No-
vellam VI. his verbis. *Sanctiſſimi Patriarchae uniuſcujuſque
Dioeceſis haec proponant in Eccleſiis ſub ſe conſtitutis, & mani-
feſta faciant Deo amabilibus Metropolitis, quae à nobis conſti-
tuta ſunt. Illi quoque rurſus etiam proponant ipſi ea in Metro-
politana Sanctiſſima Eccleſia, & conſtitutis ſub ſe Epiſcopis haec
manifeſta faciant: Illorum verò ſinguli in propria Eccleſia haec
proponant, ut nullus noſtrae Reipublicae ignoret, quae à nobis ad
honorem, & ad augumentum magni Dei, & Salvatoris Noſtri
Jeſu Chriſti diſpoſita ſunt.* Iis gemina ſunt, quae habet No-
vell. 42. ad Menam Patriarcham Conſtantinopolitanum .
*Cuſtodiat itaque Beatitudo tua, quae rectè adnotata ſunt, &
mittat ipſa per ſuas Deo dilectas literas omnibus Sanctiſſimis
Metropolitis ſub ipſa exiſtentibus, quorum cuilibet cura erit, ipſa
manifeſtata facere Sanctiſſimis Eccleſiis ſub ipſis ordinatis, ut
neminem ex omnibus lateant quae Sacerdotio viſa ſunt, & ab
Imperio confirmata.*

III.

III. Romani autem Pontificis confirmatio requirebatur, atque conſenſus; proindeque ad eum primò Encyclicae erant dirigendae. Si enim Pacificae, atque Formatae tanta religione à Romana Cathedra poſtulari conſuevêre, quanto magis Encyclicae, doctrinale decretum proponentes, atque Eccleſiam docentem repraeſentantes, debuere ſaltem ab eadem confirmari. Erat enim inter Apoſtolicas prima, primam habebat Eccleſiae dotem, Cathedram unam, ut Optatus l. 2. aït, ac primum fuerat conſtituta doctrinalis aedificii fundamentum, utque cum Synodo Aquileïenſi loquitur S. Ambroſius in Epiſt. ad Imperatorem: *Inde in omnes venerandae communionis jura dimanant*. Qua de cauſſa in celebri illa diſceptatione de vocum Uſiae, & Hypoſtaſis uſu, ob quam totus Oriens circa ann. 362. contentionum procellis vexabatur, tametſi Athanaſius in Synodo Alexandrina, Baſilius epiſt. 43. ad Gregorium fratrem, Nyſſae Epiſcopum, aliique exercitatiſſimi Tractatores per mutuas haſce epiſtolas, rem difficultateſque unanimi conſenſu evacuaſſent, ſtatuiſſentque, Meletium legitimum eſſe Antiochenum Epiſcopum, cum nihilominus Apoſtolica Sedes ad Damaſum uſque pro neutra parte ſententiam tuliſſet ſuam, S. Hieronymus ad eundem Damaſum ſcribens epiſt. 56. 57. & 58. teſtatur, haeſiſſe ſe hactenus, atque haerere dubium, cui ſe parti addiceret, donec Cathedra Petri judicium ſuffragiumque tuliſſet. Eadem de cauſſa Cyprianus omnes quotquot edidit Encyclicas ad Romanum direxit Epiſcopum. Unde quum in cauſſa Marciani Arelatenſis literas à Gallicanis Epiſcopis accepiſſet, ſententiam ſuam poſtulantibus, ille controverſiam omnem ad Stephanum terminandam miſit, inquiens in epiſt. ad eundem, quae eſt 67. *Quapropter facere oportet pleniſſimas literas ad Coëpiſcopos noſtros in Gallia conſtitutos, ne ultra Marcianum pervicacem & ſuperbum, & divinae pietatis, ac fraternae ſalutis inimicum, Collegio noſtro inſultare patiantur*. Et ad calcem epiſtolae: *Significa plane nobis, quis in locum Marciani Arelate fuerit ſubſtitutus, ut ſciamus ad quem Fratres noſtros dirigere, & cui ſcribere debeamus*.

Ex quo praeclare quod ſupra ex Paſchalibus Theophili Alexandrini differebamus, confirmatur, Patriarchas videlicet atque Primates, Encyclicas haſce ultro citroque mit-

Margin dates: 368 (beside "mam habebat Eccleſiae dotem…"), 381 (beside "ficii fundamentum…"), 362 (beside "lis vexabatur…"), 378 (beside "ronymus ad eundem…"), 248 (beside "que tuliſſet…"), 253 (beside "troverſiam omnem…"), 385 (beside "Ex quo praeclare…").

Digitized by Google

tentes, admonitos ſimul etiam feciſſe Epiſcopos omnes defunctorum ſiqui erant Coëpiſcoporum; atque inſuper recèns electorum nomina indicaſſe, ut per Pacificas communionis commercia proſequerentur. Non ſecùs Apoſtolica Sedes electorum noviter in Occidente Epiſcoporum nomina Orientalibus aliiſque intimare conſuevit: Cujus conſuetudinis luculenter meminit laudato loco Cyprianus.

448 IV. Eutyches à Flaviano in Synodo Conſtantinopolitana damnatus, ſcripſit ad Dioſcorum, ad Theſſalonicenſem Antiſtitem, ad Petrum Chryſologum Ravennatenſem, alioſque; appellationem quoque apud Leonem M. interpoſuit, cujus exſtat epiſtola, à Lupo ſub finem Synodici Caſſin. vulgata. Quemadmodum Flavianus quoque Pontificem factae damnationis reddidit certiorem. Petrus autem Ravennatenſis judicium minime protulit: Quinimo epiſtolam, ad Eutychem ſcriptam, in hunc modum claudit. *In omnibus autem hortamur te, Frater honorabilis, ut his, quae à Beatiſſimo Papa Romanae Civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas, quoniam Beatus Petrus, qui in propria Sede vivit, & praeſidet, praeſtat quaerentibus fidei veritatem. Nos autem pro ſtudio pacis, & fidei, extra conſenſum Romanae Civitatis Epiſcopi cauſſas fidei audire non poſſumus*. Patet hinc, eos omnes, qui pacem fidemque ſectabantur, Petri Cathedram, in eminentiſſimo inter Apoſtolicas faſtigio collocatam, nunquam non reſpexiſſe: Non ſecus ac Iſraëlitae iter per Arabiae deſerta facientes, ne aberrarent, prae oculis Tabernaculum habebant, quod ut pergere, aut conſiſtere cernerent, conſiſtendo ipſi, aut pergendo imitarentur.

V. Ex recepta hac conſuetudine, Acta Synodorum Arelatenſis, & Sardicenſis, quae jure merito Oecumenicis Conciliis comparantur, communi Epiſcoporum Orbis ſubſcriptione firmata, ſupremam in Eccleſia authoritatem obtinuerunt.
314 Arelatenſis enim nonniſi per Pontificem propria conſtituta denunciari voluit: In epiſtola quippe ad Silveſtrum, ad quem Concilii acta mittunt, haec inter alia habent Patres: *Placuit etiam à te, qui majores Dioeceſes tenes, per te*
347 *potiſſimum inſinuari*. Synodus verò Sardicenſis in epiſtola, cum univerſis Concilii actis ad Julium miſſa, haec ſuggerit. *Tua autem excellens prudentia diſponere debet, ut per tua*

Digitized by Google

ſcripta qui in Sicilia, qui in Sardinia, & in Italia ſunt Fratres noſtri, quae dicta ſunt, & quae definita, cognoſcant: & ne ignorantes eorum accipiant literas Communicatorias, quos extra Epiſcopatum juſta ſententia declaravit. Perdurantem eundem morem, minimeq; omittendum, ad Leonem ſcripſit Flavianus 448
Conſtantinopolitanus, Eutychetis recolens damnationem. Exſtat inter epiſtolas S. Leonis, & haec ſuppeditat annotanda. *De iis, quae de eo dudum egimus, miſimus ad Beatitudinem veſtram literas, quibus docuimus, & Presbyterio illum eſſe nudatum ...... ut Sanctitas veſtra hoc cognoſcens, quod circa illum actum eſt, omnibus Epiſcopis ſub Beatitudine veſtra degentibus, manifeſtare dignetur illius impietatem, ut neſcientes aliqui, quid ille ſenſerit, quaſi ad Orthodoxum vel per literas, vel per aliquam conjunctionem loquantur.*

VI. Sed quid vetuſtatis documenta congerimus in argumento demonſtrando, quod per ſemet evidentiſſimum eſt? Ut enim Encyclicarum ſcopus eſt animorum concordia, Eccleſiarum pax, & unica fidei ſtatuenda profeſſio; unde Eccleſia ipſa conſurgit, acies quamrectiſſimè diſpoſita, atque in membrorum Capitiſque conjunctione perſiſtens; ita Pontificia praeſto fuerit confirmatio neceſſe eſt. Agnovit id cum in cauſſa diſſidioque Meletii, Vitalis, & Paulini, Antiochenorum eodem tempore Epiſcoporum, tum in aliis Orientis controverſiis, Baſilius M. Priorem enim, quod attinet, 370
ut finem aliquando acciperet, Romani Pontificis confirmationem imprimis praeſtolari oportere, ſuadet in epiſtola 52. ad Athanaſium, qua apud illum inſtat, ut Dorotheo Meletii Diacono & ipſe Diaconicam tribuat, ad Curſoris munus obeundum. *Viſum eſt autem mihi conſentaneum, ut ſcribatur Epiſcopo Romae, ut quae hic geruntur conſideret, detque conſilium: & quoniam difficile eſt, ut communi ac Synodico decreto aliqui illinc mittantur, ipſe ſua autoritate in iſta cauſſa uſus, viros eligat ad ferendas quidem itineris moleſtias idoneos, verum juxta ad hoc accommodos: ut manſuetudine, & facilitate ingenii, eos qui diſtorti, & obliqui apud nos ſunt, corrigant, aptè, ac diſpenſatoriè ſermonem attemperantes.*

Illuſtre hoc teſtimonium nos primò edocet neceſſitatem, ut in Encyclicis, ad Epiſcoporum oſtendendum conſenſum, atque ad docendum ordinatis, Pontificia confirmatio obti-

neretur. II. Pontifices in iis diſponendis moderandiſque, vel per Occidentalium Synodum, vel ipſos authoritate ſua uſos, curſores Dominicos, vel Doctores Presbyteros cum Encyclica direxiſſe. III. Quum Schiſmata, & frequentiores eſſent Epiſcoporum lapſus, Athanaſium monet, ut ex Occidentalium, aut Romani Pontificis Encyclicis diſcat, qua ratione incedendum ſit, ſummo ne, an remiſſo jure: propendet autem ipſe, ut diſpenſatorie, atque ex Eccleſiaſtica Oeconomia potius, quam ſummo jure cum Schiſmaticis, Lapſiſque agatur.

VII. Athanaſius, acceptis hiſce Baſilii monitis, conſenſiſſe ſe Meletio Antiocheno epiſt. 57. ſcribit, hortaturque, ut ipſe quoque epiſtolas Dorotheo tribuat, eique conſentientes adjungat Epiſcopos, ſi non ſubſcriptos, quod in promtu non erat, nominibus ſaltem compellatos. *Decretum eſt, ut hic ipſe Frater Dorotheus Romam uſque proficiſcatur, & permoveat quoſdam ex Italia, ut nos inviſant, idque per mare, quò eos effugiant, à quibus poterunt impediri*. Valentem ſcilicet, Urſacium, Baſilium Ancyranum alioſque, qui plurimum in aula poterant. Qua autem de cauſſa Eccleſiaſticam Oeconomiam adhibendam in ſuperiori epiſtola ſcripſerit, hîc idem aperit. *Intellexi enim eos, qui apud rerum Dominos potentes ſunt, nihil neque velle illis, neque poſſe de cauſſa ejectorum ſuggerere, ſed hoc lucro deputare, ſi nihil in Eccleſiis pejus geri videatur*. De adjungenda autem Meletii epiſtola in hunc modum pergit. *Igitur ſi & prudentiae tuae conſilium noſtrum utile viſum fuerit, dignabere, & epiſtolas formare, & monita dare, de quibus oporteat ipſum narrare, & ad quos & quando*. Videſis ea de re ſequentem epiſtolam.

VIII. Quamlibet ergò Encyclicam epiſtolam, à Romano Pontifice in Provincias, ut ſubſcriberetur, evulgatam, Metropolitanorum erat Suffraganeis, ſive in ſua omnibus Sede manentibus, ſive in Coetum apud ſe collectis, ſubſcribendam proponere, & communi ſuffragio ſuſcipiendam. Hinc de Dogmatica S. Leonis epiſtola, per Orientem evulgata, le-
451 gimus Act. 4. Chalced. pag. 439. *Miſſa eſt epiſtola almi Archiepiſcopi Leonis iis, qui ubique eſſent Metropolitis, & ſubſcripta eſt*. Quod non abſimiliter in Occidente factum. Eu-
451 ſebius enim Mediolanenſis eandem in Synodo propoſuit,

reſcri-

Digitized by Google

reſcripſitque Leoni. *Admonitis ergo Fratribus, & Coëpiſcopis meis, habitoque conventu, veſtram Formam tenuimus literarum.* Eadem pariter ad Ravennium Arelatenſem perlata, in Synodo ſubſcripta eſt. Reſponſiva utraque exſtat inter Leonis epiſtolas. Quin etiam Leo ipſe in epiſtola ad Theſſalonicenſem Primatem audacter aſſerit, id genus epiſtolarum ſubjectis Epiſcopis à Primatibus eſſe proponendum. Scribit enim pag. 225. *Plenius verò obſervari debent quae caveri ad ipſum Fratrem, & Coëpiſcopum noſtrum Anaſtaſium ſcripſimus, eaque in veſtram notitiam literis ipſius volumus pervenire, à quibus Fraternitatem veſtram nolumus deviare.* Meritò quidem. Cum enim hae epiſtolae ſartam tectamque intenderent fidei unitatem, animorumque concordiam, neceſſe erat, ut à Capite in membra communionis, atque pacis conſortium diffunderetur. Quae equidem diſciplina antiquiſſima eſt, & Apoſtolica, eâque imbuti glorioſiſſimi Martyres, quum in cauſſa Lapſorum ſententiam ſuam proferrent, Epiſcopis per Cyprianum intimandam eſſe arbitrati ſunt; qui proinde ſcribit epiſt. 18. ad Presbyt. Carthag. *Legi autem & univerſorum Confeſſorum literas, quas voluerunt per me Collegis omnibus innoteſcere.* Reſcribere interim tenebantur Metropolitae ipſi. Quod idem Leo in epiſt. ad Metropolitas per Illyricum conſtitutos docet.. Quum enim quarumdam rerum obſervantiam illis injunxiſſet, monet inſuper. *Haec verò, quae per filium meum Nicolaüm Presbyterum reſcripta direximus, recurrentibus literis, ut vos eadem ſciamus accepiſſe, reſcribite.*

IX. In graviſſima de die celebrandi Paſchatis concertatione, quae ex recepta, atque univerſaliori Eccleſiarum conſuetudine agitabatur, Victor, ut communem ab Apoſtolica inſtitutione ad illa uſque tempora uſum, diſciplinamque perſeverantem commonſtraret, non ad Epiſcopum Hieroſolymitanum, omnium licet auguſtiſſimâ Epiſcopatus fundatione ſpectabilem, ſed ad Theophilum Caeſareenſem Palaeſtinae Primatem, ſcripſit. Teſtantur id apertè Actorum Synodi Caeſareenſis fragmenta, apud Baluzium in nova Conciliorum collectione. *Tunc Papa Victor, Romanae Urbis Epiſcopus, direxit, ut daret authoritatem ad Thophilum Caeſarienſium Palaeſtinae Provinciae Epiſcopum, quia tunc non Hiero-*

452 (margin, beside "Eadem pariter ad Ravennium")
248 (margin, beside "Epiſcopis per Cyprianum")
196 (margin, beside "Synodi Caeſareenſis")

ſolyma Metropolis videbatur, ut inde Paſchalis ordinatio proveniret, ubi Chriſtus fuerat in corpore converſatus.

X. Inſtituti rationem reddiderat Leo in epiſt. cit. ad Illyrici Metropolitas, quòd videlicet per hoc *Charitas Dominica* cuſtodiretur, quae in unione membrorum cum Capi-
430 te ſuo perſiſtebat. Et ante ipſum S. Coeleſtinus in epiſt. ad Neſtorium, Tom. 1. Conc. edit. Hard. pag. 1307., trutinatis Neſtorii ſcriptis, & definitivam in Haereſiarcham ſententiam dicens, ſub finem haec addidit verba. *Quam Formam ad te noſtri judicii per Poſſidonium Diaconum cum omnibus chartis ad Sanctum Conſacerdotem meum, memoratae Alexandrinae Urbis Antiſtitem, qui ad nos ſuper hoc ipſo plenius retulit, deſtinavimus, ut agat vice noſtra, quatenus ſtatutum noſtrum, & tibi, & univerſis Fratribus innoteſcat: quia omnes debent noſſe quod agitur, quoties omnium cauſſa tractatur*. Equidem ubi haec ſervabatur forma, facillimè & illicò dèfinita controverſia poterat innoteſcere. Similiter eiſdem de rebus Cyrillo ſcripſit, & epiſtolam claudit. *Eadem autem ſcripſimus & ad Sanctos Fratres, & Coëpiſcopos noſtros, Johannem, Rufum, Juvenalem, & Flavianum, ut nota ſit de eo noſtra, imo Chriſti noſtri divina ſententia*. Haec quidem ſedulo diligenterque expendenti continuò ſubit Apoſtolica commendanda inſtitutio, ſaepiſſimè commonens, ut idipſum ſapiamus, ut ordinatè omnia fiant, per unanimem ſcilicet in una fide profeſſioneque concordiam, quae iſtiuſmodi Encyclicarum ope & medio quamauguſtiſſimè ſervabatur. Per Capitis enim, & principalium membrorum influxum ad reliqua derivatum, & fidei manebat incolumitas, & erroribus quamcelerrimè adhibebatur modus.

XI. Quanti porrò facerent ſubjacentes Provinciarum Epiſcopi Encyclicas, ſibi à Metropolitanis propoſitas, quantive apud eoſdem ponderis eſſet praeſtitus à Metropolitanis conſenſus, propriaque ſubſcriptione firmatus, docent Epheſi-
431 ni, & Chalcedonenſis Concilii acta. In Epheſinis quidem legimus, Epiſcopos aliquos, fidei decreto ſubſcribentes, inter urgentiora motiva adducere Metropolitanorum ſubſcrip-
430 tionem, conſenſionemque. Miſerat Cyrillus, ante Synodum Epheſinam, Encyclicam, in Alexandrina Synodo conditam, ad Metropolitas, qui jam ſubſcripſerant, editam. Aſſenſum

illum,

illum, grande velut argumentum, urget Eutychius Erthororum Epiſcopus, quum iterum Act. 1. Epheſi habita, eadem ſubſcribenda recitarentur, inquiens in ſua interlocutione. *Sanctorum Patrum oraculis perſuaſus, diverſarum Provinciarum Metropolitanorum, qui & fidei à Trecentis decem & octo Sanctis Patribus Nicaenis expoſitae, & epiſtolae nihilominus, quam Sanctiſſimus Epiſcopus Cyrillus ad ...... Neſtorium dedit, aſſenſerunt, demonſtrationibus inductus, & ego quoque eadem confiteor, & credo*. Eodem modo Dynatus, in Epiro veteri Epiſcopus, quum ſciret Donatum Metropolitanum in Illyrico eidem epiſtolae ſubſcripſiſſe, in plena Synodo Epheſina ipſe quoque ſubſcripſit, inquiens. *Quare quae Donatus Metropolis meae Epiſcopus ſentit, affirmavitque, ego quoque ſentio, & affirmo*. In Concilio pariter Chalcedonenſi Act. 1. Il- 451
lyriciani, & Palaeſtini Epiſcopi, qui primùm à partibus ſtabant Dioſcori, paullatim reſcipiſcentes, non ſinguli, ſed Juvenalis primùm Palaeſtinorum Metropolita, & Nicopolitanus Illyricorum; ceteri autem illorum vota ſequentes, ad Catholicos acceſſerunt. Et Act IV., ubi iterum ſubſcripta eſt S. Leonis Dogmatica, plures Epiſcopi teſtantur, ſe confirmare quod antea in proprii Metropolitae perſona egerant.

XII. Sed receptiſſimae hujus, neceſſariaeque conſuetudinis alia plurima documenta proferri poſſunt, quibus praeſtantiſſima haec Metropolitanos inter, & ſubſcribentes ſubjectos Epiſcopos harmonia emineat. Mittimus, Petrum Chry- 448
ſologum Eutycheti repoſuiſſe, ſe, inconſulto Italiae Primate R. P., in cauſſis fidei nihil poſſe proferre. Ineluctabile nobis exhibet argumentum formula, qua Meletiani ſchiſmatici reſcipiſcentes ad Catholicam ſuſcipiebantur unitatem. Ii, excuſo Alexandrini Epiſcopi, cui parebant, jugo, proprias Eccleſias Acephalorum inſtar regebant, & in antiquis Metropolitanorum turbandis juribus errabant. Compreſſi deinde per Nicaenum Concilium, quod antiqua 325
Alexandrinae Sedis jura confirmavit, hac formula reſcipiſcentes ſuſcipiebantur, quam in Arſenio, antea Meletiano, deinde Catholico, videre licet apud Athanaſium in Apolog. 326
2., ubi Arſenii converſionem, & Schiſmatis ejurationem ex ejus epiſtola ſibi inſcripta, ita prodit. *Athanaſio Beatiſſimo Pa-*

pae Arſenius Epiſcopus Civitatis Hypſelitarum , cui aliquando
praeſuit Meletius , unà cum Presbyteris , & Diaconis , in Domino.
Et nos quoque diligentes pacem , & unanimitatem cum Eccleſia
Catholica , cui tu per Dei gratiam praefectus es ; volenteſque
Eccleſiaſtico Canoni pro veteri inſtituto ſubjici , ſcribimus tibi ,
Pape dilecte , promittimuſque in Nomine Domini, nos deinceps non
communicaturos cum Schiſmaticis , aut cum iis , quibus nondum
pax eſt cum Eccleſia Catholica , ſive Epiſcopi ſint , ſive Presby-
teri , ſive Diaconi , neque cum illis in Concilio coituros , neque
literas Pacificas ad illos daturos , neque invicem ab illis ac-
cepturos , neque citra tuam ſententiam , utpote Metropolitani Epi-
ſcopi , ullum de Epiſcopis , aut alio dogmate communi , & Eccle-
ſiaſtico decretum edituros , ſed ceſſuros Canonibus ante ſuſceptis .
Erat ergo Metropoliticum jus *ex Eccleſiaſtico Canone* , & *pro*
veteri inſtituto , ut *decretum nec ſuſciperetur* , *nec ederetur* ullum
pro dogmate , *aut communi Eccleſiaſtico* negotio citra ſenten-
tiam Metropolitani . Quis hîc non videat & Canonis VI.
Nicaeni ſenſum , & germanam ejuſdem explanationem ,
quippe quem ex Meletiano Schiſmate occaſionem habuiſſe,
nulli non ſit exploratum ? Quis non planè perſpiciat & Ec-
cleſiaſticum Canonem vetuſque inſtitutum , quod tot mo-
numentis , atque exemplis commonſtravimus ; & quem tue-
mur Encyclicarum ſcopum , quo cum fidei animorumque
concordia , tum modus & ordinata in publicatione , & ſub-
ſcriptionibus diſpoſitio intendebatur ? Hac equidem de cauſ-
645 ſa S. Maximus Martyr in diſputatione cum Pyrrho Patriar-
cha Conſtantinopolitano , & Monothelita , qui ad confirman-
dam Ecthesim in Synodo ſub ipſo editam , Encyclicam vul-
gaverat , atque adeo Monothelitica dogmata anathematizari
amplius non poſſe colligebat , quae in Synodo , & in Ecthesi,
atque in Encyclica à plurimis fuiſſent ſubſcripta ; Maximus,
inquam , modum ſtatuit , unde Encyclica irretractabile ma-
giſterium ex Eccleſiarum conſenſu evadat . Aït enim . *Subit*
me admiratio , quomodo Synodum voces , quae non eſt habita , ut
leges , & Canones Synodici , & jura Eccleſiaſtica jubent . Nec enim
epiſtola Encyclica ex conſenſu Patriarcharum edita eſt , neque lo-
cus , neque dies conveniendi decretus : non fuit aliquis actor , aut
accuſator : Qui convenerunt , epiſtolas Commendatitias non habue-
runt nec Epiſcopi à Metropolitanis , nec Metropolitani à Patriar-

chis

chis: non epiſtolae, neque Vicarii ab aliis Patriarchis miſſi ſunt. Quis igitur particeps rationis Synodum ſuſtineat appellare, quae ſcandalis, ac diſcordia cunctum Orbem implevit. Legatur tota diſputatio, quae E. in Tom. VIII. Annal. Baronii. Liquet interim, quanta cautione in condendis Encyclicis Eccleſia incederet, quatenus qui ſubſcribebant, Primatibus cenſerentur conjuncti, atque adeo in mutua unione, ordine, doctrina, & profeſſione Capitis, atque Epiſcoporum, ſubſcriptio Eccleſiarum conſenſum, & irretractabile magiſterium repraeſentaret.

XIII. Eximius itaque laudatus ordo non prioribus tantum ſeculis Eccleſiaſtico Canone, & veteri inſtituto roboratus, exempliſque firmatus obtinuit, ſed ſeculis etiam ſequentibus, quibus retentae uſque ad Nicaenam II. Synodum 787
conſuetudinis illuſtre monumentum habemus in Nacholio Epiſcopo, ob poſthabitam conſuetudinem non leviter incuſato. Ediderat Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus 715
Encyclicam pro cultu Imaginum, adverſus quas tunc Manichaeorum inſtinctu bellum gerebatur. Nacholienſis Antiſtes, Iconomachis adſociatus, à S. Germano per Encyclicam & ipſe fuit commonitus. Sed quam jure canonum Metropolitano ſuo inſinuare debebat, ut cum ipſo reliquiſque aſſenſum praeberet ſuum, vir improbus abſcondit. Actio hinc inſtituitur in eadem Synodo VII., quae fuit II, & Taraſius advertit. *Has literas ſuſcipiens Nacholienſis, abſcondit, & non dedit eas Metropolitano ſuo.* Atque iccirco prolata eſt altera S. Germani epiſtola, in qua refractarium Nacholienſem objurgat, quod, poſthabitis Metropoliticis juribus, Encyclicam epiſtolam abſconderit. Addit autem ibi Germanus. *Hoc autem ſciat, quod donec epiſtolam noſtram tribuerit Deo amabiliſſimo Metropolitano ſuo* (erat is Synadenſis Metropolita) *ex authoritate Sanctae, & Conſubſtantialis Trinitatis non habeat poteſtatem qualemcumque, contingere Sacerdotale officium.* Atque hinc Concilii Patres in ſuis interlocutionibus juſtam legitimamque Nacholienſis depoſitionem appellant, quod jura haec Metropolitica peſſum feciſſet.

XIV. Metropolitae autem erat, Encyclicas haſce, & autographa ſcripta in Eccleſiae ſuae Archivis religioſè diligenterque cuſtodire. Id ſupra vidimus obſervatum à Cy-

248 priano, qui Saturo Diacono, curſori Dominico juſſit, ut
Encyclicas, emiſſaſque ab Epiſcopis mutuas ſubſcriptiones
cuſtodiret, & cupientibus exſcribendi copiam faceret. Eo-
365 dem modo Encylica Concilii Lampſaceni, per Euſtathium
Sebaſtenum Romam allata, & à 500. Epiſcopis ſubſcripta,
368 lecta quoque eſt in Tyanenſi Synodo, & quemadmodum Ro-
370 mae, ita & Tyani fuit adſervata. Quod teſtatur S. Baſilius
epiſt. 82. Patrophilo Epiſcopo data, ubi Euſtathii Sebaſte-
ni apoſtaſiam objurgans, eundem unà cum ſociis convincit
criminis ex ſubſcripta Encyclica, quam in Romano, ac Tya-
nenſi archivo reſervari aſſeverat. *Non cogitant quod Romae
ſcriptum ipſorum, quo Nicaenam fidem confeſſi ſunt, reconditum
habetur: nec quod è Roma acceptum libellum Tyanenſi Synodo
obtulerunt; quin & apud nos eandem hanc fidem habens, repo-
ſitus eſt*. In Caeſareenſi nempe Eccleſia, quae, utpote Ec-
cleſiaſtico Ponticae Dioeceſis Exarchatu praefulgens, cui
Tyanenſis Metropolitica Urbs ſubdebatur, illius exemplar
cuſtodiendum acceperat. Paſſim occurrunt priſci hujus mo-
ris veſtigia, de quo in ſeqq. Differt. ſermo redibit. Quo-
niam ergo tanta fuit Primitivae Eccleſiae cautio, ut Ency-
clicas Metropolitae ſuſciperent, ſubjectiſque intimarent,
unde ex unanimi omnium conſenſu, & ſubſcriptione ſu-
premum Eccleſiae judicium eminebat; mirum hinc non vi-
debitur, ſi, quum eadem Encyclica ſcripta in ſpectatiſſi-
marum Eccleſiarum archivis religioſa cuſtodia ſervarentur,
laudata in controverſiis, atque adducta indubiam facerent
fidem: quod infra ſingulari diſputatione complectemur.

§. XII.

DE RECITATIONE ENCYCLICARUM.

Synopſis.

I. *Apoſtolicò exemplo inductum, ut ſuſceptae Encyclicae populis recitarentur.* II. *Inde etiam manavit, ut in Eccleſiis primùm, haereſi aliqua infectis, recitarentur, dein apud Metropolitam, qui ſubſcribere tenebatur.* III. *Ubi Curſor repulſam pateretur, ſuo jure poterat recitare.* IV. *Statis anni diebus relegi conſuevêre.* V. *Quam arcte ad Encyclicarum publicam lectionem obſtringerentur, in S. Leonis Dogmatica expenditur.* VI. *Eorumdem erat Encyclicas criterio expendere.* VII. *Acta recitationis Encyclicarum proponuntur in Unione Cyrillum inter, & Orientales Schiſmaticos ſub Johanne.* VIII. *Refractarii poſt recitationem, aut haereſim ejurabant, aut Canonicis poenis ſubjiciebantur.* IX. *Recitationis, & Haereticorum palinodiae documenta proferuntur ex cauſſa Neſtoriana.* X. *Siquid in factis errarent Encyclicae, denunciabat Metropolitanus.* XI. *Curſor recitatae Encyclicae exemplar ſubſcriptum apud Eccleſias relinquebat.* XII. *Qui contrarias Encyclicas acciperet, Tractatoria reſpondere conſuevit.*

I. QUum Curſor Dominicus, Diaconica munitus, ad Metropoliticam Sedem perveniſſet, Metropolita epiſtolam illicò ſuſcipiebat, quae in Presbyterio primùm lecta, & communi ejuſdem voto probata, Populis tandem in Eccleſia recitabatur. Conſuetudinis hujus primordia ſplendent in ſaepius laudata Apoſtolica Hieroſolymitanae Synodi Encyclica, quae primùm delata eſt ad Antiochenam Eccleſiam, omnium tunc ſpectatiſſimam, Syriaeque Metropolim. De eadem Actor. 15. v. 3. *Illi ergo* (curſores videlicet Dominici) *dimiſſi, deſcenderunt Antiochiam, & congregata multitudine, tradiderunt epiſtolam, quam cum legiſſent, gaviſi ſunt ſuper conſolatione.* Eccleſiae ergo Antiochenae tradiderunt, ut cuſtodiretur: Curſores autem, ejuſdem acceptis 47

exem-

exemplaribus, civitates alias peragrabant, illam promulgantes, v. 40. *Paulus verò, electo Sila, profectus eſt ..... Perambulabat autem Syriam, & Ciliciam, confirmans Eccleſias: praecipiens cuſtodire praecepta Apoſtolorum, & Seniorum.* Recitatam ergo fuiſſe perſpicuum eſt.

II. Quod ſi regio quaepiam, haeretica labe infecta, per Encyclicam eſſet expurganda, in illam primùm recitanda dirigebatur epiſtola; ita tamen, ut ad viciniorem Metropoliticam Eccleſiam mitteretur, quae tenebatur, mutuo reſcripto ſuam in profitendo definito dogmate unanimitatem teſtari. Quod apoſtolica quoque inſtitutio edocuit. Quum Simoniani Colloſſenſes, atque Laodicenſes pravis doctrinis infectos, à recepta fide avertiſſent, Paulus confeſtim Tychico Diacono in Dominicum Curſorem electo, epiſtolam in eiſdem Eccleſiis recitandam dedit. Ac proponit quidem in illa, primò ſe Chriſti eſſe Miniſtrum, & cum Colloſſenſium, tum Laodicenorum curam ſe gerere. Inſtruit ſubinde illos de ſuſcipiendis dogmatis, atque erroribus rejiciendis, concluditque tandem cap. ult. v. 16. *Et cum lecta fuerit apud vos haec, facite ut in Laodicenſium Eccleſia legatur, & eam, quae Laodicenſium eſt, vos legatis.* Tenebantur enim Laodicenſes receptae hujus per Tychicum epiſtolae, una cum teſtificatione, quod Colloſſenſis Eccleſia dogmata in ea definita recepiſſet, exemplar apud ſe retinere, ac ſimul etiam reſcribere, ſe in eadem fide perſeverare; quatenus mutua hac conteſſeratione ejuſdem in fide, & doctrina ſententiae cenſerentur qui fuerant per Simonianos circumventi.

III. Si verò Diaconus, Dominicus Curſor, Diaconica munitus, & cum Encyclica miſſus, apud Metropolitam quempiam repulſam pateretur, uſque adeo, ut ſibi recitandae epiſtolae locus minimè tribueretur, poterat ille ſuo jure Eccleſiis eandem legere, populiſque denunciare. Quum proin-
248 de ſchiſma ab aliquibus contra S. Cyprianum conflatum eſſet, iidemque Encyclicam ad Cornelium per Feliciſſimum direxiſſent, Pontifex quidem à Cypriano epiſt. 55. commonitus de rebelli auſu, recitationi obſtitit: ſed illi *Comminantes, ſi literas, quas attulerant, non accepiſſet, publicè eas recitarent.* Id, ut alibi annotabimus, à Novatianis factum eſt. Quod equidem tametſi, ceù à Schiſmaticis factum, violentiae potiùs ſit

index, cum nihilominus addubitaverit Cornelius, an id prorſus eſſet impediendum, oſtendit in Curſoribus Dominicis hanc fuiſſe ex receptis moribus poteſtatem. Enimvero niſi perſecutionum temporibus, quibus Eccleſia propriae poteſtatis exercitium liberum non habebat, id Curſoribus Eccleſiarum fuiſſet conceſſum, quotquot oves aliquo errorum contagio infectum habebant Paſtorem, prorſus fuiſſent inſanabiles: quippe eorumdem Paſtorum artibus ſalubris porrecta medicina pro libito poterat impediri. Certè Romanum Epiſcopum, ſummum viſibilis Eccleſiae Hierarcham, epiſtolas omnes Encyclicas ad ſe miſſas, Presbyterio primùm, deinde Plebi recitare conſueviſſe, indubia fide teſtatur in eadem ad Cornelium epiſtola Cyprianus. *Et quamquam ſciam, Frater chariſſime, pro mutua dilectione, quam debemus, & exhibemus invicem nobis, florentiſſimo illic Clero, tecum praeſidenti, & ſanctiſſimae, atque ampliſſimae Plebi legere te ſemper literas noſtras.* Praeſidenti itaque Clero, ſeu Presbyterio, deinde Eccleſiae collectae Encyclicas recitare tenebatur Pontifex, ut eae per Preſbyterium una cum ipſo examinatae, & probatae, velut totidem fidei profeſſiones, ſive etiam expoſitiones, Fidelibus proponerentur.

IV. Eccleſiaſticae iſtiuſmodi ſervatae conſuetudinis mentio occurrit in II., & praecedenti Seculo apud Dionyſium 170
Corinthiorum Epiſcopum, qui ſimili ſuſcepta à Romano Pontifice Encyclicâ, reſcribit, apud Euſebium l. 4. c. 23., 315
& docet quemadmodum eam receperit, & publicè recitarit. *Hodie ſacrum diem Dominicum tranſegimus. In quo epiſtolam veſtram legimus, quam quidem perpetuò deinde legentes, perinde ac priorem illam nobis à Clemente ſcriptam epiſtolam, optimis praeceptis, ac documentis habebimus.* Ex quo diſcimus, priorem Clementis Encyclicam diligenter ad annum uſque 180. fuiſſe cuſtoditam. Quum autem haec Soteris Pontificis epiſtola ejuſdem eſſet conditionis, ſe illam in Eccleſia recitaſſe, ſcribit Dionyſius, ac cum altera Clementis ſpondet ſervandam, ut in poſterum utraque legentibus prodeſſe queat. Utramque verò ampliſſimis Corinthiacae tunc ſpectatiſſimae Metropoliticae Sedis provinciis, ſubjectiſque Eccleſiis fuiſſe intimatam, ambigendum non eſt. Sanè Cyprianus epiſt. 42. infra laudanda, teſtatur, Encyclicas cum de Cornelii electione,

tum

tum de ſchiſmate Novatiani,ad ſe per diverſos Dominicos Curſores allatas, in *Presbyterorum* conventu recitatas fuiſſe, & in *Altari poſitas*.

V. Enimvero obſtrictos fuiſſe Primates, Encyclicae promovere recitationem, nec ullo modo intercedere, docent acta
451 Chalcedonenſia Actione I., ubi judiciale examen inſtitutum eſt adverſus Dioſcorum, qui ſubdola arte impediverat, ne Dogmatica S. Leonis ad Flavianum, ab Hilaro Diacono cur-
449 ſore delata, in pleno coetu Epheſini Conciliabuli recitaretur. Examen ibid. legitur pag. 87. Tom. II. Concil. edit. Hard. atque in eo per multiplices teſtes probatum eſt, quod *ſepties juravit coram omnibus facere eam recitari, & non eſt lecta*. Quo de jurejurando teſtatus eſt Theodorus Claudiopolitanus Epiſcopus. *Quia juravit omnes ſcimus: & quia non eſt lecta, confitemur*. Hinc etiam Actione III., ubi iterum in eandem Dioſcori perſonam examen inſtitutum eſt, iſtud inter alia graviſſimorum criminum capita recenſetur: proindeque Paſchaſinus, Apoſtolicae Sedis Legatus, à Patribus, ut pro ſententia damnationis ferenda primam haberet interlocutionem, rogatus inquit, ibi pag. 346. *Super hoc verò, neque epiſtolam legi permiſit Beatiſſimi Papae Leonis, ſcriptam ad S. Memoriae Flavianum, & hoc frequens rogatus à Portitoribus recitari eam, & cum juramento fieri lectionem promittens: qua non lecta, ſcandalum, & laeſionem S. Dei Eccleſiae per totum Orbem terrae pertulerunt*. Portitores, ſeu Dominici Curſores tenebantur quidem recitationem efflagitare. Sed ſi Metropolitanus cauſſaretur, ante recitationem ſe aliqua in Eccleſia expedire velle, id à Curſoribus concedebatur, dummodo idem Metropolitanus jurejurando affirmaret, ſe ad recitationem ſubinde deventurum. Icciroo in ſententia damnationis Dioſcori, quam unanimis Chalcedon. Synodus tulit, ibid. pag. 379. haec leguntur praemiſſa. *Primum quidem, quia epiſtolam à Sanctiſſimo Archiepiſcopo ſenioris Romae Leone directam...... recitari prohibuit reverentiſſimis Epiſcopis Epheſi congregatis, & hoc poſt promiſſiones ſuas, & juramenta plurima; ſicut nos praeſentes novimus*. Gravis equidem fuit haec depoſitionis, damnationiſque poena, ſed jure meritoque ei illata, cui nefas haudquaquam fuerat, Encyclicae recitationem inhibere. Cum enim id omne epiſtolarum genus pacem, concordiam, fi-

deique

deique unitatem intendat, reus graviſſimi criminis jure declarandus, qui, praepedita earumdem evulgatione, reſecat ea omnia, atque ſolvit. Idem crimen Liberio Pontifici à Con- 352
ſtantio fuit objectum, cui ille reſpondens (Conſtantio inquam, non Lucifero, ut feſtinanti calamo ſcripſit Du-Pin Novae Biblioth. p. 75.) aït: *Multi Eccleſiae membra lacerare feſtinant, qui conſinxerunt me literas ſuppreſſiſſe, ne crimina ejus* (Athanaſii) *quem dicebant condemnaſſe, ad omnes paterent. At ſatis omnibus clarum eſt, nec quiſquam negat, nos Orientalium literas intimaſſe, legiſſe Eccleſiae, legiſſe Concilio, atque ad haec etiam Orientalibus reſpondiſſe.*

VI. Metropolitae deinde erat, quum Encyclicam epiſtolam ſuſcepiſſet, ſtylum, dicta, ſententias, alioſque characteres, priuſquam illam recitaret, ſedulo accuratèque trutinare. Quapropter Julius Pontifex, quum poſt Synodum Ty- 337
riam Euſebianorum epiſtolas recepiſſet, ab Encyclicarum ſtylo, genioque quammaximè diſcrepantes, cenſuit eſſe ſupprimendas. Teſtatur id in epiſtola ad eoſdem data, quae exſtat in Apolog. Athanaſij ad Conſtant. pag. 740. *Ego certè cum literas veſtras evolverem, poſt varias ultro citroque cogitationes, eas ſupprimendas putavi, ea ſpe, quod crederem, ſaltem aliquos ex veſtris adventuros, nec fore opus iſtiuſmodi epiſtolis, ne ſi illae in publicum promerentur, multos hîc dolore afficerent. Ceterùm ubi nullus veſtrum ſupervenerat, neceſſum fuit, ut eas proferrem.* En quanta Metropolitanos, atque Primates publicandarum Encyclicarum urgeret neceſſitas! Nomine enim Concilii Tyrii, 335
& omnium aſſeclarum eas Pontifici dederant Euſebiani. Sed inſtitutum nihilominus examen, & quae in illis indigna deprehenſa ſint, pergit reſerare Julius. *Credite mihi, omnes admiratione pleni vix induci poterant, ut crederent, iſtiuſmodi literas à vobis profectas eſſe, in quibus rixandi potius, quàm charitatis affectus eminebat. Quod ſi ambitione eloquentiae oſtendendae, conſcriptae ſunt ab eo, qui dictavit, id certè ſtudium ad alios ſpectat. In rebus enim Eccleſiaſticis non ſpecimen eloquentiae, ſed Canones Apoſtolici requiruntur, operaque dari ſolet, nequis ex parvis in Eccleſia ſcandalizetur.* Eundem morem, diſciplinamque eandem ſecutus eſt Cyrillus Alexandrinus, qui dum unio cum Schiſmaticis Orientalibus per Paulum Emeſſenum 433
tractabatur, ſimiles à Johanne, & Synodo Antiochena dire-

ctas epiſtolas omninò rejecit, nec audire quicpiam paſſus eſt, niſi Johannes debita, ac peculiari Encyclicarum forma reſcriberet: quod in epiſtolis ad Acacium Melitinenſem Epiſcopum teſtatum reliquit ipſe Cyrillus, & exſtant in III. parte Conc. Epheſini.

VII. Verum anteaquam ad ulteriora gradum faciamus, animum intendamus oportet ad ea, quae in Encyclicarum recitatione praemitti conſueverant, & quorum uberem exhibent cenſum acta promulgationis Encyclicae de Pace, quae primùm à Synodo Antiochena ſub Johanne, Alexandriae deinde terminata eſt, atque completa. Paulus Emeſſenus primum pro ineunda pace apud Cyrillum legatione functus eſt, re tamen infecta, reverſus. Quare in Synòdo Antiochena iterum diſcuſſa controverſiâ, alteram à Johanne Antiocheno Patriarcha, nomine omnium exaratam, & ab omnibus quotquot ex Orientalibus Schiſmati adhaeſerant, ſubſcriptam epiſtolam obtulit in ſecunda legatione Cyrillo, qui quum eam adprobaſſet, eodem Paulo Emeſſeno praeſente, & Johannis epiſtolam, Orientalium omnium nomine conſcriptam proferente, coetum indixit, cui adſuere Tractus Alexandrini Epiſcopi, & tota Plebis frequentia. Haec ex Tom. I. Concil. p. 1689.

434 Encyclicae evulgationi exordium in Synodo fecit Cyrillus, idibus Maii hiſce verbis. *Eos qui pietate firmi ſunt, & ſacrorum dogmatum certiſſimam, atque ornatam habent fidem, terram uberem nominat Dominus, dicens: Et eritis vos terra pinguis, dicit Dominus Omnipotens, & benedicent vos omnes gentes. Terram verò uberem eſſe dicit foecundiſſimam, & fructiferam, & fructuum domeſticorum matrem, atque nutricem. Hujuſmodi autem eſt omnis Deo amabilis, & ſancta anima, cultorem veluti quendam & ſeminatorem totius boni omnium ſortita Chriſtum, qui etiam ſacrorum nobis dogmatum corruſcat ſcientiâ. Sed omnium inimicus, hoc eſt, Satanas, excitat per tempora ſuperſeminantes tritico maligna zizania. Verumtamen licet floreant, reciduntur: eritque ſic ager puriſſimus. Expulſus igitur eſt ab omni Eccleſia Neſtorius impius, amara Diaboli vera zizania: & concordant de cetero per omnem conſiſtentes Orbem terrarum Dei cultores Epiſcopi, rectam, & unam confitentes fidem. Copulati ſiquidem ſunt noſtris Eccleſiis, magis autem totius Orbis terrarum, etiam apud Orientem conſtitu-*

tae.

Digitized by Google

tae. Confeſſi etenim ſunt Deo amantiſſimi Epiſcopi ibi conſtituti rectam & ſine profanatione fidem; Quae autem ſcripſit ad me Deo amantiſſimus, & reverentiſſimus Epiſcopus Antiochiae Johannes, quaeve ego ad eum ſcripſerim, Deo favente, audietis.

Iſtiuſmodi exordium conſecuta eſt recitatio epiſtolae Johannis Antiocheni, in qua haec tria aperit. I. ſuſcipiendam velut Oecumenicam, Epheſinam Synodum. II. Fidei formulam interſerit, qua omnes profitebantur, cum Virginem Dei Genitricem eſſe dicendam, tum idiomatum communicationem, quae ex admirabili aſſerta illa hypoſtatica unione conſequebatur. III. tunc primùm anathema in Neſtorium ab Orientalibus omnibus prolatum eſt, ſuſcipientibus, velut legitimam, Maximiniani in locum dejecti Neſtorii in Sede Conſtantinopolitana electionem: teſtantur inſuper, ſe cum univerſis catholicis Eccleſiis communicare. Epiſtolam illam Orientalium excepit recitatio Encyclicae Unitivae, ſeu de Pace S. Cyrilli. Quibus perlectis, Paulus Emeſſenus legatus pro coronide dixit. *Benedictus ſit Deus, quod ego nunc primùm ad vos loquens, per pacis appellationem pietatem veſtram ſalutare dignus habitus ſum: qui pacem partim dederim, & pacem viciſſim acceperim, pacem omnium bonorum cauſſam, pacem amabilem, & Deo charam, quam Orbi terrarum per Spiritum Sanctum largitus eſt Dominus Jeſus Chriſtus. Ipſi gloria, una & Patri, cum Sancto Spiritu, in ſecula. Amen.* More conſueto eaedem epiſtolae directae ſunt ad Coeleſtinum, ejuſque ſucceſſorem Sixtum, qui eiſdem, ut ibid. legitur, ſuum addidere calculum, & adprobationem. Quae omnia prolixè explanabuntur in Diſſertatione de Adlocutione Patrum Chalcedonenſium, in qua iſtiuſmodi Encyclicae cum reliquis, à tempore Nicaenae Synodi uſque ad Chalcedonenſem publicatis, indubiae velut fidei formulae, commendantur.

VIII. Quotquot autem haereſiarchae, aut haeretici per recitatam Encyclicam impetebantur, iidem aut errorem deponere, aut ſubjici poenis in Encyclica latis coacti erant. Un-
de quum in Synodo Mediolanenſi Synodica & Encyclica 348
Sardicenſis legeretur, qua Valens, & Urſacius declarabantur haeretici, nullum illis effugium patuit, niſi poeni-
tentiae libellum offerre, teſte Socrate l. 2. c. 16., qui, lauda- 440
ta Sardicenſi Encyclica, ſubjungit: *His compertis, Urſacius,*

& Valens, qui prius Arianorum dogmati mordicùs adhaeſerant, damnato priori ſtudio, Romam ſe conferunt. Et libellum poenitentiae Julio Epiſcopo porrigentes, vocem, ac fidem Conſubſtantialis amplexi ſunt; ſcriptiſque ad Athanaſium literis, affirmarunt ſe cum illo communionem in poſterum ſervaturos. In hunc igitur modum Urſacius, & Valens, proſpero rerum Athanaſii ſucceſſu proſtrati devictique, tunc temporis in fidem Conſubſtantialis conſenſere. Mediolani quidem id primum ſe feciſſe, teſtantur ipſi in
354 libello, apud Hilarium in fragmentis pag. 1297. exſtante, cujus epigraphen hac formulâ expreſſa eſt. *Exemplum epiſtolae, quam poſt renunciationem Orientalium, Athanaſium reum non eſſe, in Urbe Roma holographa manu Valens perſcripſit, & Urſacius ſubſcipſit.* Ex quibus patet cautio, adhibita in reorum contumacia revincenda. Videantur quae antecedenter Hilarius ipſe annotaverat.

IX. Hanc Haereſiarcharum poſt Encyclicas palinodiam nobile teſtatur monumentum in cauſſa Neſtoriana. Quum poſt priorem Encyclicam, Neſtorii ſcripta à Cyrillo examini iterum ſubjecta, atque ad Coeleſtinum per Poſſidonium Diaconum fuiſſent tranſmiſſa, Pontifex una cum Occidentis Epiſcopis, reſcripſit, ut Neſtorius aut errata abjuraret ſua, aut depoſitionis ſententiam experiretur. Cyrillus, hiſce ac-
430 ceptis epiſtolis, iterum coëgit Synodum, & cum Coeleſtini, tum reliquorum Epiſcoporum denunciationes per quatuor Epiſcopos Conſtantinopolim miſſos, Neſtorio intimavit. De
448 praedictis utriuſque Encyclicis loquitur Baſilius Seleucienſis Metropolita in Iſauria, cujus Synodica exſtat in Tomo Encyclico, poſt Synodum Chalcedonenſem edito; atque inter alia ſic. *Beatus Cyrillus, dum apertè contra Neſtorii veſaniam dimicaret, & Beato Coeleſtino, Eccleſiae Romanorum Paſtori, particeps eſſet .... pro veritatis defenſione maximus propugnator emicuit, quando uno fonte, & iiſdem ſyllabis à ſe conſcriptis, impietatem Neſtorii perculit.* Epiſcopi die 7. Decembris ann. 430. epiſtolas attulerunt, quarum recitationem, reſponſionemque per ſex dies tergiverſando, more Haereſiarchis ſollenni diſtulit Neſtorius. Dies autem 7. Decembris anni 430., quo erat litera Dominicalis E, dies erat Dominicus; unde eo die oblationem, ac recitationem Encyclicarum legimus factam. Ex quo etiam roboratur propoſita à nobis in ſuperiori-

Digitized by Google

bus ex Dionyſio Corinthiaco conjectura, iſtiuſmodi ſcilicet epiſtolarum recitationes apud Populum diebus feſtivis fuiſſe inſtitutas. Coäctus ergò Neſtorius reſpondere, Legatis in Eccleſia conſidentibus, ſermonem antea ad Populum habere voluit. De quo Marius Mercator, adducens Neſtorii ſermones, ſcribit. *Sermo duodecimus in Eccleſia habitus, in qua literas Coeleſtini Epiſcopi, & Cyrilli Alexandrini denunciationes accepit, ſeptimo Idus Decembris, Conſulatu Theodoſii XIII., & Valentiniani III. Auguſtorum, poſt ſextum diem, quam eaſdem literas ſumſit.* Pars hujus ſermonis ex alterius translatione legitur in Synodico Caſſinenſi, ubi antiquus Scholiographus cap. 3. pag. 17. annotavit. *Sermo Neſtorii Conſtantinopolitani Epiſcopi, quem dixit, dum tardius intraſſet ad menſas, eo quod neceſſitates popoſciſſent in ſecretario.* Secretarium erat Aula, in qua Epiſcopi cum Presbyterio Eccleſiaſtica negotia diſcuſſuri, ſolebant convenire. Scholion quidem non annotat (ex ignorantia ne, an data opera, non diſputo; cenſetur enim illud eſſe Irenaei, atque ex Tragoediae libro, quem adverſus Epheſinum Concilium edidit) non annotat, inquam, diuturnioris morae hujus legitimam cauſſam. Quae ſanè non alia eſſe potuit, niſi quae fuerat à quatuor legatis Epiſcopis allata, qui, quum ante ſex dies Coeleſtini, & Cyrilli Encyclicas Haereſiarchae intimaſſent, & quotidie, ut, ſemotis tergiverſationibus, ſibi quicpiam reponeretur, inſtaſſent, poſt altercationes tandem die ſexto improbum, ac verſipellem hominem Encyclicae reſpondere coëgerunt: quod ille ne per epiſtolam quidem, ſed per concionem fecit. 428

Sed quoniam harum Encyclicarum recitatio argumentum, quod regerimus, mirum in modum illuſtrat, accuratiore indagine rem omnem excuſiſſe juvabit. In Synodo itaque Epheſina recitatae ſunt duae illae epiſtolae Coeleſtini, & Cyrilli, quae per praedictos Legatos fuerant ad Neſtorium delatae. Noverat Synodus quale obſequium Encyclicis deberetur: Proindeque examen Actione I. inſtituit, inquirens, quomodo & Neſtorio illae ſint traditae, & quid Haereſiarcha reſpondiſſet. Actio data eſt Petro Alexandrino, Primicerio Notariorum, cui ob id concredita erat Encyclicarum cuſtodia, & apud quem delatio illa, ſeu intimatio fuerat pro ratione muneris annotata. Is autem in plena Synodo 431

dixit, ibid. pag. 1505. . *Non ea ſolum, quae Coeleſtinus ...... ad Neſtorium ſcripſerat, miſſa, & reddita ſunt eidem, verum etiam quae ..... Epiſcopus Cyrillus, & univerſa Aegypti Synodus per Theopemptum, & Daniëlem, & Potamonem, & Comarium .... Epiſcopos deſtinaverant*. Hi, jubente Synodo, rem in hunc modum atteſtati ſunt. *Die Dominico quum Synaxis ageretur, ad Epiſcopale Palatium aſcendimus, ibidemque toto praeſente Clero, cunctiſque ferè Illuſtribus adſtantibus, literas, de quibus hic ſermo eſt, Neſtorio tradidimus*. Synodus ad haec, probe conſcia Epiſcopos, quibus Encyclicae dirigebantur, reſpondere omnino debuiſſe, interrogavit: *Fuitne ergo literis ab eo ſatisfactum?* Repoſuit Daniël Epiſcopus. *Tunc nobis reſpondit, ut poſtero die veniremus, & privatim illum conveniremus. Porrò nobis redeuntibus aditum interclusit, & reſponſum nobis dare non eſt dignatus*. Daniëlis interlocutionem excepit Theopemptus. *Literis, de quibus proximè dictum eſt, acceptis, conſtituit nobis, ſequenti die ſermonem cum eo haberemus. Abivimus ergo: ac poſtero die reverſos non admiſit, neque etiam ſatisfecit literis; ſed publicè pro concione eadem, quae ante, & his quoque deteriora dogmata propoſuit*. Hactenus acta de recitatione Encyclicarum Coeleſtini, atque Cyrilli.

Ex his I. diſcimus, Encyclicam die Dominico, & coram Clero tradi, ac legi conſueviſſe. II. Neſtorium tergiverſando per ſex dies reſponſionem protraxiſſe. III. culpae à Patribus Epheſinis eidem adſcriptum, quod literis ſatisfacere detrectaſſet. IV. conſtat Neſtorium in ea concione impietati modum aliquem adhibere voluiſſe; ſiquidem in illius fragmento, quod exſtat, ſubdolè eum docuiſſe legimus, Virginem dicendam eſſe Deiparam, & Chriſtiparam, quae utraque appellatio quo ſit accipienda ſenſu, ibidem ediſſerit. Partem hanc ſermonis una cum epiſtola Neſtorius ad Johannem Antiochenum direxit, qui Rufo Theſſalonicenſi ſcribens, credidit Neſtorium reſipuiſſe. Verumtamen haec vaferrimum hominem ſubdola arte protrudiſſe, vel ex ipſa ejus contumacia planum eſt, qua in aliis ſermonibus, apud Marium Mercatorem exſtantibus, perfidiam apertè propugnat.
428 Interim, quod ad inſtitutum noſtrum attinet, ſat fuerit hinc oſtendiſſe, Epiſcopum quemlibet, Encyclicam ſuſcipientem, Pontificia, & aliorum Epiſcoporum ſubſcriptione con-

Digitized by Google

ſenſuque roboratam, omnino reſpondere debuiſſe. Neſtorio enim meritò Epheſini Patres vitio vertunt; quod Encyclicae reſpondere noluerit; quippe noſſent ſubdolam Haereſiarchae artem, hanc modo, modo illam dogmatis expoſitionem proferentis, ut fucum veritati faceret. Quod Haereticis ſollenne eſſe, advertit Baſilius M. epiſt. 73. ſuis Monachis 370
data.

X. Siquem autem in Encyclicarum recitatione facti errorem Metropolitanus adverteret, mittenti denunciare tenebatur. Cujus rei nobile monumentum exhibet idem Baſilius M. epiſt. 52. Cum enim apud ſe haberet librum Marcelli Ancyrani, in quo haereticalis error certò luculenterque dignoſcebatur, id Athanaſio denuntians, ſpondet ſe Dominicis Curſoribus, quos in Orientem adventuros praeſtolabatur, oſtenſurum librum, ut qui in facto ignoranter decepti fuerant, Marcelli agnoſcentes errorem, illius relinquerent defenſionem. Sic enim ille. *Quoniam ad hunc uſquè diem in omnibus, quas ſcribunt, literis exſecrabilem quidem Arium ſurſum, ac deorſum verſantes, anathematizare, atque ab Eccleſiis eliminare non ceſſant: Marcellum verò, qui ex diametro reſpondentem Ario impietatem attulit ..... & hujus experimentum, & demonſtrationem reconditum apud me iniquae illius ſyngraphae libri continent. Attamen iſtum nequaquam accuſare viſi ſunt ...... Igitur & illius decenter fieri mentionem, praeſentia negotia expoſcunt. Itaque ne occaſionem habeant, qui occaſionem quaerunt ex eo, quod Sanctitati tuae conjunguntur qui fide ſani ſunt, manifeſtandi ſunt omnibus qui ad veram fidem claudicant: & ut poſthac agnoſcamus conſentientes, & non perinde, atque in nocturna pugna inter amicos, & inimicos ſine diſcrimine verſemur.*

XI. Recitatione peracta, Diaconus, Dominicus Curſor, Encyclicae exemplaria tradebat. Quod diſcimus ex Tomo Damaſi, Orientalibus per Sabinum directo, ubi legimus: 366
Sabinus ex authentico dedit. Ita in Collectione Holſteniana. Ille enim authenticum, ſive Archetypum retinens, apud Eccleſias, quas perluſtrabat, exemplaria à ſe ſubſcripta, ut illis adhiberetur fides, relinquebat. Hac ratione quando Proclus Tomum ad Armenios direxit, Theodoſius Diaconus, 434
Dominicus Curſor ab ipſo Patriarcha Conſtantinopolitano Proclo electus, ut Tomum in Armeniam deferret, atque in

itinere apud principaliores Eccleſias recitaret , Antiochiae il-
lum in Orientalium Synodo legi curavit , rogatuſque fuit ab
Epiſcopis , ut exemplar relinqueret . Docet id ejuſdem Con-
cilii Antiocheni Synodica ad Proclum , exſtans apud Facun-
540 dum Hermian. l. 1. c. 1. *Tomum qui ad Armenios factus eſt à
reverentiſſimo noſtro filio Diacono Theodoſio , qui dignus eſt tuis diſ-
poſitionibus miniſtrare , ob eam, quae ineſt ei ſuper aetatem, dili-
gentiam , petivimus ,* [utique ad exſcribendum , quem ille in
Synodo recitaverat, Tomum] *& cum omni delectatione ejus fe-
cimus mentionem . Faciebat autem nobis delectationem non pulchri-
tudo compoſitionis ſola , neque argumentationum multitudo contra
utramque partem adverſantium pertractata , quantum ipſa ſacro-
rum dogmatum cautela ſimul , & pietas . Pietas quidem , quia
regalem Divinarum Scripturarum in his, quae dicebantur, verbum
veritatis rectè confitens , pergebas , non ſine teſtimoniis Scriptura-
rum praeſumens aliquid ex poteſtate propria praedicare ; cautela
verò, quia cum divinis Scripturis etiam Patrum dicta ad probandum
quae dicebantur, proponebas .* Quo ex loco elucet ordo in En-
cyclicarum ſuſceptione obſervatus , ut examen primo , atque
argumenti expenſio inſtitueretur ; Diaconi deinde officium ,
& an debitis cautelis munitus incederet , diſquirebatur : ac
tandem Encyclicae exhibitio , lectio , & exemplaris poſtu-
latio ſequebantur .

XII. Si denique abs utraque contendentium parte adeſſent
Encyclicae , examini omnes ſuo cum Presbyterio Metropoli-
ta ſubjiciebat , & poſt examen Encyclicam dabat non ſimplici,
& epiſtolari methodo , ſed , ut priſca illa aetas loquebatur ,
251 per modum Tractatoris perſcriptam . Hinc quum Cornelius
ex una parte, atque ex altera Novatianus Curſores ad Africa-
nos direxiſſent , amborum quidem lectae ſunt epiſtolae ;
ſed Cyprianus doctrinali Encyclica ſubinde aperuit , quid eſ-
ſet ſentiendum, ut infra dicemus . Hinc etiam quum Sabellius
ſui dogmatis virus in Lybia effudiſſet, diviſaque in duas partes
254 Provincia , epiſtolas Dionyſio Primati Alexandrino direxiſ-
ſet , utriuſque partis epiſtolas recitari voluit , advocato Preſ-
byterio , Dionyſius , & Encyclicam *Tractatoris more* conſcrip-
315 ſit , quam ad Sixtum Pontificem dedit , teſte Euſebio l. 7.
c. 6. Ita factum , quum poſt iſtiuſmodi Encyclicam , Anten-
cyclicam , de qua ſuo loco , maleferiati homines evulgaſſent ;

§. XIII.

§. XIII.

DE LIBELLIS , NONNUNQUAM ADNEXIS ENCYCLICAE .

Synopſis .

I. *Epiſcopi , ab Apoſtolis edocti , Curſoribus Doctores Presbyteros adſociare conſueverunt .* II. *In ipſis Encyclicis Catholicae veritatis documenta congeſta .* III *Patrum teſtimonia , Encyclicis annexa , in duplici S. Leonis dogmatica expenduntur .* IV. *Facti pondus , & aeſtimium .* V. *Encyclicae Pacis S. Cyrilli annexa fuit Athanaſii ad Epictetum epiſtola .* VI. *Libellus de Unitate Cypriani Encyclicae adverſus Novatianos annexus .* VII. *Ejuſdem Libellus de Lapſis in Orbem directus eſt , & ut Encyclicus habitus .* VIII. *Hinc Encyclicae & Tractatus dictae ſunt , & Tractatoriae .* IX. *Encyclicus Turribii adverſus Priſcillianiſtas Tractatus .* X. *A S. Leone M. approbatur .* XI. *Idem mos à Novatianis contra Cornelium praeſumtus .* XII. *Encyclicus Juſtiniani Tractatus contra Origeniſtas expenditur .* XIII. *Ejus approbatione damnantur in univerſali Eccleſia Origeniſtae .*

I. PRiſci Eccleſiarum Antiſtites , Apoſtolorum in edendis Encyclicis veſtigia ſecuti , qui una cum Encyclica Hieroſolymitani Concilii Barnabam , & Paulum , Divino Spiritu plenos miſerunt , ut non ſcriptis tantùm , ſed etiam verbis dogmata , & praecepta Apoſtolica promoverent ; Encyclicas in gravioribus quibuſcumque controverſiis ad Eccleſias miſſuri , quoties ſacri deerant Tractatores , & Presbyteri Doctores , qui epiſtolam comitantes , controverſiae per eam definitae momenta urgerent , dubia diluerent , & adverſariorum plerumque fundamenta convellerent , horum velut Vicarium mittebant opuſculum , ſeu libellum (ſic enim generali nomine haſce lucubrationes prior aetas vocabat) quo dilucidius , atque prolixius controverſia omnis definiebatur . Hujus ſanè moris exemplum praebuit Apoſtolus in epiſtola ad Galatas , quae eſt inſtar dilucidationis ad Hiero-

ſolymitanae Synodi Encyclicam factae , & majoris propoſitae confirmationis,ad Judaïzantium haereſim penitus convellendam , quam in Synodo , & in Encyclica Apoſtoli , & Seniores brevius attigerant . In ea enim per modum tractatus rem omnem exponit , argumenta diluit , rationes cumulatiſſimè congerit , ut Judaïzantibus cum definitionis in Apoſtolica Encyclica propoſitae rectitudinem , tum ex propheticis locutionibus , & ſimilitudinibus legalia per Chriſtum antiquata eſſe commonſtret .

Patres itaque , & Paſtores Eccleſiarum , quoties controverſia aliqua jurgantium pertinacia celebris facta eſſet , adeo ut tenderet ad fidei , aut dogmatis alicujus identitatem , veritatemque evertendam , Encyclicam Sacrorum Bibliorum teſtimoniis , aliiſque graviſſimis momentis prolixo tractatu fulcientes , haereticorum reſeratis inſidiis , & definitionem tuebantur , & arma Eccleſiis , atque fidelibus praebebant , quibus in fide conſtantes , firmioreſque effecti , inſanos adverſariorum impetus per ſemet contererent .

. II. Rem methodo noſtra monumentis adſtruamus . Quum
319 Ariana haereſis graſſari coepit , Alexander Alexandrinus Patriarcha celebrem emiſit Encyclicam , quam ad primarias Se-
423 des direxit , & exſtat apud Theodoritum . In ea autem pleniſſimo tractatu ſingula Arii argumenta , petitis ex Sacrorum Bibliorum fonte ſolutionibus , diluit : adeo quidem , ut illa ſacris reliquis Tractatoribus velut promtuarium ſubinde fuerit ad Arianam perfidiam conterendam . Id quod etiam in
270 Synodis Antiochenis adverſus Paulum Samoſatenum coäctis , ex fragmentis Encyclicarum exſtantibus , factum eſſe , colligere pronum eſt : nec ab eodem more aberrabit , qui tres epi-
385 ſtolas Paſchales Theophili Alexandrini ſedulò expenderit . Ita in aliis ſigillatim in proxima Diſſertatione cenſendis Encyclicis factum eſſe perſpiciemus .

III. Poſteaquam verò pleniore dogmatico tractatu veritas profitenda explanata erat , ad calcem Encyclicae Patrum teſtimonia longo contextu in propoſitae veritatis confirmationem addebantur . Plura rei hujus exempla in epiſtolari Eccleſiaſtica hiſtoria occurrunt . Inſignes ſunt argumento , &
440 ad Orbis Eccleſias propagatione duae S. Leonis dogmaticae epiſtolae , ambae adverſus Eutychianam perfidiam , ſed diver-

ſo motivo enucleatae . In priori probaturus, inter duas Chri-
ſti naturas ineffabilem unionem abſque permixtione eſſe, to-
tus eſt in illius ratione explananda . Atque ad calcem epiſto-
lae SS. Patrum teſtimonia ſubjungit , qui unionem adſtruunt
ſine ulla naturarum confuſione . Haec primùm Metropoli-
tanorum operâ per Provincias ab Epiſcopis ubique ſubſcripta,
ſollenni tandem ritu in Concilio Chalced. Actionibus II. , & 451
IV. omnium voto, & ſubſcriptione roborata eſt . Patrum di-
cta , quae Dogmaticae annexa erant , legi poſſunt poſt Ser-
monem , ſeu Adlocutionem Patrum ad Marcianum in III.
parte Concil. Chalced. cap. 1.

Altera S. Leonis dogmatica exſtat ex editione Queſnellii
n. 134. , & data eſt occaſione vehementiorum tumultuum ,
quos in Aegypto Eutychiani excitaverant ad Chalcedonenſis
Concilii authoritatem labefactandam . Ut enim illius geſta
in novo Oecumenico Concilio examini ſubjicerentur, preces
obtulerant Leoni Imperatori , qui epiſtolam vulgavit , di- 457
rexitque per Magiſtrianos ad omnes Chriſtiani Orbis Eccle-
ſias , ut in mota controverſia , Epiſcoporum in propriis Ca-
thedris ſedentium judicia , ſententiaſque audiret . Scripſit
ad Leonem etiam Pontificem , qui reſpondit , primò quidem
haud eſſe retractandum quod communi Eccleſiarum autori-
tate firmatum , judicium irreformabile evaſerat ; promittit
deinde , ſe novis ſubſidiis Chalcedonenſem fidei definitio-
nem confirmaturum , atque inſuper ſollenni Encyclicarum
more epiſtolam per Legatos quantocyus directurum . Le-
gantur hac de re epiſtolae 130. , & ſeqq. ibid. In hac autem
dogmatica epiſtola , factam in priori ſupponens expoſitionem
unionis hypoſtaticae inter duas naturas diſtinctas , nec con-
fuſas , aut commixtas , ulterius diſtinctionem hanc citra om-
nem confuſionem probat admittendam , quòd , quum Incar-
natio eò tota collinearit , ut hominum cum Deo obtinere-
tur reconciliatio , pro qua Deus-Homo datus eſt , Mediato-
ris , ac Redemtoris officium impleri minimè potuiſſet , ni-
ſi ſtante unionis hypoſtaticae veritate , & omni naturarum
confuſione ſublata . Infert quoque , ipſum Mediatoris offi-
cium ac munus eſſe luculentiſſimum factae Incarnationis
documentum . Hac occaſione munera Mediatoris, partes ſa-
tisfactionis , ſolvendi debiti neceſſitatem , & utriuſque in

Chriſto

Chriſto naturae proprietates grandi, ac Thelogico planè eloquio exponit, ut meritò norma cenſeri queat, ad quam Catholicum hocce dogma exigatur. Sub finem autem epiſtolae reſpondentia dictis SS. Patrum teſtimonia adjungit.

IV. Morem hunc, quem S. Leo eſt ſecutus, laudant anti-
484 qui Patres. Vigilius enim Tapſenſis l. 5. contra Eutychem
c. 32. haec habet. *Cunctos Eccleſiae Tractatores in medium ad-*
ducamus, ex quorum multiplicibus dictis, pauca, & brevia ex-
cerpentes, huic operi ſubnectimus, ad latiores eorum, & diffuſio-
res de hac confuſione tractatus, quos Beatiſſimus Leo in unum te-
ſtimoniorum cumulum provida diligentia congeſſit, ſtudioſos quoſque
845 *mittentes*. Unde Hincmarus etiam in Tractatu de non Trina
Deitate inquit. *Nam & Leo Sanctae Catholicae, & Apoſtolicae*
Sedis Pontifex, iſtorum dumtaxat, qui eum tempore, etſi non loco
praeceſſerunt vel merito, pauca numero, ſed magnae authorita-
tis, & rectae fidei genio teſtimonia Leoni Auguſto ad confirmandam
fidem Catholicam, credidit mittenda ſufficere. Ipſe imò S. Leo
epiſt. 104. ubi de nova prioris Dogmaticae epiſtolae Graeca
interpretatione adornanda, Marcianum precatus, ut querelis
Eutychianorum, qui illam falſaverant, occurreret, aït, ſi-
mul etiam haec teſtimonia graecè adjungenda. *Obſecro vene-*
rabilem Clementiam veſtram (inquit Pontifex) *ut eandem epi-*
ſtolam per Fratrem meum Julianum Epiſcopum, vel eos, quos
idoneos ad hoc opus pietas veſtra delegerit, in graecum ſermonem
jubeatis integrè, diligenterque translatam, per idoneum perlatorem
ſub veſtri ſignaculi impreſſione deferri tradendam Judicibus Ale-
xandrinis, qui eam Clero, & Plebi ipſius Civitatis cum praedi-
ctorum Epiſcoporum praedicationibus, quibus mea ſcripta conſen-
tiunt, faciant recitari. Et in epoſtola 68. ad Paſchaſinum,
quam primus vulgavit Queſnellius, illum ſic monet. *Ut*
autem in omnibus plenius tua ſit instructa dilectio, SS. Patrum no-
ſtrorum de Sacramento Incarnationis Domini quid ſenſerint, &
quid Eccleſiis praedicaverint, ut evidenter agnoſceres, aliqua ad
dilectionem tuam ſcripta tranſmiſi, quae Noſtri quoque apud Con-
ſtantinopolim cum ea epiſtola allegarunt. Quando ſcilicet S. Abun-
dius, & ſocii, ante Chalcedonenſe Concilium S. Leonis apud
Conſtantinopolim Legati, Dogmaticam Anatolio obtulerunt,
cui ille primùm ſubſcripſit. Subſcribendam deinde cum ad
alios, tum ad Metropolitas Tractus Conſtantinopolitani dire-

xit, unde omnium ſubſcriptionibus fuit confirmata, ut dicitur in fragmento vitae S. Abundii apud Baronium ad ann. 450., idemque legitur Actione IV. Concilii Chalcedonenſis.

V. Encyclicae Pacis, cui omnes ſubſcripſerunt Orientis Epiſcopi (quotquot enim ſubſcribere detrectarunt, depoſitione, exſilioque ſunt multati) adjuncta fuit S. Athanaſii ad Epictetum epiſtola, ut certa velut Catholicae profeſſionis teſſera eſſet. Qua de re in hunc modum Cyrillus ſub finem laudatae Pacificae, Tom. I. Concil. p. 1706. *Quia verò didicimus, quoſdam Orthodoxam praeclariſſimi Patris noſtri Athanaſii epiſtolam, quam ad Beatum Epictetum ſcripſit, adulteratam depravatamque edidiſſe, multoſque graviter hinc laedi; rati hoc utile, & neceſſarium Fratribus fore, ex vetuſtis exemplaribus, quae ſincera, incorruptaque apud nos exſtant, exempla ad Sanctitatem tuam tranſmiſimus.* Et in literis ad Melitinenſem Acacium, in quibus Pacis conditiones prolixè referat, haec inter alia habet. *Venit ad me Paulus Epiſcopus Emeſſenus, qui rogavit ex me, & quidem inſtanter, eiſne aſſentirer, quae celebris memoriae Beatiſſimus Pater noſter Athanaſius ad Epictetum Corinthiorum Epiſcopum quondam ſcripſerat? Ego verò reſpondi, me prorſus, & per omnia eis adſentiri, modo tamen ſcriptum illud apud vos exſtet incorruptum: Multa enim ab inimicis veritatis in eo depravata eſſe. Tunc ille ſe quoque epiſtolam illam apud ſe habere aiebat, velle autem ex eis, quae apud nos erant, exemplaribus cognoſcere, an ipſorum libri corrupti ſint, an ſecus. Porrò autem cum vetuſta ea exemplaria accepiſſet, eaque cum illis, quae ſecum attulerat, contuliſſet, invenit illa eſſe adulterata, petitque ex libris qui apud nos erant, exempla deſcribere, ut ad Antiochenam Eccleſiam tranſmitteret. Quod & factum eſt.* Eadem repetit ubi factae corruptionis referat modum, in epiſtola ad Succeſſum Diocaeſareenſem in Iſauria Epiſcopum. Illius autem epiſtolae ad Epictetum mentio occurrit in Adlocutione Patrum Chalcedonenſium, in cujus commentatione non pauca id genus alia ad incudem revocabimus. 434

VI. Quodſi vetuſtiora propoſiti argumenti monumenta inquiramus, ipſas videbimus adverſus Haereticos diſputationes integras una cum Encyclica ad Eccleſias fuiſſe directas: quas nos quidem congeſſimus in Tractatu de Eccleſiaſticis Diſputationibus, quem Typis paratum habemus. Sed lucu-

lentiſſimè conjecturas noſtras, atque diſquiſitiones illuſtra-
248 bit Cyprianus, ex quo quamplurima ad hujuſce argumenti dilucidationem depromſimus, & alia atque alia è tantó rerum Eccleſiaſticarum fonte nos depromturos fore, ſecuri gloriamur. Tempore Novatiani ſchiſmatis, in quo comprimendo dux merito laudatur & princeps Cyprianus, quum Encyclicae ubique per Eccleſias circumferrentur ſubſcribendae, tum ad Schiſma, tum ad Lapſorum excitas ea occaſione controverſias penitus ſedandas, S. Doctor, ut Schiſma, proſterni jam & confodi coeptum, funditus deleretur, & ad radicem controverſia omnis exigeretur, quae ſanè erat, ut omnes noſſent, primam verae Eccleſiae dotem eſſe Cathedram unam, cui univerſi communione jungerentur, atque ab ea diſſociatos, rebelles velut ac Schiſmaticos, fugerent; aureum de Unitate libellum edidit, & Encyclicis, quas adverſus Novatianum emiſit, annectere voluit, ut per Eccleſias vulgatus, Tractatoribus Sacris argumenta ſuggereret, quibus Novatianorum pertinax Schiſma refelleretur. Cypriano res ipſa ex voto ceſſit: quippe rationum pondere perſuaſi, in dies magis ad Eccleſiam regrediebantur. Teſtatur id in epiſtola 51., in qua converſos ex illius lectione in hunc modum alloquitur: *Sed & Catholicae Eccleſiae unitatem, quantum potuit, expreſſit noſtra mediocritas, quem libellum magis ac magis nunc vobis placere confido, quando eum jam ſic legitis, ut & probetis, & ametis. Siquidem quod nos verbis conſcripſimus, vos factis impletis, quando ad Eccleſiam charitatis, & pacis unitate remeatis.* Addit, eundem Romam miſſum, plurimùm profuiſſe, ut diſſidia, ſeditioneſque per Novatianos motae, prorſus compeſcerentur. Ex eo Cypriani ſcopo, ut videlicet tanquam Encyclicus tractatus, libellus ille haberetur, *epiſtola Encyclica* à S. Auguſtino nuncupatur, & Eccleſiarum votis
396 approbatus aſſeritur. Quum enim Creſconius nonnulla Auguſtino objeciſſet ex Cypriano ad Jubaïanum deſumta, quibus Cyprianum ipſum Repabtizantium vitio laboraſſe urgebat; ille, ut Cypriani cauſſam vendicaret, eundemque ab haereſis macula eximeret, multa operosè congeſſit, atque imprimis ex libello de Unitate, inquiens. *Haec ſimplicitas magis, quàm duplicitas, Eccleſiae placuit univerſae, toto terrarum Orbe diffuſae. Cui Cyprianus ipſe quale teſtimonium perbibeat, audi ex*

epiſtola, quam de Unitate conſcripſit. Libellum hunc de Unitate epiſtolam vocat, itidemque placuiſſe aſſerit Eccleſiae univerſae, toto terrarum Orbe diffuſae, quod reipſa ad ſingulas principaliores Eccleſias illius exemplaria direxiſſet, quibus omnium calculo probatis, & ſubſcriptis, Schiſmatici ab errore paullatim regredi coeperunt ad Catholicum, quod unum eſſe debet, ovile.

VII. Aderat eodem tempore in Eccleſiis omnibus multitudo Lapſorum, querulaeque paſſim audiebantur voces expoſtulantium praeproperam reſtitutionem communionis in Orationibus, ac Sacramentis; quam ceteroquin diſtinctè, varioque gradatim tempore ad propoſiti in agenda poenitentia menſuram concedi oportere, Eccleſiae ſanxerat diſciplina. Illi tamen variis uſi praetextibus, & quolibet poſtpoſito ordine, plenae communioni omnes cujuſcumque criminis reos reſtitui debere contendebant. Cyprianus, ut malo occurreret, alterum de Lapſis libellum edidit, in quo rationem ſuſcipiendorum Lapſorum exhibet, & praeproperam reſtitutionem multis rationibus, Scripturarum teſtimoniis, atque exemplis damnat, confutatque. Eadem formâ hic quoque libellus ad Eccleſias directus eſt. De ambobus hiſce libellis Romam miſſis, ita epiſt. 51. ſcribit. *Propter quod & nos temperamentum tenentes, & librum Domini contemplantes, & Dei Patris pietatem, & miſericordiam cogitantes, diu multùmque, tractatu inter nos habito, juſta moderatione agenda libravimus. Quae omnia penitùs poteſtis inſpicere, lectis libellis, quos hîc nuper legeram, & ad vos quoque legendos pro communi dilectione tranſmiſeram, ubi Lapſis nec cenſura deeſt, quae increpet, nec medicina, quae ſanet.* Tractatus ergo illi non ſine multorum conſilio aſſeruntur editi: proindeque Presbyteriis communicati. II. lecti primum per Africanas provincias ſunt, & probati. III. iidem Romam, ut confirmarentur, directi, utque ſubinde in Lapſorum medelam diſſeminarentur. Ubi autem editos aſſerit *pro communi dilectione*, ſatis innuit, tractatus fuiſſe Encyclicos, ac propterea lectos in Africa, & ubique legendos. Equidem norma velut, & exemplar libris Poenitentialibus & Canonibus aurea haec opuſcula poſtmodum in Eccleſiis praefulſerunt. Tractatum autem hunc, ſeu libellum Pacianus, licet in ſcriptis 370
Cypriani verſatiſſimus, epiſtolam nominat, *lege* [inquiens]

totam de Lapſis epiſtolam. Et mox. *Nam quod Cyprianum bea-*
tiſſimum mihi pro contrario teſtem proponit, quia in epiſtola, quae
de Lapſis eſt, Moyſem, & Danielem, & Job oraſſe pro peccato-
ribus, dicat. Ita ille in epiſt. 3. ad Sempronianum.
VIII. Haereſum itaque, & graviorum concertationum
tempore id moris atque inſtituti ſervatum deprehendi-
mus, ut iſtiuſmodi Tractatus Encyclicis adſociarentur; un-
de tractatus quandoque appellatae ſunt Encyclicae ipſae epi-
ſtolae, necnon Synodicae, & quae data opera fidei profeſ-
ſionem explicabant. Quo ſenſu legi apud Scriptorem Prae-
deſtinati l. 1. haer. 89. jam ſupra annotavimus. *Conſuetudo*
eſt namque, ut unum tractatum ſuum Epiſcopus Alexandrinus mit-
tat ad Conſtantinopolim, qui recitatur in Paſcha, & tractatum
ſuum Conſtantinopolites, qui Alexandriae recitetur. In tractatu
ſuo Conſtantinopolites Neſtorius ſcripſit Mariam non eſſe Theoto-
511 *con, ſed Chriſtotocon*. Et Concilium Aurelianenſe I. ad mores,
ritus, & Eccleſiae utiles ſanciendas conſtitutiones coactum,
ita loquitur in Synodica. *Quia tanta ad Religionis Catholi-*
cae cultum glorioſae fidei cura vos excitat, ut Sacerdotalis men-
tis affectu Sacerdotes de rebus neceſſariis tractaturos in unum
colligi juſſeritis. Hinc Tractatorum manavit vocabulum,
quorum officium ita ad rem ſub initium libri de Doct.
396 Chriſt. deſcribit S. Auguſtinus. *Debet Divinarum Scriptura-*
rum Tractator, & Doctor, Defenſor rectae fidei, & Debellator
errorum, & bona docere, & mala dedocere. Hi itaque, ali-
qua urgente haereſi, tractatum conſcribebant, quem, ſi
Epiſcopi ad terminandam controverſiam, pro qua Encycli-
ca erat edenda, idoneum exiſtimarent, epiſtolae adſocia-
254 bant. Hinc Dionyſius Alexandrinus Patriarcha epiſtolas
adverſus Sabellium à ſe editas, omnes more recepto ad
Xiſtum Romae Epiſcopum direxit: & quoniam Sabelliano-
rum refellebant argumenta, atque Encyclicae erant, nun-
cupavit Tractatorias. *Cum ab utraque parte & literae ad*
me allatae eſſent, & Fratres mecum diſſerturi veniſſent, epiſto-
las quaſdam, quantum Deo juvante potui, Tractatoris more fu-
ſius ſcripſi. Quarum exempla ad te miſi. Ita apud Euſebium
315 l. 7. c. 6.
IX. Priſcillianiſtarum graſſante per Hiſpanias lue, Tur-
446 ribius tractatum edidit, quem in Concilio publicatum, ad-

junxit

junxit Encyclicae epiſtolae, ad Hiſpanicas Eccleſias directae. Hanc autem unà cum libello ad Leonem Magnum tranſmiſit. Reſcripſit autem Pontifex epiſt. 93. *Nam & epiſtolae ſermo, & commonitorii ſeries, & libelli tui textus eloquitur Priſcillianiſtarum foetidiſſimam apud vos recaluiſſe ſententiam*. Tripliciter itaque occurrerat Turribius, epiſtolà primum, deinde commonitorio, ac tandem libello addito, ſeu tractatu, quo ſingula peſtiferi dogmatis capita recenſebat, convellebatque. Libellus fortaſſe ille erat, de quo Turribius loquitur in epiſtola ad Idacium, & Ceponium Epiſcopos, quae in Queſnelliana S. Leonis editione legitur pag. 232. In ea de Apocryphis libris agens, quos Priſcillianiſtae temerario auſu, & adultero ſtylo Sacris Bibliis inſerere tentaverant, haec ad rem habet. *Ex quibus Scripturis diverſa teſtimonia blaſphemiis omnibus plena, ſub titulis ſuis adſcripta digeſſi, quibus etiam, ut potui, pro ſenſus mei qualitate reſpondi. Quod ideò neceſſe habui paullo latius auribus veſtris intimare, ut vel poſthac nemo, quaſi neſcius rerum, dicat ſe ſimpliciter hujuſmodi libros vel habere, vel legere*. Qua admonitione ſatis indicat libelli ſcopum, quem adinſtar tractatus exaravit, ut Epiſcopi, ad quos erat deferendus, labem omnem agnoſcerent, ſibique & ſuis conſulerent. Subjungit enim. *Veſtrae autem exiſtimationis, & cenſurae merito fuerit, univerſa perpendere; & ea quae ſine ambiguitate veritati, ac fidei contraria videritis, cum aliis Fratribus veſtris, quoſcumque vobis zelus Catholicae Religionis, vel pium ſtudium ſociaverit, illam excuſationem ſpirituali gladio, & ignita Divini Verbi virtute compeſcere*. De eodem opere Montanus Toletanus in epi- 531
ſtola ad Valentinos, Concilio Toletano II. annexa, ita loquitur. *Hunc Priſcillianum talem fuiſſe, plenius diſcet, qui Beatiſſimi, ac Religioſiſſimi Viri Theoribii Epiſcopi ad S. Papam Urbis Romae Leonem libros editos legit. In quibus hanc ſordidam haereſim explanavit, aperuit, & occultam tenebris ſuis, perfidiaeque nube velatam, in propatulo miſit. Ex ipſis enim libris qualiter cavere, quid reſpondere contra ſacrilegos poſſit, pius lector inveniet*.

X. Ad Leonem verò Pontificem direxit, ut illius confirmatio, & concors in eodem dogmate ſententia Encyclicam, & tractatum refutatorium errorum ſolidaret, quatenus tu-

tò

tò per Eccleſias poſſet pervagari. Unde Leo in eadem epiſtola ad haſce Turribii petitiones reſpondet. *Quia ergo dilectio tua, fideli quantum potuit diligentia damnatas olim opiniones ſexdecim Capitulis comprehendit, nos quoque ſtrictim omnia retractamus, ne aliquid harum blaſphemiarum aut tolerabile videatur, aut dubium.* Pontificia itaque confirmatione adjecta, haec omnia per Hiſpanias evulgari juſſit, atque in Conciliis pro more in hiſce edendis Encyclicis recepto, publicari, & ſubſcribi, inquiens: *Dedimus itaque literas ad Fratres, & Coëpiſcopos noſtros Tarraconenſes, Carthaginenſes, Luſitanos, atque Gallicos, eiſque Concilium Synodi generalis indiximus. Ad tuae dilectionis ſolicitudinem pertinebit, ut noſtrae ordinationis autboritas ad praedictarum Provinciarum Epiſcopos deferatur. Si autem aliquid, quod abſit, obſtiterit, quo minùs poſſit celebrari generale Concilium, Galliciae ſaltem in unum conveniant Sacerdotes, quibus congregandis Fratres noſtri Idacius, & Ceponius imminebunt, conjuncta cum eis inſtantia tua, quo citiùs vel Provinciali conventu remedium tantis vulneribus afferatur.* Turribii *inſtantia* illa erat, ut Encyclica, ac libellus refutationis per Hiſpanias ubique vulgaretur. Quod S. Pontifex *remedium tantis vulneribus* idoneum exiſtimat. Quapropter Patres Concilii Braccarenſis I., quod ad ejuſdem haereſeos reliquias exſcindendas celebratum eſt, Pontificiam Encyclicae
561 confirmationem mirum in modum commendant. Ac primò quidem interlocutus haec eſt Lucretius. *Prius ergò de ſtatutis fidei, ſicut ſuperius dictum eſt, conferamus. Nam licet jam olim Priſcillianae baereſis contagio in Hiſpaniarum Provinciis detecta ſit, & damnata; ne quis tamen aut per ignorantiam, aut aliquibus, ut aſſolet, ſcripturis deceptus apocryphis, aliqua adbuc ipſius erroris peſtilentia ſit infectus; manifeſtius ignaris bominibus declaretur .... Credo autem veſtrae Beatitudinis Fraternitatem noſſe, quia eo tempore, quo in bis regionibus nefandiſſima Priſcillianae ſectae venena ſerpebant, Beatiſſimus Papa Urbis Romae Leo, qui quadrageſimus fere extitit Apoſtoli Petri ſucceſſor, per Turribium Notarium Sedis ſuae ad Synodum Galliciae contra impiam Priſcilliani ſectam ſcripta ſua direxit. Cujus etiam praecepto Tarraconenſes, & Carthaginenſes Epiſcopi, Luſitani quoque, & Boetici, facto inter ſe Concilio regulam fidei contra Priſcillianam baereſim cum aliquibus Capitulis*

con-

conſcribentes, ad Balconium, tunc hujus Bracarenſis Eccleſiae praeſulem, direxerunt. Inſtat mox Synodus, ut Capitula legantur, quibus omnes *abominata jam olim à Sede Beatiſſimi Petri Apoſtoli, & damnata Priſcilliani haereſis figmenta cognoſcant*. Vide ſis Tom. III. Concil. Hard. p. 347.

XI. Illud autem praetereundum non eſt, Novatianos, quum Dominicorum Curſorum ope, variiſque miſſis Encyclicis ad pleraſque Orbis Eccleſias contra Cornelium, pertrahere omnes in Novatiani, legitimi velut Pontificis, partes curaſſent, librum etiam edidiſſe, quem per eoſdem legatos direxerunt. De quo Cyprianus epiſt 42. ad Cornelium. 248
Quamquam mens noſtra, & propoſitum jam tunc Fratribus, & plebi iſtbic univerſae manifeſtatum fuiſſet, quando literis nuper ab utraque parte ſuſceptis, tuas literas legimus, & Epiſcopatus tui Ordinationem ſingulorum auribus intimavimus. Honoris etiam communis memores, & gravitatis Sacerdotalis, ac Sanctitatis reſpectum tenentes, ea quae ex adverſo in librum ad nos tranſmiſſum congeſta fuerant, acerbationibus criminoſis reſpuimus: conſiderantes pariter, & ponderantes, quod in tanto Fratrum religioſoque Conventu, conſidentibus Dei Sacerdotibus, & Altari poſito, nec legi debeant, nec audiri. Neque enim facilè promenda ſunt, & incautè, ac temerè publicanda, quae diſcordioſo ſtylo audientibus ſcandalum moveant, & Fratres longè poſitos, ac tranſmare conſtitutos incerta opinione confundant. Unde diſcimus, criminationes in Clericos factas, & inſtituta judicia, praeſente plebe, minimè legi conſueviſſe. Quod obſervatum fuit tum in Synodo Romana ſub Melchiade, quando objectorum Eccleſiaſticis viris criminum examen, abſentibus Judicibus, eſt peractum; tum in Chalcedonenſi, ubi, abſentibus quoque Judicibus, coram Epiſcopis tantùm Dioſcori facinora ſunt relecta, ut dicitur Actione III., ubi & antiqua haec laudatur conſuetudo. Ad eandem illuſtrandam facit quod paullò poſt idem Cyprianus ſubjungit. *Et icircò, Frater charíſſime, quum ad me talia de te, & Compresbyteris tecum conſidentibus ſcripta veniſſent, quae religioſam ſimplicitatem ſonabant, nec ullis maledictorum, & convitiorum latratibus perſtrepebant, Clero, & Plebi legi praecepi*.

(margin: 313 beside "tum in Synodo Romana ſub Melchiade, quando objecto-"; 451 beside "dicibus, eſt peractum; tum in Chalcedonenſi, ubi, abſen-")

XII. Eadem poſteriori aevo Encyclicarum ratio fuit: Quo quidem exſcribentium Monachorum operâ illarum plura

conficiebantur exemplaria, commodiùſque abs Eccleſiarum
Antiſtitibus ultro citroque mitti, ac recipi poterant. Hinc
quum Juſtinianus; excitantibus primum Palaeſtinae Mona-
chis, deinde ſuadentibus Pelagio Diacono, Apoſtolicae Se-
dis Apocriſario, & Menna Conſtantinopolitano Epiſcopo,
adverſus Origeniſtarum errores Encyclicum Tractatum edi-
diſſet, qui Tomo III. Concil. edit. Hard. legitur, in Synodo
541 Conſtantinopolitana probandum ſubſcribendumque protulit,
& ab Epiſcopis Tractus Conſtantinopoſitani ſubſcriptum, ad
Vigilium Rom. Pont. direxit, ad Patriarchas,& reliquos Pri-
mates. Quamobrem communi voto, & ſubſcriptione ana-
thema in Origenem, & in ejuſdem ſcripta conclamatum eſt.
553 Liberatus in Brev. c. 23. enarratis Nonni Monachi, Theo-
dori Caeſareenſis Metropolitae, & Domitiani Ancyrae Epi-
ſcopi improbis pro Origeniſmo conatibus; & libellis accu-
ſatoriis, quos adverſus illos Catholici obtulerant Imperato-
ri, commemoratis, de Concilii Encyclica, & Juſtiniani
Tractatu haec habet. *Annuit Imperator facillimè, gaudens ſe
de talibus cauſſis judicium ferre: jubente eo dicta eſt in Orige-
nem, & in illa Capitula anathematis damnatio, quam ſubſcri-
bentes una cum Menna Archiepiſcopo apud Conſtantinopolim re-
perti Epiſcopi, deinde directa eſt Vigilio Romano Epiſcopo, Zoï-
lo Alexandrino, Euphremio Antiocheno, & Petro Hieroſolymita-
no; quibus eam accipientibus, & ſubſcribentibus, Origenes dam-
natus eſt mortuus, qui vivens fuerat ante damnatus*. Itaque
laudatus Juſtiniani tractatus una cum Encyclica Synodi ad
univerſalem Eccleſiam directus eſt, utpote in eadem proba-
tus, & ad profana illa dogmata refellenda idoneus. Frag-
549 menta quaedam Synodi illius refert Evagrius H. E. l. 4.
c. 38.

XIII. Enimverò cum per Encyclicam, tum per Juſtinia-
399 neum annexum tractatum iterum poſt Synodum Alexan-
drinam ſub Theophilo, conditamque ibi eadem de cauſſa
Encyclicam, damnata manſiſſe Origeniana placita, inter
540 multos teſtatur Facundus l. 1. c. 2. *Invenit autem deſidera-
tam occaſionem* (Juſtinianum alloquitur) *ex furore quorum-
dam, qui ſub nomine Chriſtiano latenter in Eccleſia genitale Ori-
genis dogma ſcrutantur. Et quia per inſtantiam tuae Religionis
ejuſdem profani dogmatis iterata damnatio eſt*. Et cap. 6 pro-

pugnat,

pugnat, damnationem hanc ritè legitimeque factam, cum
Vigilius & tractatum confirmarit, & ad Reparatum Car-
thaginenſem direxerit, cujus ſolicitudine per Africanas Pro-
vincias vulgatus eſt, atque ſuſceptus. Unde ante Facundum
ſcripſerat Caſſiodorus Divin. Lect. c. 1. de Origene. *Hunc* 514
licet tot Patrum impugnet authoritas, praeſenti tamen tempore
& à Vigilio Beatiſſimo Papa denuò conſtat eſſe damnatum.
Et Victor Tunnenſis in Chronico Macarium notat fuiſſe 555
depoſitum, ſubjungens: *Dicebant enim eum Origenis ample-*
cti dogmata. Hoſce inſtitutae in hunc modum Origeniſta-
rum damnationis effectus repraeſentat egregiè laudatus
Facundus cap. 2. cit. inquiens. *Hinc ejus Sectatores exarſe-*
runt adverſus Eccleſiam, quaerentes eam quacumque poſſent im-
miſſione turbare: & hoc totum publicam notitiam non effugit,
praeſertim cum haec Domitianus Ancyrenſis Civitatis Epiſco-
pus primae Galatiae, qui fuit ipſius Origenianae haereſis ma-
nifeſtus aſſertor, per libellum, quem ad Beatiſſimum Papam
Vigilium ſcripſit, Deo extorquente, confeſſus eſt, quod ejus com-
plices Origeniani, quum viderent ſe non poſſe proprium dog-
ma defendere, nec ſibi quicpiam ſpei de conflictu reſtare, ad
ultionem eorum, quae circa Origenem geſta ſunt, haec Eccle-
ſiae ſcandala commoverunt. Ob Tractatus ergò iſtiuſmodi,
Encyclicae annexos, reliquum nihil erat Haereticis, quam
vel obſequi, vel abs Eccleſiae communione abſcindi.

ſ. XIV.

DE VOTIS SUSCRIBENTIUM EPISCOPORUM ENCYCLICAE ADDITIS.

Synopſis.

I. *Diſquiſitionis ordo*. II. *Praecipuae partes in ſuſcipiendis, aut condendis Encyclicis Primatum erant*. III. *Quid vota Encyclicis, aut Conciliis addita*. IV. *Horum votorum pondus*. V. *Eorumdem uſus*. VI. *Ordo in iis emittendis ſervatus*. VII. *Primatum ultima erat ſententia*. VIII. *Collectae Epiſcoporum ſententiae, & ſubſcriptiones*. IX. *Sententiae etiam reciprocis literis exponebantur*. X. *Omnium conſenſus ſecure hac ratione manifeſtatus*.

I. QUoniam Epiſcoporum conſenſus univerſalis ſit oportet, ut definitio in Encyclica ſubſcripta fidem faciat indubiam, inſtituti noſtri ratio poſtulat, ut praeſtiti conſenſus formam & modum penſitemus, ex quo & Encyclica certo ab Epiſcopis approbata dignoſci poſſet, & hoc Eccleſiae Magiſterium fidei certitudinem apud omnes obtinere. Poſt recitationem itaque in Eccleſiis peractam, vel à Metropolita ſubſcribebantur Encyclicae, cui ſubjacentes omnes Epiſcopi aſſenſum cenſebantur praeſtitiſſe, vel illis literae Epiſcoporum, aut vota ſubjungebantur. Duo hinc ſubactiore diſquirenda veniunt indagine, quorum alterum votorum adjungendorum rationem, alterum ſubſcriptionis reſpicit formam: quibus ſedulo diligenterque diſcuſſis, cum ipſa Encyclicarum natura, tum authoritas aeſtimatioque in aprico erit, atque explorata.

II. Ac primo quidem jure optimo id moris in primitiva Eccleſia obtinuit, ut ſubjacentium Epiſcoporum nullus, niſi per ſuummet Primatem in gravioribus controverſiis publico ſcripto judicia auderet exercere. Hac enim ratione fortiore vinculo unitas inter partes perſiſtebat, nec ullus erat aut diſſenſioni, aut partium praejudiciis locus, quoties

judicia

judicia haec publica, quae fidem obtinerent indubiam, Primate tantum connivente, ab Epiſcopis emitterentur. Quae cum ita ſint, pronum eſt intelligere, quemadmodum evulgatae Encyclicae brevi temporis ſpatio Eccleſiis circumquaque innoteſcerent. Quaelibet Princeps Cathedra, aliquam ſuſcipiens Encyclicam, recitari eam quidem ſinebat, tum probabat, ejuſdemque ſubſcriptum exemplar per quos habebat Dominicos curſores ad ſubjacentes tranſmittebat: atque adeo brevi facilique modo illius notitia Eccleſias toto Orbe diſperſas poterat pervagari. Hinc in ſingulis plauſibilioribus infra cenſendis Encyclicis animadvertere erit, quemadmodum, vel in ipſo perſecutionum fervore, per eaſdem ultro citroque datas controverſiae ab Epiſcopis feliciter fuerint terminatae. Moris ſpecimen exhibet Galliēnus 262
Auguſtus, qui, ut motam à Valeriano parente ſuo perſecutionem in Chriſtianos ſedaret, edictum ad praecipuas Sedes tranſmiſit, ceteris intimandum. *Imperator Caeſar P. Licinius Galliēnus, Pius, Felix, Auguſtus, Dionyſio, Pinnae, Demetrio, & reliquis Epiſcopis &c.* apud Euſeb. l. 7. cap. 13. No- 315
verat enim à praecipuarum Sedium nutu reliquos Epiſcopos pendere, atque ab eiſdem jura ad ceteros emanare. Quanti verò ponderis eſſet praeſtitus à Primate conſenſus, vel inde elucet, quod ſubjacentium reliquorum Epiſcoporum conſenſus praeſtitus hoc ipſo cenſeretur. Id quod cum ſatis commonſtrant quae ſupra de Encyclicis epiſtolis ad Primatem miſſis, diſputavimus; tum interlocutio Flaviani Philippenſium Epiſcopi Actione I. Concilii Epheſini luculen- 431
ter evincit. Directus ille fuerat à Ruſo Primate Theſſalonicenſi, & quum relectam ibi Encyclicam S. Cyrilli epiſtolam, quam ex prima Alexandrina Synodo ad Neſtorium dedit, ſuo calculo comprobaſſet, ſubjungit p. 1366. *His quoque Sanctiſſimum Patrem noſtrum Rufum Theſſalonicenſium Metropolitanum ſubſcribere affirmo. Nam cum propter aegritudinem huc venire non poſſit, mihi ad Sanctam, & Magnam hanc Synodum proficiſcenti haec mandata dedit: Quin omnes quoque Illyrici Epiſcopi in meam ſententiam concedere, nihilque de jam lectis haeſitare, certò perſuaſum habeo.* Hanc quippe Encyclicam Cyrillus jam ad illos direxerat, ut ex epiſtolis conſtat, exſtantibus prima Parte Conc. Epheſini. Porrò qui vel primis la-

biis Eccleſiaſticam Geographiam attigerunt, norunt quibus ampliſſimis Provinciis, velut Primas, jura diceret Theſſalonicenſis Antiſtes, proindeque quot Epiſcopi in ea interlocutione laudentur, Cyrillianae Encyclicae conſentientes, quos in eadem ſententia perſiſtere, perſuaſiſſimum habet Flavianus. Quum verò nullus ex Patribus dubium moverit de prolata tot Epiſcoporum nomine ſententia, ore Theſſalonicenſis Primatis, perſpicuum ſatis eſt, quammaximi fuiſſe ponderis Primatialium Sedium conſenſum. Non aliter Gregorius Ceraſuntis Epiſcopus pag. 1370. *pro Neocaeſarienſi Metropolitano* ſpondet, proindeque nomine ampliſſimae totius Provinciae Ponticae.

III. Sed ad Epiſcoporum vota, Encyclicis addita, praefari nonnulla juvabit, ut priſca conſuetudo receptuſque uſus intelligatur. Ac modum quidem facile dignoſcemus, per-
258 luſtrando Concilium à S. Cypriano in cauſſa Rebaptizationis celebratum. In eo, quod exſtat inter ejuſdem Cypriani opera, 87. Epiſcoporum vota legimus, quorum plerique rationibus, teſtimoniiſque innixum conſenſum ſuum proponunt. Mos idem in Generalibus plerumque Conciliis fuit obſervatus. Poſt lectionem enim ſive Encyclicae epiſtolae, ſive etiam Conciliaris decreti, ſinguli Epiſcopi ſua emittebant vota, ſive, ut dicunt, interlocutiones, quarum plurimae in ſingulorum Conciliorum Actionibus proſtant lectitandae, plurimae autem invidia temporum, & exſcriptorum incuria, non ſine gravi Eccleſiaſticarum rerum detrimento, interciderunt.

IV. Quanti verò ponderis iſtiuſmodi eſſent interlocutiones, ſeu vota, in publico Conciliari coetu ab Epiſcopis emiſſa, ut alia omittamus, quae in diſceptationem venêre occa-
553 ſione trium Capitulorum ante, & in ipſa Synodi V. celebratione, adeo ut ob haſce ſubſcriptiones, & vota in cauſſa Ibae prolata, detrectaverint aliqui trium Capitulorum exa-
451 men ſuſcipere, rati hinc Chalcedonenſis Concilii indefectibilitati derogatum iri; ex eo poteſt commonſtrari, quod in Actione I. Chalcedonenſi, in qua ad examen revocata ſunt
449 acta Synodi Latrocinalis Epheſinae, plures interlocutiones, & vota Epiſcoporum, qui Dioſcoro improbas dederant manus, ſevero examine ſint diſcuſſa. Quod ſane iſtiuſmodi pu-

blico-

blicorum votorum pondus demonſtrat cuilibet, accuratiſſimum inſtitutum ibi examen perpendenti.

V. Haec itaque vota olim epiſtolis Encyclicis fuiſſe appoſita, nihil eſt ambigendum. Sed, ut, ſi exſtarent hodie, certiori gradu liceret progredi ad hanc ipſam conſuetudinem illuſtrandam, ita iiſdem, ut diximus, temporum invidia, atque Amanuenſium oſcitantia aut obliteratis, aut omiſſis, conjectaneis plerumque, & teſtimoniis agendum eſt, ut dignoſcamus, Encyclicam recitatam modo ſuperius expoſito, excepiſſe plerumque Epiſcoporum adſtantium vota, quae collecta ad eum remittebantur, cujus ſolicitudine, controverſiaeque definiendae gratiâ, Encyclica miſſa fuerat. Vota autem ejus erant conditionis, ſeu formulis illis concepta, quarum exemplaria leguntur in Carthaginenſi S. Cypriani Concilio. Non enim nuda veritas authoritate ſubſcriptioneque Paſtorum confirmabatur, ſed Scripturarum, Patrum, rationumque momentis roborari conſuevit. Generalem illorum ideam quandam habemus apud S. Cyprianum epiſt. 42., ubi Feliciſſimi temerariam, & ſchiſmaticam audaciam ſugillans, ſocios habuit in damnatione ferenda Africanos Antiſtites, qui ſcriptis votis propriam ſententiam expreſſerant. Unde inquit. *Quantum verò hic ad Presbyterium quorumdam, & Feliciſſimi cauſſam pertinet, quid hic actum ſit, ut ſcire poſſes, literas ad te Collegae noſtri manu ſua ſubſcriptas miſerunt. Qui auditis eis, quid ſenſerint, & quid pronunciaverint, ex eorum literis diſces.* Et in epiſtola 46. ad eundem Cornelium data, Africanorum Antiſtitum ſenſa recolens circa Novatianum, atque aſſeclarum ſchiſma, & facinora, ſubdit, ſe ad epiſtolae calcem ſingulorum vota adnexuiſſe. *Et ut motum omnium, & conſilium ſingulorum dignoſceres, etiam ſententias noſtras placuit in notitiam veſtri proferri, quas & ſubjectas leges.* Haec ſanè, perierint licet, vota erant, ſententiae, & doctrinalia judicia, quae & facinus juſto calculo damnabant, & Eccleſiaſtica adhibenda remedia ſuppeditabant.

VI. Sed recolendus eſt ſervatus in hiſce ferendis ſententiis ordo. Cum, ut dictum eſt, Primatis, ſeniorîſve Epiſcopi dignitas atque authoritas ſuo haberetur loco, ſi vota praemitterent ſubjacentes Epiſcopi; hinc factum eſt, ut illi primùm ſubſcriberent, votumque emitterent, Prima-

tis autem ultima eſſet ſententia, qua, velut ſigillo, publici habiti judicii geſta firmarentur. Iccirco in eo, quod laudavimus, Africano Cypriani Concilio votorum ultimum eſt quod ab eodem Cypriano fuit emiſſum, quodque ipſe ſententiam nuncupat. *Meam ſententiam*, inquit, *pleniſſimè exprimit epiſtola, quae ad Jubaïanum Collegam noſtrum ſcripta eſt: Haereticos ſecundum Evangelicam, & Apoſtolicam conteſtationem adverſarios Chriſti, & Antichriſtos appellatos, quando ad Eccleſiam venerint, unico Eccleſiae Baptiſmo baptizandos eſſe, ut poſſint fieri de adverſariis amici, & de Antichriſtis Chriſtiani*. Ubi ita recolit epiſtolam ad Jubaïanum, quae eſt n. 73., ut illa, ſolius licet Jubaïani nomine inſcripta, velut Encyclica, ad Africanos omnes Epiſcopos oporteat directa fuerit. In ea enim memorat alterius Carthaginenſis Concilii acta, in quo idem fuit decretum. Atque ea ſanè argumentis occurrit omnibus, imo rebaptizationem Haereticorum vocat, eſtque tractatus, & opuſculi retinet
378 formam. Unde à S. Hieronymo *libellus* indigetatur in Dialogo adverſus Luciferianos. *Ad Jubaïanum quoque* (de Cypriano loquitur) *de Haereticis rebaptizandis ſcribens, in fine libelli ſic locutus eſt*. Eandem, opinor, direxit quum poſtre-
258 mum Concilium 87. Epiſcoporum indixit, & quidem una cum evocatoria ad Concilium epiſtola. Imo cum ſub epiſtolae finem addat: *Servetur à nobis patienter, & firmiter Charitas animi, Collegii honor, vinculum fidei, & concordia Sacerdotii. Propter hoc etiam libellum de bono patientiae, quantum valuit noſtra mediocritas, permittente Deo & inſpirante, conſcripſimus, quem ad te pro mutua dilectione tranſmiſimus*. Id argumento eſt, non epiſtolam tantum ad Jubaïanum, ſed inſuper libellum de bono patientiae ad Africae Epiſcopos Cyprianum direxiſſe. Voluit ſcilicet S. Antiſtes eoſdem pro inſtituenda iterum diſceptatione praemunire, ne in celebrando Concilio limitem praetergredientes, vinculum fidei, & unitatis diſrumperent cum Romano Pontifice Stephano, qui, ut nimium Africani ingenii ardorem atque aeſtum compeſceret, acerbiores ad eoſdem literas dederat.

VII. Monumentum alterum, quo edocemur, Primates ultimum votum in hiſce Conciliaribus, & publicis inſtituen-
313 dis judiciis emiſiſſe, ſuppeditat Synodus ſub Melchiade ce-

lebra-

lebrata, in qua Caeciliano, & Majorino de Carthaginenſi Epiſcopatu contendentibus, Optato teſte, de judicii forma 368 lib. 1. p. 27. differente, *Caecilianus omnium ſupra memoratorum ſententiis innocens eſt pronunciatus; etiam Militiadis ſententia, qua judicium clauſum eſt*. Itaque poſt prolatam ab unoquoque Epiſcoporum ſententiam, ſuam eamque peremtoriam Melchiades protulit.

VIII. Inter multas Encyclicas in cauſſa Novatiani editas, quas Euſebius H. E. l. 6. c. 43. recenſet, notatu digna illa 515 eſt, de qua in hunc modum differit: *Exſtant adhuc epiſtolae Cornelii ..... in quibus & Romanae Synodi geſta, & omnia per Italiam, & Africam, aliaſque locorum illorum Provincias ſententiae declarantur*. Et ad calcem capitis addit. *Sub finem autem epiſtolae numerum recenſet Epiſcoporum, qui in Urbem Romam convenientes, amentiam Novati condemnaverant, nomina quoque illorum, & quam quiſque regebat Eccleſiam adſcribens. Eorum item, qui Romae quidem minimè adfuerant, ſuperiorum tamen Epiſcoporum ſententiam literis ſuis approbaverant, vocabula ſimul, & Civitates, unde ſinguli literas dederant, accuratè commemorat*.

IX. Enimverò mutuas haſce ſententias, votaque haec reciproca ex obſervatis hactenùs unuſquiſque ea mente fatebitur edita, ut conſpirantibus animis dogmatum veritas, & unius diſciplinae conſenſio dignoſceretur. Hinc diſtracta in tot capita Orientali Eccleſia, quot fermè erant principaliores Orientis ſedes, quarum unaquaeque propriam fidei formulam protrudebat ſumma in unitatis fideique exitium diſſenſione, Damaſus, annitentibus Imperatoribus, Tomum 367 Encyclicum edidit, atque ad Orientales Eccleſias direxit adverſus Auxentium praeſertim, qui eo tempore Arianorum agmen ducebat. Illum per Occidentem jam evulgaverat, eidemque ſubſcripſerant Occidentales. Praeſcribit autem Orientalibus, ut, datis literis, mutuum hunc conſenſum declarent. In collectione enim Holſteniana p. 169. hanc ejus ad Epiſcopos monitionem legimus. *Concinat ergò cum omnibus Dei Sacerdotibus & veſtrae ſententia charitatis, in qua vos fixos, atque firmatos, ut benè credimus, ita etiam nos vobiſcum rectè ſentire debemus reciprocis Sanctitatis veſtrae literis approbare*. Mendum in ultimis Damaſi verbis cubare,

Digitized by Google

rectè advertit Valeſius in not. ad Sozomen. l. 6. c. 23. & paucis immutatis, ſenſum ita reſtituit. *Hoc etiam vos nobiſcum rectè ſentire debetis, reciprocis Sanctitatis veſtrae literis approbare.*

X. Neque verò ſedulitas haec in votis, ſententiis, ac reciprocis literis conquirendis, exigendis, & abſentibus, aut longè poſitis Fratribus denunciandis, fruſtra erat. Unitas fidei, animorumque concordia praecipuus erat harum Encyclicarum ſcopus. Quid autem eſt, quod unitati & concordiae magis obſit, & adverſetur, ſive in fidei exponendis dogmatis, ſive in exortis ſedandis concertationibus, quam partium praejudicia, animoſitates, fraudes, ac ſimiles peſtes, & diſſenſionum origines? Fraudibus equidem, ac dolis facile plerumque hiſce in rebus obrepentibus, quam appoſitè, providè, opportunèque conſultum ibant hac ratione Antiſtites? Sic cautum ſatis erat nequis falſa Epiſcoporum nomina excogitando, atque ementito ſubſcribentium numero, adulterinae Encyclicae authoritatem aucuparetur, unde pravae ſectae, dogmatum veritate depreſſa, authoritas aeſtimiumque accreſceret. Quod olim à Donatianae factio-
411 nis hominibus fuiſſe tentatum, acta Carthaginenſis Collationis teſtantur. Sic quoque quid ſingulae eaedemque diſſitae Eccleſiae communiter certòque profiterentur, ii, quorum id noſſe intererat, facillimè in votis, ſententiis, ac doctrinalibus interlocutionibus poterant dignoſcere: eò vel maximè, quod vota plerumque à Primate eſſent emiſſa, in cujus ſententia unanimis ſubjacentium Epiſcoporum reliquorum conſenſus eluceſcebat.

§. XV.

DE ENCYCLICARUM SUBSCRIPTIONIBUS.

Synopſis.

I. *Subſcriptionum uſus, & utilitas.* II. *Accuratus Catholicorum Epiſcoporum cenſus apud Primates.* III. *Subſcriptiones ſolicitè exigebantur, & factae ſervabantur, ex Gelaſio Cyziceno.* IV. *Acta Nicaeni Concilii ad Romanum Pontificem, & ad omnes Orbis Epiſcopos diriguntur ſubſcribenda.* V. *Exigendarum ſubſcriptionum ſolicitudo Primatibus demandata.* VI. *Subſcriptionum numerus, quem memorant Scriptores, à Sciolorum cavillationibus vendicatur.* VII. *Dalmatii dictum de ſubſcriptionibus Cyrillianae Encyclicae expenditur.* VIII. *Item Cecropii de Dogmatica S. Leonis dictum.* IX. *Ordo in ſubſcriptionibus Hormiſdae aevo ſervatus.* X. *Epiſcoporum ſubſcriptiones conquiſivit Arius.* XI. *Similiter Euſebiani.* XII. *Cum iis Conſtantius Epiſcoporum, & imprimis Liberii Pontificis in damnatione Athanaſii ſolicitat ſubſcriptionem.* XIII. *Quomodo Pontifex, quomodo Epiſcopi ſubſcripſerint.* XIV. *Subſcriptiones accuratè cautèque examinatae.* XV. *Authenticae ſubſcriptiones in Eccleſiarum Archivis cuſtoditae.* XVI. *Pertinax earumdem cuſtodia.* XVII. *Qui Encyclicae ſubſcribere renuerent, Haeretici habiti.* XVIII. *Id expenditur ex Concil. Chalcedonenſi.*

I. HActenus de votis, ſententiis, ac reſponſivis epiſtolis Encyclicae adjunctis, pro unanimitate in dogmatis, atque conſenſione oſtendenda diſputavimus; ſequitur jam, ut de ſubſcriptionibus differamus, in quibus Capitis, & Coëpiſcoporum, Eccleſiaeque Paſtorum doctrina, ac magiſterium auguſtiſſimè pro ſua majeſtate ſplendebat, omnibus ſuo calculo conclamantibus, rem in Encyclica determinatam, doctrinam eſſe Chriſti, & Dei: Unde declaratio propoſita fidelibus, erat fide obſequioque ſuſcipienda. Quoniam verò noſtrae huic lucubrationi non parum lucis allatum iri videmus, ſi modum, formam, adhibitaſque in tru-

tinandis ſubſcriptionibus cautelas accuratè expenderimus, id imprimis praeſtare conabimur, ut illis probe diſcuſſis, atque ex venerandae antiquitatis monumentis in apricum deductis, praeſtitus ab Epiſcopis conſenſus, ex quo omnis emanat Encyclicarum vis & authoritas, facilius deprehendatur.

Meritò ſanè, ut in eligendo ad Encyclicas perferendas
curſore Dominico maxima adhiberetur induſtria, praeceperat
101 rat Ignatius; quippe cum ex illius opera, ut Auguſtini ver-
396 ba uſurpem, in promendis epiſtolis, diligentia in cuſto-
diendis, alacritate in perferendis, fide denique in redden-
dis, grave hoc fidei unitatiſque negotium penderet integrum.
540 Quod eleganter expreſſit Vigilius in damnatione Ruſtici,
& Sebaſtiani Diaconorum Pontificiorum, ſed ab ipſo ſubinde rebellantium, dum de Judicato ſuo verba faciens, Ruſticum his alloquitur. *Tu autem publica voce depoſceres, dicens Dominum Leonem ita de epiſtola ſua* (Dogmaticam ad Flavianum intelligit) *diverſis exemplaria deſtinaſſe, nos facere debere ſimiliter aſſerendo: quia metueres, niſi univerſitas Judicati noſtri exemplaria de ſcrinio noſtro edita teneret, qualibet ratione forſitan celaretur.* De recitatione autem Judicati, ita Sebaſtianum alloquitur. *Relegens tamen Conſtituti noſtri ſeriem, quam de praefatis Capitulis ad Mennam hujus Civitatis Antiſtitem dediſſe relegimus, in conſpectu Diaconorum, Subdiaconorum, vel univerſorum Clericorum publica voce laudabas, ut de Coelo Judicatum noſtrum ordinatum, atque prolatum omnibus, ſicut praefati ſumus, Clericis loquereris. Dicta verò Theodori Mopſueſteni aſſerebas te in Roma Urbe inter aliquos Codices inveniſſe, quae confirmabas omni exſecratione, & blaſphemiis eſſe completa. Haec dicendo in noſtro obſequio, & in Eccleſia publicè, & in Placidias officium Diaconatus implebas.* Haec munia, haec Diaconorum in recitatione cujuſvis Encyclici ſcripti officia. Quod ſi tanta circumſpectio, tantumque in deligendo miniſtro moderamen fuit exigitum, quantò id magis par fuit exigi in cuſtodiendis epiſtolis, & Epiſcoporum ſubſcriptionibus, quae Eccleſiae ſenſum, & controverſi articuli veritatem demonſtrabant?

II. Hinc ſubſcriptiones à Primate plerumque ſunt receptae, & ſiquando ab Epiſcopo, haec fuit adhibita cautio, ut de illius catholica communione certus eſſet qui ſubſcriptiones poſtulabat. Neque verò id arduum in Primiti-

va Eccleſia fuit, quando Primates quotannis Paſcha univerſis Epiſcopis ſuis denunciantes, ſalutem & pacem, nomina etiam defunctorum Epiſcoporum, & recèns electorum ſignificabant, illorum etiam denunciaturi nomina, quibus à communione excìſis, Pacificarum commercia interdicebantur. Hinc quoties nova quaepiam diſſidia, pacem ac unitatem diſſociantia, per Provinciam emergerent, Primas illicò novum evulgabat Epiſcoporum catalogum tum, catholicis communicantium, tum ab eiſdem recedentium.
Quamobrem Cyprianus epiſt. 55. ſimilem catalogum ad Cornelium emiſit, ut noſſet, cum quibus frequentanda eſſent 248
epiſtolarum commercia. *Miſerim tibi proximè nomina Epiſcoporum iſthic conſtitutorum, qui integri & ſani in Eccleſia Catholica Fratribus praeſunt. Quod utique ideo de omnium noſtrorum conſilio placuit ſcribere, ut erroris diluendi, ac perſpiciendae veritatis compendium fieret; & ſcires tu, & Collegae noſtri, quibus ſcribere, & literas mutuò à quibus vos accipere oporteret. Siquis autem praeter hos, quos epiſtola noſtra complexi ſumus, ſcribere vobis auderet, ſcirctis eum vel in ſacrificio, vel libello eſſe maculatum, vel unum de Haereticis, perverſum ſcilicet & profanum. Nactus tamen occaſionem familiariſſimi hominis, & Clerici, per Felicianum Acoluthum, quem cum Perſeo collega noſtro miſeras, ita cetera, quae in notitiam tuam perferenda hinc fuerant, etiam de Fortunato iſto tibi ſcripſi.*
Hinc Cornelius quoque in ſua Encyclica, Italorum vota denuntians, qui ſteterant adverſus Novatianum Schiſma, Epi- 251
ſcopalium pariter Urbium nomina percenſuit, ut gnari in qua degerent Civitate Catholicae communionis Epiſcopi, literas poſſent ad eoſdem, urgente neceſſitate, tranſmittere. Haec equidem rectiſſima, atque ad fidem, unitatemque ſervandam comparatiſſima methodus, dolis omnibus occurrebat, quibus vitiatae ſubſcriptiones fucum ſuſcipientibus facerent. Imo tanta haec diligentia grande eſt argumentum ad earumdem veritatem comprobandam. Solicita ſane & anxia illa cautio à Primatibus adhibita in denunciandis catholicae communionis Epiſcopis, ut univerſi noſſent, cui tradendae, aut à quo ſuſcipiendae forent Encyclicae Pacificae, Formatae, aliaeque id genus epiſtolae, ſubſcriptionum pondus, & authoritatem egregiè commendat.

III. Superſedemus hîc ſingularum Encyclicarum ſub-
ſcriptiones regerere, quarum prolixiùs redibit in ſeqq. Diſſert.
mentio. Sat pro praeſenti inſtituto erit, ſi in receptam pri-
mis temporibus exigendi ſubſcriptiones, & factas cuſtodien-
di conſuetudinem inquiramus. Quam quidem luculenter
325 exhibent Acta Concilii Nicaeni apud Gelaſium Cyzicenum,
quae breviter expenſa, ideam certam ingenerabunt modi in
Encyclicis ſubſcribendis recepti. Edita à Conſtantino En-
cyclica in eodem Concilio probata eſt, & conſtitutum, ut
ad univerſas Orbis Eccleſias mitteretur, quatenus qui Con-
cilio non adfuerant, ſubſcriberent definitis. Modum ſanè
hunc in promovendis ſubſcriptionibus minimè à Concilio
introductum, ſed ſervatam ab eo veterem conſuetudinem,
nihil eſt ambigendum, & à priorum temporum monumentis
exploratum eſt.

476 Gelaſius itaque, ut Tom. 1. Concil. p. 451. legimus,
neceſſarium ad Nicaenorum Actorum identitatem agnoſcen-
dam eſt arbitratus, ſubſcriptiones, & conſentientium Epi-
ſcoporum numerum referre. Notitiae pondus ita exprimit.
*Illud ſolum hic addere exiſtimavi [non extra rem eſſe arbitra-
tus, ſed valde accommodatum] eorum ſcilicet Epiſcoporum no-
mina, qui ex communi omnium Epiſcoporum conſenſu in Provin-
cias ubique terrarum miſſi ſunt, per quos quae à Synodo fuerant
judicata, per Synodicas epiſtolas, & laudatiſſimas Regis lite-
ras ad omnes Sanctas ſub Coelo Dei Eccleſias ſunt tranſmiſſa.*
Ergo Synodus accommodum Encyclicas mittere ad Epiſco-
pos, qui Nicaeae non convenerant, ut ſuomet aſſenſu ju-
dicata firmarent; Gelaſius neceſſarium, conſentientium &
ſubſcribentium cenſum exhibere, judicarunt. Quorſum
hàec? hauddubie ut Eccleſiae totius Magiſterium reluceret,
& pleniore tractatu inſtitueretur. Encyclicae porrò, prae-
ter eam quae à Conſtantino ad omnes Eccleſias perſcripta
eſt, & cujus exemplaria iis fuiſſe tradita, qui in ſingulas
regiones miſſi ſunt, non eſt dubitandum, hoc ordine nu-
merantur apud Gelaſium.

IV. Primi delecti Epiſcopi, ut ad Occidentales abſentes
Encyclicam deferrent, ii ſunt. *Oſius Epiſcopus Cordubae,
Sanctis Dei Eccleſiis, quae Romae ſunt, & in Italia, & Hiſ-
pania tota, & in reliquis ulterius nationibus uſque ad Oceanum*

commorantibus Sanctis Dei Eccleſiis per eos, qui cum ipſo erant, Romanos Presbyteros, Vitonem, & Vincentium. Vides hîc Oſium cum Vitone, & Vincentio conjungi, ſimulque omnes ad Romanum Epiſcopum directos, & per ipſum ad reliquos Occidentales. Equidem ex hoc uno teſtimonio ſatis luculenter probatur, quo titulo & gradu Oſius adfuerit Synodo, & quamobrem Romam, atque ad omnes Occidentales plagas directus, ut actorum Synodi ſubſcriptionem curaret.

Circa Diaeceſim Aegyptiam delecti ſunt *Alexander Alexandriae cum Athanaſio tunc Archidiacono, Eccleſiis per totam Aegyptum, Lybiam, & Pentapolim, & Regiones finitimas uſque ad Indiae Provincias.* Abyſſinas videlicet, quae jam tum coeperant Dei verbum ſuſcipere, atque ad Chriſtum converti. Pro Diaeceſi Palaeſtinarum. *Macarius Hieroſolymorum cum Euſebio Pamphili Epiſcopo Caeſareae Palaeſtinae, Eccleſiis in Palaeſtina, Arabia, & Phoenicia.* Etiamnum exſtat Euſebii ad ſuam Diaeceſim Encyclica, à ſe ea occaſione directa, in qua manifeſtè teſtatur diligentiſſimum à Nicaenis Patribus examen de voce ὁμοούσιον fuiſſe inſtitutum. Quae quidem Euſebii commonitio perneceſſaria erat, quum priores qui ex Epiſcopis Ario adhaeſerant, fuerint Palaeſtinae Epiſcopi. Pro ampliſſimis autem Sedis Antiochenae Provinciis curam ſuſcepit *Euſtathius Epiſcopus Antiochiae magnae, omnibus in Coeleſyria, in Meſopotamia, & Cilicia utraque.* Pro Regionibus ultra Euphratem. *Johannes Perſa, Eccleſiis in tota Perſia, & Magna India.* Pro Exarchatu Pontico. *Leontius Caeſareae Cappadociae, magnum Eccleſiae Domini ornamentum, Eccleſiis in eadem Cappadocia, Galatia, Ponto Dioſponti, Paphlagonia, in Ponto Polemaïco, Armenia parva, & magna*: plaga terrarum maxima, quam Exarcha Ponticus tunc regebat. Pro Exarchatu Aſiatico. *Theonas Cyzici, Eccleſiis in Aſia, & Helleſponto, Lydia, & Caria, per Epiſcopos, qui ſub ipſo erant, Eutychium Smyrnae, & Marinum Troadis.* Ex quo illud diſcimus, laudatos pleroſque omnes Primates curam & executionem Epiſcopis duobus demandaſſe, ut ſingulas perluſtrantes Urbes, ſubſcriptiones promoverent. Pro ampliſſimo tractu, qui tunc Theſſalonicenſi ſuberat, Encyclicas ſubſcribendas dedit

Ale-

*Alexander Theſſalonicae per eos, qui ſub ipſo cenſentur, Eccle-
ſiis in Macedonia prima, & ſecunda, cum iis quae in Graecia,
& Europa tota, in utraque Scythia, & omnibus denique in Il-
lyrico, Theſſalia, & Achaïa*. Sequuntur deinde. *Numechius
Laodiceae Epiſcopus, Eccleſiis quae in Phrygia prima, & ſe-
cunda. Protogenes ille admirabilis Sardicae Civitatis Epiſco-
pus, in Dacia, Calabria, Dardania, & Provinciis finitimis.
Caecilianus Carthaginenſis Epiſcopus, Sanctis Dei Eccleſiis in
omnibus Provinciis Africae, Numidiae, & Mauritaniae utriuſ-
que. Piſtus Marcianopolis Epiſcopus, Eccleſiis in Myſia, Athe-
narum, & Gallorum Gentibus & Civitatibus, quae his vici-
nae ſunt. Alexander Conſtantinopolis tunc ſolum Presbyter, po-
ſtea verò Eccleſiae illius Epiſcopatum ſortitus, cum Paulo tunc
lectore, atque ipſius notario, Eccleſiis omnium Cycladum Inſula-
rum. Hi omnes Sancti, atque Apoſtolici Viri omnibus ſub Coe-
lo Sanctis Dei Eccleſiis, quae in Sancta, Magna, & Generali
Synodo acta ſunt, omnibus ubique terrarum tradiderunt*. Ha-
ctenus Gelaſius.

V. Exemplum hocce, quo nihil optari poteſt illuſtrius,
graphicè repraeſentat ordinem in his ſubſcriptionibus ob-
ſervatum, ut emiſſae Encyclicae cura Primati demandare-
tur, qui ab Epiſcopis ſubſcriptiones poſtularet. Ut autem
haec in decretis conciliaribus, apud abſentes evulgandis, ſer-
vata conſuetudo eſt, ita nihil eſt ambigendum, eandem in
Primitiva Eccleſia formam pro reliquis Encyclicis fuiſſe re-
ceptam: quippe cum non aliter inter ſeſe differrent, quam
quod illa à convenientibus in unum Epiſcopis, invicem ore
alloquentibus; Encyclicae verò à ſedente in ſua unoquoque
Diaeceſi, & alloquente non ore quidem, ſed literis, quod
eòdem redit, emitterentur. Utraque autem collineant ad
unum exprimendum conſenſum, atque ad unam fidei ſta-
tuendam firmandamque profeſſionem. Illud etiam in tam
ordinato ſubſcriptionum modo planum eſt, quomodo quam-
citiſſimè ope Encyclicarum noſſet univerſus Orbis, quae
profitenda, quaeve ut noxia eſſent refugienda. Gelaſius
ſanè teſtatur ſuo adhuc aevo ſe Tomum harum ſubſcriptio-
326 num Nicaenae Synodo factarum vidiſſe; & S. Athanaſius
eo potiſſimum utitur adverſus Arianos argumento, ex fa-
cta ſcilicet univerſi Orbis ſubſcriptione, laudans ultra 1000.

ſuffra-

ſuffragatores Epiſcopos . Hinc Concilium Alexandrinum 363
ſub eodem S. Athanaſio celebratum, jubente Joviano Impe-
ratore, ut inter tot jactatas fidei formulas, quae vera, quae-
que eſſet orthodoxa, addiſceret, in Synodica, quae E. Tom.
1. Concil. pag. 739., luculenter hanc veritatem confirmat.
Proponunt itaque Patres Nicaenam fidem, de qua, ubique
ſtatim poſt Nicaenum Concilium ſuſcepta, inquiunt. *Haec*
itaque fides per omnem Eccleſiam legebatur, & praedicabatur.
Et infra quae prolixè Gelaſius, paucis ipſi expendunt. *Cum*
hac conſentiunt omnes ubique Gentium Eccleſiae, quae ſunt in
Hiſpania, & Britannia, & Gallia, & quae in Italia tota, &
Dalmatia, Dacia, & Myſia, Macedonia, & tota Graecia,
quaeque in Africa cunctae, & Sardinia, & Cypro, & Creta,
Pamphylia, & Lycia, & Iſauria, & quae in tota Aegypto,
& Lybia, & Ponto, & Cappadocia, & quae ſunt vicinae no-
bis, & Orientales Eccleſiae praeter paucos, qui cum Ario ſen-
tiunt. Praedictorum enim omnium ſententiam experientia novi-
mus, & literas habemus. Quibus ſane poſtremis verbis teſta-
tiſſimum faciunt pondus ſubſcriptionum ad diſperſae Eccle-
ſiae Magiſterium repraeſentandum.

VI. Deſcripti porrò in his & ſimilibus ſubſcriptionibus
modi notitia, atque ordinis, quem accuratius ex Gelaſio de-
dimus, haud fruſtranea eſt cenſenda. Facit enim primo,
ut univerſis ſit perſuaſum, in hiſce Encyclicis Eccleſiae
magiſterium fuiſſe repraeſentatum: Siquidem docentibus
per epiſtolas, vota, & ſubſcriptiones Epiſcopis, propoſitum
dogma eſſe Eccleſiae, cujus eſt propria indefectibilitatis
praerogativa, fideles tuto ſciebant credenda, & pravas im-
poſtorum doctrinas refugiebant. Facit inſuper, ut non
aequè feramus, & citra reprehenſionem quoſdam non igno-
tae alioquin literaturae viros, quos aliquoties in congreſſi-
bus literariis audivimus pronunciantes audacter, Scriptores
exorbitaſſe in numero annotando ſubſcriptionum, ſive En-
cyclicis, ſive Conciliis factarum; aut ad minimum excepto-
rum oſcitantiâ menda plurima, eaque praeter modum ir-
repſiſſe. Hi ſane quod ſcribit Athanaſius, in Synodo Sardi- 347
cenſi modo 300., modo 400., & ubi de Nicaena formula,
1200. ſubſcripſiſſe Epiſcopos; quod alii de ſimilibus nume-
roſioribus ſubſcriptionibus referunt, inter quiſquilias ha-

bent. Ita iis fere contingit, qui addiſcendis ſacroſanctis Eccleſiae monumentis incumbentes, excerptores tantummodo legunt, ipſiſque (quod ſummum eſt Chriſtiano, eique literato homini nefas) fontibus relictis, conſuetudinum atque morum collationem, & ipſorummet monumentorum examen ſeponunt, aut parvi pendunt. Ea itaque in hiſce ſtudiis fixa ſit regula, ut ipſos imprimis fontes inquirant horum ſtudiorum Candidati, rerum origines perpetua collatione aſſequantur, modos penſitent, & excerptores deinde atque abbreviatores, quos velint, percurrant. Interim enucleatius de ſubſcriptionibus hiſce diſſeruimus, ut & antiquorum dicta tueremur, & ſimul indubia veritas exemplo quopiam illuſtri comprobaretur, numerum ſcilicet ab iiſdem laudatum minime Hiſtoriae fidem excedere. Ut propterea ſi aſſeveretur, 1200. Epiſcopos Nicaenae formulae ſubſcripſiſſe, ſciolis quidem id creditu arduum difficileque videatur, ex iis verò qui modum tum Encyclicarum, tum geſtorum poſt Nicaenum Concilium perſpectum habent, quique norint deſcriptam ſolicitudinem Primatibus fuiſſe impoſitam, nullus ambigat, quin non 1200. ſolum, ſed plurimi etiam potuerint Nicaenae fidei ſubſcribere, & aſſenſum praebere. Eadem ratione nil mirum eſt, referri ab Athanaſio vel 300., vel 400., vel ſi omnes ſimul ſumantur, 700. Epiſcopos Sardicen-
347 ſi Synodo ſubſcripſiſſe, cum illius Encyclica per Orbem à Primatibus, deinde ab Athanaſio ſuorum Presbyterorum operâ fuerit Eccleſiis intimata: atque adeo nedum 700. ſed 1000., & 2000., & ultra dici potuerit ſubſcribentium Epiſcoporum numerus.

VII. Non ſecùs verum cenſebitur Dalmatii, Sanctiſſimi Monachi dictum, qui agnoſcens excitas ab Orientalibus Schiſ-
431 maticis in S. Cyrillum, & Synodum Epheſinam turbas, Imperatorem primùm admonuit de vi ſuorum Comitum contra legitimi Concilii libertatem, mox ſuggeſtum conſcendens, Populum pro concione advocavit, & ut legimus in Actis Epheſini Concilii, inter alia dixit. *Ceterum pro altera parte Cyrilliana coram omnibus dixi: Sex millia Epiſcoporum audire mavis, aut unum tantum hominem, eumque impium. Sex millia autem eos aïebam, qui ſub Metropolitanorum Sanctiſſimorum Epiſcoporum poteſtate degebant*. Idipſum anteaquam

populo

Digitized by Google

populo denunciaret, aſſeveranter dixerat, & coram Imperatore probaverat. Reſpicit autem ad Cyrillianam Encyclicam, quam ante Epheſinam Synodum ad Ruſum Theſſalonicenſem ſubſcribendam direxerat, à quo innumeri pendebant Epiſcopi: direxerat & ad Caeſareenſem Exarcham, atque ad Occidentales omnes, praeter ampliſſimam Aegypti Diaeceſim, & Africanas omnes Provincias. Quoniam vero, Primatibus ac Metropolitanis ſubſcribentibus, de reliquorum ſubjacentium Epiſcoporum aſſenſu nihil erat dubitandum, minime videri debet incredibilis numerus ille, praeſertim ſi advertamus, univerſam Aſiam, Africam, & Europam Catholicae tunc fuiſſe Fidei, & innumerabiles partium illarum Civitates ſuos Epiſcopos habuiſſe.

VIII. Id quod etiam circa Dogmaticam S. Leonis epiſtolam contigiſſe reor, quam à 1200. Epiſcopis ſubſcriptam, aſſerere in plena Chalcedonenſi Synodo non dubitavit Cecropius. Quum enim Actione IV. Chalced. Aegyptii XIV. 451
Epiſcopi tergiverſarentur ſubſcribere detrectantes, ceù rebelles, non alio illos argumento proſcribendos aït Cecropius, niſi quod jam 1200. Epiſcopi Dogmaticae ſubſcripſiſſent. *Epiſtolae Leonis ſubſcribant, anathematizantes Eutychem, & Dogma ejus; conſentiant epiſtolae Leonis: qui non ſubſcribit haereticus eſt. Univerſalis haec Synodus Aegyptiaca major eſt, & fide dignior. Non eſt juſtum, decem haereticos audire, & praetermitti mille ducentos Epiſcopos.* Porrò cum Synodo Chalcedonenſi ſexcentos tantum atque triginta Epiſcopos interfuiſſe certum ſit, nec in tanto conſenſu MSS. Codd. Graecorum, & Latinorum probabilis Cl. Baluzii conjectura, qui Notariorum, atque exſcriptorum mendum ſuſpicatur, reliquum eſt, ut potior ille numerus de iis intelligatur, qui per Orbem diſperſi, praecedenti anno tam per Orientis Provincias, quàm Occidentis Dogmaticae Leonis ſubſcripſerant.

IX. Modus autem hic ſubſcriptionum, ut Encyclica ad Primatem deferretur, qui eam ſive in Presbyterio, ſive in Synodo probatam, ad Provinciae ſuae Epiſcopos ſubſcribendam dirigeret; ſubſcriptiones autem ad eum remitterentur, à quo Encyclica primùm prodierat; perſeveravit ad Hormiſdae uſque tempora. Quod pariter ex actis in cauſ- 514

ſa Acaciana conſtat, quando Schiſmatici reſcipiſcere ſub Hormiſda coeperunt. Miſerat Pontifex per Dominicos curſores Encyclicam una cum Formulario ſubſcribendam; atque hanc curſoribus inſtructionem dedit, quae inter Hormiſdae epiſtolas Tom. II. Concil. pag. 1031. legitur. *Cum Dei adjutorio, & orationibus SS. Petri, & Pauli veniens Nicopolim, ſic debes agere, ut poſtquam Epiſcopus Nicopolitanus acceperit literas noſtras, Epiſcopos quos in ſua parochia habet, colligat, & faciat ſubſcribere libellum, quem in epiſtolis ſuis habet annexum. Si tamen dixerit praedictus Epiſcopus, eſſe laborioſum Epiſcopos colligere, dirigat tecum perſonas per ſingulos Epiſcopos, ut te praeſente ſubſcribant praedictum libellum. Sic tamen cum Dei miſericordia facere debes, ut epiſtolae, quae à nobis miſſae ſunt, publicè legantur, aut ſi videris prae timore hoc Epiſcopos facere nolle, ſaltem Clericis ſuis haec relegant; quae tamen in ipſorum dimitte poteſtatem. Et ſcripta Epiſcoporum, & illius Epiſcopi, hoc eſt, Johannis Metropolitani ad nos cum Dei miſericordia reporta.* Percurrantur & reliqua in eadem cauſſa edicta, ſive commonitoria, ſive relationes, & abunde confirmata deprehendentur quae hactenùs diſſeruimus de jure Metropolitico, de ſubjacentium Epiſcoporum conſenſu, ad Metropolitani approbationem ſecuto, de publica Encyclicae recitatione in Presbyterio primùm, aut Synodo, deinde coram Populo, deque ſubſcriptionibus & ſubſcriptis chirographis ad eum miſſis, qui Encyclicam primus direxerat. Haec omnia loco laudato habes apud Conciliorum collectores.

X. Earumdem ſubſcriptionum ad fidem adſtruendam pondus ex ipſo Haereticorum ſtudio in eiſdem colligendis de-
320 ducitur. Poſteaquam Alexander una cum Alexandrina Synodo Encyclicam decrevit ad Orbis Epiſcopos dirigere, Arius Euſebii Nicomedienſis patrocinium expertus, cujus obſequiis ſe totum dederat, eidem author fuit, ut in Synodo Nicomedienſi Antencyclicam ſcriberet, cum pro impia doctrina fuco aliquo obtegenda, tum ut praecipitem atque injuſtam oſtenderet Alexandri ſententiam, ceterorumque Epiſcoporum animos à ſubſcribenda Encyclica averteret. Nicomedienſis itaque Euſebius, data ad Paulinum Tyrium Metropolitam, ad Caeſareenſem Euſebium alioſque

Palaeſtinae Epiſcopos Antencyclica, id egit, ut iidem Ario reſcribentes, communicatorias epiſtolas traderent. Arii & aſſeclarum audaciam perſtringit in eadem epiſtola Alexander. *Iſtos verò à Fratribus anathemati addictos, nemo veſtrum excipiat, neque eorum verba, vel ſcripta audire ſuſtineat: omnia enim praeſtigiatores ementiuntur, veritatem loqui neſciunt. Nam per Urbes circumcurſant, non alio quidem ſtudio adducti, quam ut amicitia obtenta, & pacis nomine literas per ſimulationem aſſentationemque dent, accipiantque, quò per illas in errorem mulierculas paucas, peccatis oneratas, quas dolo deceperint, facilius inducant.* Omnibus itaque erat exploratum, Encyclicas ultro citroque miſſas, veritatis praebere argumentum, quum illarum ope fidem apud incautos ancuparint praeſtigiatores. Equidem Euſebii Antencyclica, à Paulino Tyrio, & Euſebio Caeſareenſi aliiſque ſubſcripta, in cauſſa fuit, quo minus ab univerſo Orbe continuò anathema adverſus Arium diceretur. Quin etiam, ut videbimus, Arii ſequaces epiſtolas haſce Antencyclicas in Tomum redactas, diligenter religioſeque ſervabant, & grande velut pro Arii defenſione argumentum protrudebant.

XI. Ariomanitae deinde, hujuſmodi inhaerentes pravitatis veſtigiis in cauſſa Athanaſii, quum Sanctiſſimum Antiſtitem in Synodo Tyria per ſummum nefas nec auditum, nec praeſentem confictis calumniis damnaſſent, Encyclicas illicò ad Julium Romanum Pontificem, ceteroſque 335
per Orbem Epiſcopos dederunt, ut, ſi unanimiter ſubſcriberent, toto terrarum Orbe triumphum ageret Arianiſmus. Haec audiens Aegyptia Diaeceſis, gnara ſuarum eſſe partium, proprii abſentis Antiſtitis innocentiam tueri, congregati Alexandriae Epiſcopi Encyclicam ad omnes ubique Eccleſias emiſerunt, quae exſtat tum apud Athanaſ. in epiſt. ad Solitar., tum etiam Tom. 1. Concil. p. 587. *Nam & Diaconos* [ſcribunt Aegyptiaci tractus Epiſcopi] *ad Ariomanitas mittunt, qui palam cum ipſis conveniunt, literiſque ultrò citròque miſſitatis, Eccleſiam in Schiſma conjiciunt, & cum illis communicant, eaque paſſim ſcribunt, quae & haereſim commendant, & Eccleſias conviciis lacerant, ut ex literis eorum ad Romanum Epiſcopum, & fortaſſe ad vos ipſos ſcriptis, deprehendere poteſtis.* Annotentur verba illa, quibus aïunt,

Diaconos Curſores cum *Arianis convenirè*, ſive in Sacrorum uſu communicare Arianis. Id enim ea mente faciebant, ut Epiſcopi ſubjectis populis oſtendere poſſent, ſe cum aliarum Eccleſiarum legatis communicantes, plures habere conſentientes. Tanti habebatur Dominici curſoris ad publicam fidem faciendam communio.

XII. Subſcriptio verò & Pontificia confirmatio ad ſupremam authentitiam omnino exigebatur. Hinc in praecitato
476 catalogo ſubſcriptionum apud Gelaſium Cyzicenum annotatur primo loco, Acta Nicaeni Concilii à Patribus in Urbem Romam fuiſſe tranſmiſſa, utique ſubſcribenda. Non
335 aliter Conciliabulum Tyrium prolatam in Athanaſium damnationem per duos Presbyteros Julio retuliſſe, Synodus Alexandrina teſtatur. Sed receptiſſimi moris documentum, ac Pontificiae ſubſcriptionis pondus, etiamſi deeſſent alia, ex attentata Liberii in Athanaſium ſententia ſat luculenter eruitur. Mortuo Conſtante Imperatore, rerum potitus eſt Conſtantius, qui à Valente, Urſacioque, ducibus tunc Ariomanitarum circumventus, decretum de Athanaſiana damnatione vulgavit. Norant Ariani, univerſi Orbis Epiſcopos Encyclicae Sardicenſi ſubſcripſiſſe, in qua innocens Athanaſius fuerat declaratus. Certe 700. Epiſcopos id propria ſubſcriptione egiſſe, indubium eſt. Nova itaque, eâque Antencyclica ſubſcriptione opus erat, ut factum criminale judicium obliteraretur. Quare acrius bellum adverſus Atha-
353 naſium in Arelatenſi Concilio eſt proclamatum, agente ibidem Conſtantio. Convenêre plures tum ex Oriente, tum ex Occidente Epiſcopi, & quod magis eſt, ipſe adfuit Vincentius Capuanus, primarius Liberii legatus. Dicta ergo ibi fuit in Athanaſium damnationis ſententia, cui licet refragarentur plurimi, minis tamen & terroribus victi ſubſcripſerunt, ipſo etiam manus dante Vincentio, atque uno ferè totis viribus repugnante Paulino Trevirorum Epiſco-
po, qui ob id exſilio fuit multatus. Ita Hilarius lib. ad Con-
354 ſtantium, & in Fragmentis, ac Sulpitius Severus lib. 2. Poſt
401 extortas haſce, improbaſque ſubſcriptiones, Concilium aliud eodem anno celebrari juſſit ferocienti animo Imperator, ubi quidem pauci Orientales, ſed ex Occidentalibus [teſtes ſunt
440 Socrates l. 2. c. 36., & Sozomen. l. 4. c. 9.) pluſquam tre-

centi Epiſcopi interfuerunt. Omnes Athanaſianae damnationi ſubſcripſerunt, demtis Euſebio Vercellenſi, Lucifero Calaritano, & Dionyſio Mediolanenſi, qui exſilio quoque ſunt multati. Qua de re Hilarius ibi, Athanaſius ipſe in epiſt. ad Solitarios, & acta Euſebii Vercellenſis apud Baluzium in nova Conciliorum collectione pag. 29. Anno 356. alia duo Concilia eadem de cauſſa celebrata ſunt: primum quidem Biturris, ubi Galli, Hilario duce, vehementer refragati ſunt; proindeque in Phrygiam relegati, ipſo teſte Hilario in lib. de Synodis, ac Hieronymo de Scriptoribus, & Severo ibidem ſuffragantibus. Alterum eodem anno Concilium Antiochiae eſt habitum, ducibus Narciſo Ciliciae Metropolita, Theodoro Exarcha Thracico, Menophanto Exarcha Epheſino, cum Eugenio Nicaeae, & Patrophilo Scythopolis Palaeſtinae Epiſcopo. Ii aliique omnes factas Occidentalium, & Orientalium ſubſcriptiones expendentes, perinde ac ſi ritè depoſitus fuiſſet Athanaſius, Georgium Alexandriae Epiſcopum ordinarunt, atque hac de re ad omnes ubique conſtitutos Epiſcopos literas dederunt, ut Sozomenus l. 4. c. 8. teſtatur.

Tantus ſubſcribentium Epiſcoporum conſenſus Imperatori Conſtantio, & aſſeclis ſufficiens minime viſus eſt, niſi Liberii Romani Epiſcopi confirmatio accederet. Omnes itaque artis potentiaeque nervos intendit Imperator, ut Liberium pelliceret ad ſubſcribendum, cogeretve. Noverat, Orbem quidem ferme univerſum ſubſcriptione firmaſſe, quam in Encyclica Ariani propoſuerant, Athanaſii damnationem, ſed caſſum eſſe fruſtraneumque laborem omnem, niſi Pontificem haberet conſentientem. Id quod ita deſcribit Athanaſius in epiſt. ad Solitar. p. 832. *Quum Liberium vidiſſent Orthodoxum, & oſorem quidem Arianicae ſectae, ſtudioſum vero in hoc ut cunctos ab ea haereſi retraheret, mittit Eunuchum quendam Euſebium cum literis, & donis.* Referre pergit, quomodo Eunuchi verba ſpreverit, abjeceritque dona Liberius. Id ipſum Marcellino proditum, qui lib. 15. c. 7. ad haec 380
ſubjungit. *Id enim ille Athanaſio ſemper infeſtus, licet ſciret impletum* [prodiderat antea quae nos de totius Orbis Epiſcoporum ſubſcriptione diſſeruimus] *tamen authoritate quoque, qua potiuntur aeternae Urbis Epiſcopi, firmari deſiderio ni-*

tebatur ardenti . Imo cum ad comitatum Liberium adduci juberet Imperator , ibidemque eſſet *Epictetus* , *atrox & dirus de centum cellis Epiſcopus* , ut aïunt in libello precum Fauſtinus & Marcellinus ; Pontifex in Conſiſtorio coram Imperatore , velut reus, conſtitutus , imperturbato conſtantique reſiſtit animo , & quum Epictetus diceret . *Quota pars es Orbis terrarum , ut tu ſolus homini impio* (Athanaſium ita vera impietatis ſentina vocabat) *ſuffragari velis* ? Optimè excepit . *Etiamſi ſolus ſim , fidei tamen cauſſa non icciτco minuitur* . Exſilio itaque & ipſe multatus eſt , & quam pro itinere pecuniarum ſummam ſibi obtulerant Im-
423 perator , Imperatrix & alii , conſtantiſſimè reſpuit . Vide ſis hac de re Theodoritum l. 2. c. 16. Ex his perſpicere eſt , quanto in pretio etiam apud Arianos fuerit aeternae Urbis Epiſcopi ſubſcriptio , atque Encyclicae , ut haec fidem faceret indubiam , confirmatio .

XIII. Dictum eſt in ſuperioribus , & ad praeſens illuſtrandum argumentum quammaximè ducit , poſt diviſionem Eccleſiarum in Orientalem , & Occidentalem , inductam fuiſſe conſuetudinem , ut , ſi in Oriente Concilium celebraretur , Pontifex , adhibito Occidentalium Concilio , in Occidente rem controverſam finiret ; ſubindeque Latini Epiſcopi in altera Encyclica epiſtola , omnium votis ſententiiſque ſubſcripta , propriam ſententiam exponerent , & Legatos dirigerent , duos quidem Apoſtolicae Sedis perſonam repraeſentantes , alterum Concilii Occidentalium . Id
680 expreſſius videre licet executioni mandatum in Synodo VI. , ubi Actione IV. ambarum partium epiſtolae leguntur . Illi autem , quae eſt Occidentalium , adjunctae leguntur Epiſcoporum Occidentis ſubſcriptiones . Eidem igitur Pontifex ſimul & Epiſcopi ſubſcribebant . Haec erat ſubſcriptionum forma , Pontificis quidem . *Agatho Epiſcopus S. Dei Catholicae , atque Apoſtolicae Eccleſiae , Urbis Romae , huic ſuggeſtioni cum generalitate totius Apoſtolicae Sedis Concilii , pro rectitudine Apoſtolicae confeſſionis factae , ſicut ſuperius continetur , conſenſi , & ſubſcripſi* . Mox Epiſcoporum reliquorum ſubſcriptiones in hunc modum leguntur factae . *Andreas gratia Dei Epiſcopus Sanctae Oſtienſis Eccleſiae , in hanc ſuggeſtionem , quam pro Apoſtolica noſtra fide unanimiter conſtruximus* ,

ſimili-

ſimiliter ſubſcripſi. Eadem forma reliqui leguntur ſubſcripſiſſe in Actione IV., Tom. III. Concil. edit. Hard. p. 1126.

XIV. In ſubſcriptionibus porrò ii, quorum intererat, animadvertebant imprimis, an characteres adeſſent & ſigna, unde facilè dignoſci poterat, ullum ne eſſet falſationis periculum. Inde eſt quod Cyprianus, accepta à Clero Romano epiſtola Encyclica (cujuſmodi eam fuiſſe, prodit facta ab Authoribus ad calcem annotatio, ut videlicet ad omnes perferretur Eccleſias) eam abſque ulla inſcriptione exaratam videns, tametſi Dominicus adeſſet Curſor, id egit, quod ſcribit ad eundem Clerum epiſt. 4. *Legi etiam literas, in quibus nec qui ſcripſerint, nec ad quos ſcriptum ſit, ſignificanter expreſſum eſt. Et quoniam me in iiſdem literis, & ſcriptura, & ſenſus, & chartae quoque moverunt, nequid ex vero vel ſubtractum ſit, vel immutatum, eandem ad vos epiſtolam authenticam remiſi, ut recognoſcatis an ipſa ſit, quam Clementio Hypodiacono perferendam dediſtis*. Tanti erat de Encyclica decipi, ut ne viro quidem Eccleſiaſtico, vi ceteroquin officii & muneris commendatiſſimo, fides adhiberetur, ſi Encyclicam notis propriis atque ſignis deſtitutam prae ſe tuliſſet. Subjungit autem monitum digniſſimum annotatu, quo religioſiſſima in ſuſcipiundis Encyclicis cautio commendatur. *Per quam enim grave eſt, ſi epiſtolae Clericae veritas mendacio aliquo & fraude corrupta eſt. Hoc igitur ut ſcire poſſimus, & ſcriptura, & ſubſcriptio an vera ſit, recognoſcite, & nobis quid ſit in vero, reſcribite*. Quam ob cauſſam commiſerit Romanus Clerus, ut adeo vulgatam, tantique momenti conſuetudinem praeteriret, incautè ne, an data opera, prorſus compertum non habeo. Illud tamen certiſſimum eſt, & Romae, & per totum Eccleſiaſticum Orbem hunc viguiſſe morem, ut Encyclicae forma communis vulgariſque eſſet, atque ex uſitatis ſignis dignoſceretur. Quapropter quum poſt habitam Chalcedonenſem Synodum, diſciſsâ in duas partes Aegypto ſub Timotheo Aeluro, Alexandrinae Sedis invaſore, & S. Proterii Alexandrini Epiſcopi interfectore, Synodus ſeditioſorum coácta, epiſtolam ad Leonem Imperatorem direxiſſet, ut ad examen Chalcedonenſis Concilii acta revocarentur, quae & in Aegypto, & in aliis regionibus jam reprobata jactabat; Epiſcopi Catholi-

248

456

ci libellum alterum ad Imperatorem direxerunt, in quo impoſtoris Timothei, & ſociorum facinora referabant. Utramque epiſtolam ad Leonem Pontificem direxit Imperator. Pontifex autem illico in ſeditioſorum epiſtola fraudem detexit, de qua in epiſtola 75.: *Oblatae ſunt pietati veſtrae preces, quarum exemplaria literis veſtris ſubdidiſtis. Sed in his quae Catholicorum ſunt deplorantium ſubſcriptio continetur; & quia cauſſa probabilis eſt, fiducialiter nomina ſingulorum, vel dignitas ſui honoris aperitur. In illis autem, quas Orthodoxo Principi haeretica porrigere non formidavit obreptio, ſub incerto confuſae univerſitatis vocabulo, ideo certum nomen retrahitur, ne non ſolum paucitas perſonarum, ſed etiam meritum detegatur. Latere enim ſibi utile exiſtimat eorum quantitas, quorum et qualitas judicata; nec incongruè cujus loci homines ſint profiteri metuunt, qui meruerunt damnari. In una ergo Catholicorum ſupplicatio continetur, in alia Haereticorum commenta panduntur.* Unde conſtat haſce Encyclicas ex ſubſcriptionibus etiam fuiſſe cognitas, atque ipſaſmet ſubſcriptiones diligenti criterio fuiſſe expenſas. Hinc etiam factum reor, ut per Metropolitanum conſenſus Suffraganeorum denunciaretur, quòd Epiſcoporum characterem dignoſceret primae Sedis Antiſtes, cujus itidem character apud Eccleſias erat notior ob frequenter datas ultro citroque Pacificas.

XV. Subſcriptiones verò authenticae ſumma fide ac reli-
372 gione in archivis primae Sedis ſervabantur. Damaſus ad petitionem S. Baſilii & reliquorum egregiam navaverat operam per Dorotheum Diaconum ad Orientales directum (de quo crebra in epiſtolis S. Baſilii, Meletio Antiocheno datis, mentio fit) ut tandem Antiochenum Schiſma, ob controverſiam de vocibus excitum conſopiret. Direxerat etiam,
381 ut Synodus Oecumenica II. loquitur, *Tomum Occidentalium*, cui Meletius, aliique 150. Epiſcopi ſubſcripſerunt, quique in authentico reſervabatur in archivis Apoſtolicae
378 Sedis ſubſcriptus. Ejus extat memoria in Synodo Romana ſub Damaſo, in qua idem Tomus cum ſuis ſubſcriptionibus eſt expenſus. Synodi autem acta primus vulgavit in collectione Romana Holſtenius, apud quem pag. 175. legimus. *Explicit haec epiſtola, vel expoſitio Synodi Romanae habitae ſub Damaſo Papa, & tranſmiſſa ad Orientem, in qua*

omnis Orientalis Eccleſia , facta Synodo apud Antiochiam , con-
ſona fide credentes , & omnes ita conſentientes eidem ſuper expo-
ſitae fidei , ſinguli ſua ſubſcriptione confirmant . Subjiciuntur
ſeptem Epiſcoporum nomina , qui praeter ſubſcriptiones ,
vota quoque addiderunt . Ex mox . *Similiter & alii* 146.
Orientales Epiſcopi ſubſcripſerunt , quorum ſubſcriptio in authen-
ticum hodie in archivo Romanae Eccleſiae tenetur , ſeu cuſtodi-
tur . Haud aliter Encyclicum Tomum ad Armenios à Pro- 435
clo Conſtantinopolitano miſſum , in quo Theodori Mopſue-
ſteni blaſphemiae denunciabantur , ac damnabantur , Vi-
gilii Pontificis temporibus in archivis Romanae Eccleſiae
fuiſſe adſervatum , teſtis ipſe Vigilius in ſententia dam- 552
nationis contra Ruſticum , & Sebaſtianum Diaconos lata ,
quae E. in Actis Concilii V. Collat. VII. Tom. III. Con
cil. Hard. p. 175 & ſeqq. Sic enim Sebaſtianum alloquitur .
Dicta verò Theodori Mopſueſteni aſſerebas te in Roma Urbe in-
ter aliquos Codices inveniſſe , quae confirmabas omni exſecra-
tione & blaſphemiis eſſe completa . Haec dicendo in noſtro obſe-
quio , & in Eccleſia publicè , & in Placidias officium Diaco-
natus implebas . Ut ergo Romana Eccleſia ſuas cum ſub-
ſcriptionibus Encyclicas , atque imprimis autographas &
authenticas accuratiſſima cuſtodiebat ſolicitudine ; ita reli-
quas praeſertim ſpectatiſſimas Sedes Encyclicas tum ſuas ,
tum aliarum in ſuis archivis ad indubium veritatis argu-
mentum reſervaſſe , nihil eſt dubitandum . Hinc quum
Zoſimus Tractoriam , ſeu Encyclicam adverſus Pelagianos 417
& aſſeclas ad Orbis totius Epiſcopos ſubſcribendam dire-
xit, qua , ùt aït S. Proſper contra Collatorem c. 2. *Africa-* 444
norum Conciliorum decretis ſententiae ſuae robur adnexuit , &
ad impiorum detruncationem gladio Petri dextras omnium ar-
mavit Antiſtitum : & quâ ubique ſuſcepta & ſubſcripta , Pe-
lagiani in haereticorum cenſum ſunt relati ; id etiam ob-
tinuit , ut eadem in Eccleſiarum omnium ſcriniis adſerva-
retur , teſte Mario Mercatore in commonitorio , ubi ſic : 428
Atque ob hoc à Beatae Memoriae praedicto Zoſimo Epiſcopo ſcrip-
tis ampliſſimis , vel longiſſimis damnatus eſt . In quibus & ipſa
capitula , de quibus accuſatus fuerat , continentur , & omnis
cauſſa tam de Coeleſtio ſupraſcripto , quam de Pelagio, magi-
ſtro ejus praviore , videtur eſſe narrata : Quorum ſcriptorum &

nos hic habemus exemplaria, & Orientalis Eccleſia, Aegypti Diaeceſim, & Conſtantinopolim, & Hieroſolyma ſimilia, eademque ſcripta ad Epiſcopos tranſmiſſa eſſe ſuggerimus : Aït autem Mercator : *Similia, eademque ſcripta ad Epiſcopos tranſmiſſa* : quibus ſignificare videtur, omnia, ſive primam Africani Concilii denunciationem, ſive *additum* per Zoſimi Tractoriam *robur*, ſive denique ipſa Epiſcoporum vota per Orbem fuiſſe directa, ut omnes conſpirantem agnoſcerent Epiſcoporum conſenſum. Non ſecus factas in cauſſa Acaciana ſubſcriptiones ad Apoſtolicam Se-
514 dem deſtinari, Dominicis Curſoribus mandavit Hormiſdas, earumque occurrit in exſtantibus relationibus mentio : &
649 Martinus I. jubet Theſſalonicenſi Primati, ut ſubſcriptiones Encyclicae, ab ipſo contra Monothelitas evulgatae, undequaque corrogatas dirigat Romam.

XVI. Quanti porro iſtiuſmodi Encyclicarum ſubſcriptiones ponderis aeſtimiique eſſent, ſat luculenter colligitur ex inſanis Acacianorum artibus, qui quas ad Hormiſdam reportabant Curſores, auferre ac ſupprimere omni conatu tentarunt, ut ſcribunt tum ipſe Hormiſdas, tum in ejus
870 vita Anaſtaſius. Id ipſum à Photianis tentatum, VIII. Sy-
869 nodi acta teſtantur. Sed id prae reliquis egregiè confirmat Concilium Antiochenum. Agebat anno 360. Antiochiae Conſtantius, Synodumque coëgerat, in qua Meletius dictus eſt ejuſdem Urbis Epiſcopus, & Ariani Filium Patri omnino diſſimilem pronunciarunt, unde Anomoei dicti ſunt & Exucontii ; quod ſcilicet Filium Πάντα ἀνόμοιον τῷ πατρί per omnia diſſimilem Patri, & ἐξ οὐκ ὄντων ex non entibus factum arbitrarentur : imo & formulam, communi omnium ſubſcriptione firmatam, Euſebio Samoſateno dederunt cuſtodiendam. Formulae ſubſcripſerant Ariani, Se-
423 miariani, & Homoouſiani, ex Theodorito l. 2. c. 3: ſubjungente. *Atque id decretum cum hi, tum illi, tanquam commune pactum Euſebio Samoſatenſi Epiſcopo ſervandum tradiderunt, generoſo veritatis propugnatori*. Sed poenitentia ex utraque parte ducti ſubinde Epiſcopi, ne per iſtiuſmodi ſubſcriptiones exſecrabilis illius blaſphemiae convincerentur, authenticum ſubſcriptionum exemplar repetere voluerunt ; ſed reſtitit Euſebius, ac ne ad ipſius quidem repetitas Conſtantii juſſiones ceſſit, eodem Theodorito teſte, qui enar-

ratis

ratis ſubſcribentium precibus , Conſtantio ob eam rem por-
rectis , ſubjungit *Quibus obſecutus Imperator , unum ex iis*
miſit , qui permutatis equis publicis itinera conficere , & quam
celerrimè reſponſa perferre ſolent . Is cum ad Euſebium veniſ-
ſet , & Imperatoris ei mandata expoſuiſſet , tunc admirandus
Euſebius , non poſſum , inquit , commune depoſitum reſtituere , ni-
ſi congregatis prius univerſis Epiſcopis , qui mihi illud commen-
daverunt . Et nuntius quidem haec ad Imperatorem retulit .
Hic verò ira ſuccenſus , denuo ſcripſit , decretum reddi jubens :
Adjecitque , mandaſſe ſe , ut dextra illi manus abſcinderetur ,
niſi decretum reddidiſſet . Verum haec terroris tantum incutien-
di cauſſa ſcripſerat . Perlatori enim epiſtolae mandavit , ne id
quod ipſe minatus fuerat , exequeretur . At divinus ille vir,
perlectis Imperatoris literis , cum ſupplicium quod ipſi intenta-
batur , didiciſſet , una cum dextra ſiniſtram quoque manum proten-
dit , ambas abſcindi jubens . Nam decretum , inquit , non red-
dam , quo Arianorum improbitas apertiſſimè convincatur . Hanc
ejus fortitudinem cum Conſtantius cognoviſſet , & tunc laudans pluri-
mum , & poſtea mirari non deſiit . Hiſtoria quidem haec ſat
evidenter commonſtrat , quo in pretio ad fidem faciendam
haberentur ſubſcriptiones , quarum authenticum tradeba-
tur cuſtodiendum , tantaque religione & conſtantia ſer-
vabatur .

XVII. Si verò Encyclicae fieret univerſalis toto Orbe
ſubſcriptio , aut potior ſaltem Epiſcoporum ſubſcriberet
numerus , tum qui ſubſcribere detrectabant, Haereticis ac-
cenſebantur . Georgius injuſtus Alexandrinae Sedis , deje-
cto Athanaſio , invaſor , Arianiſmum cum Sede mordicus
tuebatur : imo quum eodem tempore Aëtiana doctrina
purum putum Arianiſmum proponens , adverſus Semiaria-
nos aeque ac Homoouſianos decertaret , illam tunc profi-
tebatur Georgius , quando lapſi Ariminenſes Epiſcopi Se- 359
miarianorum formulam probaverant , & quod egerant Occi-
dentales Arimini , id ipſum Seleuciae praeſtiterant Orien- 359
tales ; qui eandem formulam Conſtantinopoli cum Marci
Arethuſii additionibus edentes , & imperiali decreto , pro-
priaque ſubſcriptione firmantes , ubique per Orientem vul-
garunt . De qua Socrates l. 2. capp. 42. 43. Degebat tunc 440
Alexandriae Aëtius , & Georgii patrocinio fultus , Aria-

norum

norum tuebatur cauſſam, & propagabat perfidiam. Syno-
360 dus interim Conſtantinopolitana Encyclicam cum formula direxit, jubens, ut exſilio multaretur Aëtius, & Aëtiani ſpeciatim omnes ſubſcriberent. Epiſtolam ut accepit Georgius, veritus, ne tanquam Haereticus traductus, è propria Sede disjiceretur, Presbyterio advocato, ut alios, ita imprimis Aëtianos coëgit ſubſcribere. Ita Philoſtor-
425 gius l. 7. n. 2. *Cum Georgius Alexandriae Epiſcopus Concilio praeſideret, & eos qui idem cum Aëtio ſentiebant, epiſtolae adverſus Aëtium, ſubſcribere cogeret*. In Graeco Philoſtorgiano textu eſt, τόμον τὸν κατὰ Ἀετίου: ita vocat praedictam Encyclicam Synodi Conſtantinopolitanae, quam & refert
423 Theodoritus l. 2. H. E. c. 28. Pro Concilio autem eſt συνέδριν. Ad ea verba Holſtenius: *De Presbyterorum Alexandrinorum Collegio, & prima inter ipſos Epiſcopi Cathedra, ex S. Hieronymo, & Hilari Diaconi ſententia colligitur*. Quamquam rectius hoc loco Valeſius συνέδρων non Collegium Preſbyterorum, ſed Synodum Epiſcoporum Aegypti interpretetur, quos Georgius Alexandriae collegerat. Interim en quanta perſuaſione, dum vigebat ut plurimum Encyclicarum medium & uſus, refragatores poſt communem Epiſcoporum ſubſcriptionem, Encyclicae factam, abs Eccleſiae communione putarentur reſciſſi. Quod adeo certum eſt, ut qui auſi quandoque ſunt refragari, Canonicis illicò poenis ſubderentur. Hinc Pelagiani ab Africanorum Synodis (quarum decretis annexum erat Zoſimi *Tractatoriae robur*) damnati, accedente Epiſcoporum ſubſcriptio-
428 ne, Haeretici apud omnes ſunt habiti. Iccirco Marius Mercator in laudato commonitorio ſcripſit. *Quae omnia ſupraſcripta capitula .... continet illa beatae memoriae Epiſcopi Zoſimi epiſtola, quae Tractatoria dicitur, qua Coeleſtius, Pelagiuſque damnati ſunt, quae & per totum Orbem miſſa, ſubſcriptionibus SS. Patrum eſt roborata, cui Julianus, & reliqui complices ejus ſubſcribere detrectantes, conſentaneoſque ſe nolentes eiſdem Patribus facere, non ſolum Imperialibus legibus, ſed & Sacerdotalibus ſtatutis depoſiti atque exautborati, ex omni Italia deturbati ſunt*. Legantur S. Auguſtini libri adverſus eundem Julianum exarati, ubi ex hiſce Orbis ſubſcriptionibus deducit, meritò Julianum, ſocioſque refragato-

res Epiſcopos, ceu Haereticos, atque depoſitos fuiſſe habitos apud omnes ubique terrarum Eccleſias.

XVIII. Exſtat in Synodo Chalcedon. Act. IV. illuſtre ejuſdem perſuaſionis documentum. Suſcepta fuerat cum antea, tum in ipſa Actione IV. ſollenni voto & ſubſcriptione S. Leonis Dogmatica; adeo quidem ut in Tomo Encyclico 1200. Epiſcopi numerarentur ſubſcripti. Quatuordecim Aegyptii Epiſcopi, Dioſcori aſſeclae, & jam ſuis è Sedibus dejecti, ſubſcribere detrectabant. Hos, quibuſcum humanius agendum decreverat Synodus, hortationibus pellicere ad ſubſcribendum aggreditur. Cauſſabantur illi tamen Aegypti conſuetudinem, ut praeter Patriarchae conſenſum nemini liceret publicè edictis ſubſcribere. Patres exceptionem hanc primò rejecerunt, communi voto obteſtantes. *Qui non ſubſcribunt haeretici ſunt*. Sed poſt varias hinc & inde interlocutiones, tandem Apoſtolicae Sedis Legati hocce ex humanitate, & condeſcenſione temperamentum propoſuerunt, pag. 518. *Epiſcopi Aegyptiorum non ut repugnantes Catholicae fidei, ſubſcribere in praeſenti diſtulerunt epiſtolae Sanctiſſimi Leonis, ſed dicentes conſuetudinem eſſe in Aegyptiaca regione, extra ſententiam, & juſſionem Archiepiſcopi nihil tale eſſe poſſe: poſcunt autem ſuſtineri ſe, donec conſecretur qui ordinandus eſt magnae Civitatis Alexandriae, rationabile nobis, & clemens eſſe apparuit, ut in eodem habitu expectent in regia Civitate, & dilationem habeant uſque ad ordinationem Archiepiſcopi*. Ex quibus primò quidem firmata manet, quam toties refricuimus, conſuetudo, ut à Primate ſubſcriberentur Encyclicae, cujus exemplo ſubjacentes Epiſcopos ſubſcribere conſueviſſe, docet haec Legatorum interlocutio. Patet deinde, Aegyptiis conceſſam quidem ex clementia talem dilationem, ita tamen ut in Regia Civitate *in eodem habitu*, ut depoſiti videlicet, permanerent. Alia hîc ſuperſedemus congerere, quòd haec ſubſcriptionum materies, cum fuſiori minimè videatur indigere explanatione, tum alibi in particularibus Encyclicis ſit pertractanda. 451

§. XVI.

DE TOMIS ENCYCLICIS.

Synopſis.

I. *Univerſalis Eccleſiarum conſenſus quomodo exploretur.* II. *Eccleſiaſtici Scriptores multa ex Encyclicis epiſtolis Hiſtoriae capita collegerunt.* III. *Primorum fidelium votum, ut hae epiſtolae ſimul colligerentur.* IV. *Encyclicarum volumina, ſeu Codices apud Euſebium recenſiti.* V. *Horum Codicum & Collectionum uſus.* VI. *Et autoritas in rebus Dogmaticis, ex Euſebio.* VII. *Eas interpolare ſategerunt Haeretici.* VIII. *Tomus Encyclicarum in controverſia Paſchatis editus.* IX. *Alter Encyclicus Tomus ſub Cornelio Pontifice.* X. *Harum collectionum diligens cuſtodia ex Athanaſio expenditur.* XI. *Et in Ariminenſium lapſorum palinodia.* XII. *Duplex fieri conſuevit Encyclicarum exemplar, quorum in Archivis ſervabatur alterum, alterum ad Eccleſias tranſmittebatur.* XIII. *In difficultatibus ad archiva recurrebatur.* XIV. *Haeretici horum Codicum autoritate uſi ſunt.* XV. *Imprimis Euſebiani tempore Concilii Sardicenſis.* XVI. *Iidem Encyclicam ſuam ad omnes Eccleſias miſerunt.* XVII. *Orientales Schiſmatici tempore Concilii Epheſini hiſce Tomis innitebantur.* XVIII. *Acephali improbant Tomos Encyclicos Catholicorum.*

434 I. QUoniam, ut Vincentius Lirinenſis aït, Catholicorum proprium eſt depoſitum cuſtodire, Patrum ſcita ſcrutari, & tradita velut per manus dogmata cuſtodire, ſollenne ex adverſo apud omnes ferè haereſes, antiquitatis ſemitas praeterire, ac per devia aberrantes, inter pernicioſiſſimos omnium generum errores ſordeſcere, mirum nemini videri debet, ſi in iis omnibus cuſtodiendis, quibus Apoſtolica ſtat traditio, tanta ſedulitate priſca Chriſti Eccleſia ſit verſata, pluraque ob id adinvenerit media, quae in mores inventa tranſierint. Cum enim inter tot tantaſque imperiorum confuſiones, Eccleſiarum ſingularium

tumul-

tumultus, omniumque rerum humanarum perturbationes, divinis eloquiis ſententiiſque ad coeleſtem veritatem ex hominum animis evellendam, eorumque mentes ſeducendas abuſus ſemper ſit communis hoſtis, mendaciique parens; quid verae Eccleſiae filiis reliquum erat, niſi ut divinum Canonem juxta priſcas traditiones interpretantes, univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem ſectarentur, & corruptioni partis, integritatem univerſitatis praeferentes, ſimul etiam anteponerent profanitati novitatis, religionem antiquitatis, & paucorum temeritati, Eccleſiarum Apoſtolicarum profeſſiones, & reliquarum conſentientes doctrinas? Equidem, ut in omnibus ſocietatibus, ita in Eccleſia, quae omnium auguſtiſſima ſocietas eſt, pars major & antiquior minori praejudicat, & jus integri obtinere ſolet. *Quod major pars Curiae* (inquit Jus civile L. 19. ff. ad Municip. *) efficit, pro eo habetur, ac ſi omnes egerint*. Imo quidem haec inter communes juris illius regulas habetur. *Refertur ad Univerſos, quod publicè fit per majorem partem.* L. 160. ff. de regulis juris. Quod itaque vel à majori parte ſtatuitur, aut affirmatur, jure illud Eccleſiae univerſali adſcribendum eſt, multò magis quod conjunctis omnium, vel pene omnium teſtimoniis munitur. Hunc autem Magiſtrorum, & Eccleſiarum conſenſum undenam certius atque commodius eruere poterant fideles, quam ex Encyclicis, in quibus pro re nata editis, & à Capite, ac Paſtoribus omnibus ſubſcriptis, pro majeſtate eluceſcebat depoſitum dogmatum, eorumdemque recta intelligentia? Apud illos ab initio & perſeveranter incredibili diligentia religioneque eadem ſunt adſervata; ut propterea tutiore nullo auguſtioreque medio dignoſcere poſſent antiquitatem, univerſitatem, conſenſionem, cum quod eſt apud omnes, praeſcribente Tertulliano, non ſit erratum, ſed traditum. Has ergo Encyclicas 196
Literas ad firmandam illuſtrandamque fidem, & diſciplinam editas, moris erat conquirere, ſedulo conquiſitas in unum volumen digerere, & diligenti religioſaque cuſtodia ſervare.

II. Iſtiuſmodi voluminum Codicumque aeſtimium deprehendet facile quiſquis Euſebianam Hiſtoriam percurrat, 315
quam ex epiſtolis hiſce potiſſimum fuiſſe enucleatam, qua-

rum fides, & veritas erat tunc apud Eccleſias indubitata,
exploratiſſimum eſt. Neque enim clariſſimus vir, Eccleſia-
ſticarum rerum primi aevi ſcriptor, fidem monumentorum
ex hiſce epiſtolis erueret, atque Orbi Chriſtiano propone-
ret, niſi pervia, & authentica earum fuiſſent apud omnes
425 Eccleſias exemplaria. Sabinus pariter, qui primus Conci-
liorum acta conlegit, integras id genus epiſtolas Conciliis
440 annexas, copioſiſſimo tractatu adduxit, ex quo Socrates, &
Sozomenus, quas Hiſtoriae inſeruerunt, haud diffitentur
exſcripſiſſe. Quodſi haec fuere Scriptoribus Eccleſiaſtico-
rum Annalium certa priſcarum rerum monumenta, has ſub-
limioris ſaltem argumenti Encyclicas religioſe fuiſſe cuſto-
ditas, quis ambigat? Salutatoriarum certè epiſtolarum apud
particulares Eccleſias cuſtodia edocet, quid de reliquis ſit ju-
dicandum. Quae cum ita ſint, illud probandum aggredimur,
eaſdem in diſtinctos Encyclicos Tomos, juxta varia contro-
verſiarum genera, fuiſſe compactas, atque in Eccleſiis ſal-
tem Apoſtolicis, & Matricibus adſervatas. Hinc & earum
conſtabit aeſtimium ac dignitas, ſimulque in aprico erit,
qua potiſſimum via Apoſtolica Traditio in annexis inſertiſ-
que profeſſionibus potuerit ſarta tectaque permanere.

III. Ab ipſo autem Apoſtolico tempore vehemens propa-
gatum eſt inter fideles deſiderium colligendi virorum de
Eccleſia optime meritorum epiſtolas, atque has & audien-
di, & apud ſe, ſuarumque Eccleſiarum Archiva cuſtodien-
di. Commune hoc fidelium votum repraeſentatur in Philip-
penſium precibus ad Polycarpum deſtinatis, quibus hunc
Deo plenum Antiſtitem ſolicitabant, ut cum ab ipſo, tum
ab Ignatio ſcriptas epiſtolas poſſent obtinere. Ita enim ad
108 illos reſcribit Polycarpus. *Scripſiſtis mihi & vos, & Igna-
tius, ut ſiquis vadit ad Syriam, deferat literas meas, quas
fecero ad vos; ſi habuerimus tempus opportunum, ſive ego, ſive
legatus, quem miſero pro vobis. Epiſtolas ſane Ignatii, quae
tranſmiſſae ſunt vobis ab eo, & alias quantaſcumque apud nos
habuimus, tranſmiſimus vobis (ſecundum quod mandaſtis) quae
ſunt ſubjectae huic epiſtolae; ex quibus magnus vobis erit profe-
ctus. Continent enim fidem, patientiam, & omnem aedificatio-
nem ad Dominum noſtrum pertinentem.* Verba haec, ut confoe-
derationem demonſtret, & Eccleſiarum conteſſerationem,

lau-

laudat Euſebius l. 3. c. 36. Mutuae enim erant, & Encycli- 315
cae hae epiſtolae; & tametſi uni inſcriberentur Eccleſiae,
ubique tamen deferri legique conſueverunt. Unde Ignatia-
nas omnes epiſtolas, ſuperſtite adhuc Ignatio, habebat Po-
lycarpus, earumdemque exemplaria in unum collecta ad Phi-
lippenſes tranſmiſit. Eaſdem haberi, recitarique in Eccle-
ſiis, arbitrabatur conducentiſſimum, quod *fidem continentes*,
indubitata eſſe poſſent germanorum dogmatum monumen-
ta, ac *patientiam* quidem, & *aedificationem ad Dominum* pro-
ponerent, utpote ab iis perſcriptae, quos Dominus ipſe Pa-
ſtores, Doctoreſque conſtituerat.

IV. Forma haec ab Apoſtolicis Viris invecta, ſucceſſu tem-
porum crevit, auctaque in dies, locum tribuit mutuis epiſto-
lis, Encyclicis, Formatis, Pacificis, atque Communicatoriis.
Similibus enim iis, quas Polycarpus, Ignatiuſque ediderant,
epiſtolis, Antiſtites Apoſtolicarum Eccleſiarum tum pro-
prias, tum ceteras diſſitas Eccleſias informabant, atque hor-
tabantur ad dogmata conſtanter profitenda, Religionemque
Chriſtianam defendendam. Hinc de Dionyſio Corinthio- 170
rum Epiſcopo prodit l. 4. c. 23. Euſebius. *Non ſolum populis
ſibi commiſſis, verum etiam aliarum Religionum, & Urbium in-
colis divinos labores ſuos prolixè communicavit, omnium commo-
dis utilitatique inſerviens in Catholicis illis, quas ad diverſas
Eccleſias ſcripſit, epiſtolis*. Catholicas, ſive univerſales appel-
lat, quas poſterior aetas Encyclicas nuncupare conſuevit.
Illarum porrò argumentum erat, fidei diſciplinaeque teſſeram
apud omnes promovere, & Eccleſias mutuis epiſtolis, con-
cordiaeque vinculo fortius colligare.

Pergit ſubinde Euſebius epiſtolas recenſere, quas ad ſuum
uſque tempus tot inter aetatum viciſſitudines ſervatas, at-
que in unum Volumen compactas fuiſſe teſtatur. Identi-
dem earumdem argumenta prodit, unde capita eruit Eccle-
ſiaſticae Hiſtoriae ſpectabiliſſima. Sanè ex illarum cenſu,
& compilationis ratione ſuſcepto argumento gravis accedit
comprobatio. Itaque nonnullas recenſens, hanc exhibet ſe-
riem. *Ex quibus una quidem eſt ad Lacedaemonios, rectae fi-
dei inſtructionem continens, pacemque & unitatem inſinuans*. Haec
aevo Apoſtolis proximo exarrata, ſi hodieque exſtaret, En-
cyclicarum formam certius & accuratius oſtenderet, quippe

quae unitatem in fide , atque inter fideles concordiam promoveret : quae eſt potiſſima , ac fundamentalis Encyclicarum materies. Sequitur Euſebius. *Altera verò ad Athenienſes ſcripta , excitans ad fidem , & ad vitam ex praecepto Evangelii traducendam: qua in re negligentiam arguit Athenienſium, quippe qui à fide propemodum deſciviſſent , ex quo Publius ipſorum Epiſcopus in perſecutionibus tunc temporis excitatis , martyrium ſubierat .* Hae quidem epiſtolae ad proximas Eccleſias ſunt deſtinatae ; ad remotiores tamen directas, inter plurimas, quae in eo Encyclico Tomo reſervabantur, has recolit noſter . *Eccleſiae praeterea Gortynenſium , & reliquis ſimul Eccleſiis Cretae literas ſcribens , Epiſcopum ipſorum Philippum magnopere praedicat , quippe cujus Eccleſia egregiam laudem fortitudinis , & generoſi animi omnium conſenſu retuliſſet , monetque , ut ab Haereticorum fraude , & verſutia ſibi caveant . In epiſtola verò , quam ſcribit ad Eccleſiam Amaſtrianorum , & ceteras ſimul Eccleſias Ponti , ſe quidem à Bacchylide , & Elpiſto ad ſcribendum impulſum eſſe commemorat . Epiſcopum autem ipſorum Palmam nominatim appellans , Sacrarum Scripturarum expoſitionem affert . Multa quoque de nuptiis , & de caſtitate eis praecipit : & cunctos qui à quovis lapſu , ſive delicto , ſive etiam ab haeretica pravitate reſiliunt , benigne ſuſcipi jubet .* Jam enim cauſſa coeperat in graviorum criminum reos ventilari; coeperat & ſeverior antiqua diſciplina in controverſiam vocari . Bacchylides fortaſſe , & Elpiſtus cupientes Dionyſii mentem ea de re pernoſcere , locum edendae huic Encyclicae praebuerunt. Quamobrem quum ſub initium ſequentis Seculi tertii , ut ſuo loco videbimus , agitari ea controverſia coeperit , antiquiores haſce epiſtolas Patres adduxerunt, inter quas Dionyſianam fuiſſe , nihil eſt dubitandum .

Haſce porro omnes epiſtolas non Dionyſii tantum , ſed quas etiam ab Eccleſiis mutuas acceperat , in uno quopiam Volumine ſive Tomo fuiſſe concluſas , innuit diſertis verbis Euſebius . *In eodem Volumine continetur etiam epiſtola ad Gnoſſios , in qua Pinytum Eccleſiae illius Epiſcopum monet , ne grave onus caſtitatis fratrum cervicibus tanquam neceſſarium imponat, ſed ejus , quae in pleriſque hominibus ineſt , infirmitatis rationem habeat . Cui epiſtolae reſpondens poſtea Pinytus , admiratione quidem & laudibus effert imprimis Dionyſium ; ſed tamen hor-*

tatur,

*tatur, ut ſolidiorem cibum tandem impertiat, & tranſmiſſis ite-
rum perfectioris doctrinae literis, plebem ſibi commiſſam alere
velit: ne forte lacteis ſermonibus perpetuo innutriti homines, in
infantili quadam diſciplina paullatim conſeneſcant. Quae qui-
dem epiſtola & rectam Pinyti fidem, & ſolicitudinem de profe-
ctu plebis ipſi commiſſae, eloquentiam quoque, & peritiam rerum
divinarum, velut tabella quaedam picta, egregie commonſtrat.*
Exſtabant etiam mutuo datae, acceptaeque Romanorum at-
que aliorum epiſtolae. Interim conſtat Pinyti fuiſſe duas,
eaſque inſtructivas; fuiſſe & alias Romanae Eccleſiae pariter
inſtructivas, omneſque ſimul in uno Codice Euſebii aevo
fuiſſe concluſas, 180. ſcilicet ſupra annos, à quo fuerant
emiſſae. Quamobrem receptum erat, iſtiuſmodi Encyclicas
epiſtolas una cum reſponſionibus in uno quopiam Codice re-
ſervari, cum ad fidem faciendam, tum ut inde noſſent Eccle-
ſiae antiquam dogmatum profeſſionem, atque ad inſtituen-
dam probè diſciplinam indubia haec exemplaria proferrent.
V. Anteaquam ad reliquos Encyclicos Codices gradum fa-
ciamus, recolere praeſtat Eccleſiarum propoſitum in Ency-
clicis, mutuiſque clariſſimorum virorum, & Epiſcoporum re-
ſervandis epiſtolis, unumque in codicem redigendis. Id enim
cordatus nemo factum ambiget tum ut fidei, Eccleſiarum,
Paſtorumque unitas ſarta tectaque cuſtodiretur, tum imprì-
mis, ut fideles ex uſu tunc recepto, ad Apoſtolicas, & ma-
jores Eccleſias in dubiis recurrentes, illico haberent in ſa-
cris hiſce codicibus antiquae perſeverantis dogmatum pro-
feſſionis formam, & documenta tutiſſima. Hinc ortum, ut
Patres Chriſtiani quarti Seculi, dogmata comprobaturi, has
ſaepius memorent, & magnopere commendent epiſtolarum
collectiones. Enimvero Hilarius oppugnans Arianos, Se- 354
miarianos, Aëtianos, Eunomianoſque, qui omnes agmine
facto, bellum voci ὁμοούσιον indixerant, qua Orthodoxi
unam eandemque Verbi cum Patre eſſentiam profitebantur,
vocem, ejuſque ſenſum ex communi primitivae Eccleſiae
confeſſione adſtruit, invictiſſimeque ex hiſce Encyclicis eruit,
atq; à novitate vindicat, qua per illos traducebatur vox, & vocis
ſignificatio. Haec enim in relicto ejus fragmento pag. 1301. ad
ampliſſimam ſolidiſſimamque argumenti noſtri illuſtrationem
deprehendimus. *Cum & negotium Apoſtolicis Viris ſemper fuit,*

 con-

conſtanti, & publica perfectae fidei praedicatione conatus omnes oblatrantis haereſis comprimere, & expoſita Evangeliorum veritate, perverſitatem doctrinae errantis extinguere, ut audientium mentes quadam labe contaminans contagium vitii adhaerentis infligeret. Itaque diligenter epiſtolis variis, quae de Deo Patre opinio, quae de Dei Filio cognitio, quae in Spiritu Sancto ſanctificatio oporteret eſſe, perfectè copioſèque complexi ſunt. Apoſtolici itaque Viri, quorum erat *conſtanti & publica perfectae fidei praedicatione* religionem declarare, ac tueri, ampliſſima reliquêre argumenta in epiſtolis ea mente editis, *ut comprimerent omnes oblatrantis haereſis conatus, & extinguerent doctrinae errantis perverſitatem.* Haec Hilarius Arianis, tum ſub finem imperii Conſtantii ferocientibus, ſudacter opponit, certiſſimumque proinde facit, hoſce Encyclicos codices extitiſſe, adſervantes Apoſtolicorum Virorum literas, in quorum profeſſionibus catholica veritas propugnabatur. Quidni enim potuiſſent illi regerere, vel confictas eſſe iſtiuſmodi epiſtolas, vel temere, atque ex jactantia, nullaquè bona fruge proferri. Ceterum cum inde Apoſtolicae & univerſalis fidei argumentum deducat, evidens eſt, codices hoſce vulgatos fuiſſe, atque à Sacris Tractatoribus controverſiarum occaſione vindicatos. Eoque magis ad id aſſeverandum adducor, quod affirmet, *varias* eſſe *epiſtolas*, in quibus controverſa veritas legebatur. Has ſane in Codicem fuiſſe relatas, cujus plura fuerant exemplaria, videtur certum: alioquin illarum lectio omnem ſuperaſſet particularium induſtriam, atque adverſarios ſagaciſſimus Trinitatis aſſertor ad difficillimam inquiſitionem provocaſſet.

VI. Euſebius, ut potiora Eccleſiaſticae Hiſtoriae monumenta ex illis derivavit, ita eas in dogmaticis ſcriptis adhibuit. In libris enim adverſus Marcellum Ancyranum editis, lib. 4. opuſcula cenſens, unde argumenta deſumſerit, ita habet: *Ego autem ſcriptionibus Eccleſiaſticis quampluribus perlectis, ab Origene antiquioribus olim elaboratis, & epiſtolis diverſis Synodorum, & Epiſcoporum nomine ſcriptis, in illis ſingulis eundem fidei characterem per omnia deprehendi. Ut neceſſe ſit, non parum ſecundum veritatem hanc accuſationem inſtituiſſe nuperrime iſtam haereſim adinventam.* Praeter opuſcula, & & Synodalia de fide decreta, aderant Epiſcoporum epiſto-

lae,

lae, in quibus totius Eccleſiae fides tutiſſimè dignoſcebatur. Quamobrem Epiſcoporum epiſtolae, inter quas primum obtinebant locum Encyclicae, obviae fuerint oportet, ac pervulgatae, unde argumenta, ejuſdemque fidei characterem eruebat Euſebius.

VII. Vim autem & auctoritatem argumenti ex hiſce Encyclicis deſumendi, probè agnoſcentes Haeretici, ſiquas magno pretio atque exiſtimatione ad fidem faciendam circumferri viderent, corrumpere ſatagebant. Quum enim eas de medio tollere ob diligentem Eccleſiarum ſolicitudinem perarduum difficileque videretur, corrumpere autem atque interpolare, pronum, corruptas in ſuae pravitatis patrocinium advocabant. Ita cum Encyclico Tomo Dionyſii factum, qui ob id communi bono conſulturus, epiſtolam edidit, in eundem Tomum ſubinde relatam, in qua legentes ſedulò commonet, ut ſincerum ceterarum Codicem perquirant. Euſebius enim l. 4. c. 23. ubi ſupradictarum epiſtolarum cenſum inſtituit, ita ad rem. *Idem praeterea Scriptor epiſtolas ſuas à falſariis corruptas eſſe admonet, ita ſcribens. Epiſtolas, inquit, ſcripſi rogatus à fratribus: ſed illas miniſtri quidam Diaboli zizaniis compleverunt, quaedam ex illis expungentes, quaedam adjicientes; Quos certè manet feralis illa ſententia: Vae Vobis. Non mirum igitur videri debet, ſi Sacroſancta Domini ſcripta quidam adulterare aggreſſi ſunt, quandoquidem in longè inferioribus ſcriptis idem auſi fuiſſe deprehenduntur.* Huic malo ut occurreret Eccleſia, nova ſubinde adjecit adminicula, quibus corruptionem caveret, praeſcripſitque conditiones, certoſque characteres, unde illae ab omni fraude atque interpolatione quamtutiſſim ſervarentur.

VII. Sed ad caput diſceptationis hujus regredientes, eandemque Euſebianam Hiſtoriam perluſtrantes, alios iſtiuſmodi Encyclicos Tomos deprehendimus, qui ad illius uſque tempora ſervabantur, & ex quibus, ut ille varia hiſtoriae capita conlegit, ita nos gravioris materiae documenta, & ſpectatiſſima monumentorum collectanea deprehendemus. Eodem Seculo, quo Dionyſius Corinthi Epiſcopus florebat, graviſſima mota eſt de die celebrandi Paſchatis controverſia, ob quam & Synodi coäctae, & epiſtolae ultrò citròque miſſae ſunt plurimae. Omnia in unum ſimul Eccleſiae col-

legerant, omniumque cenſum reſervavit Euſebius l. 5. c.
23. *Exſtat etiamnum epiſtola Sacerdotum, qui tunc in Palaeſti-
197 na congregati ſunt, quibus praeſidebat Theophilus Caeſareae,
& Narciſus Hieroſolymorum Epiſcopus. Alia etiam exſtat epi-
197 ſtola Synodi Romanae, cui Victoris Epiſcopi nomen praefixum
eſt. Habentur praeterea literae Epiſcoporum Ponti, quibus Pal-
ma, utpote antiquiſſimus, praefuit. Epiſtola quoque Eccleſiarum
Galliae exſtat, quibus praeerat Irenaeus. Eccleſiarum quoque in
Oſdroëna Provincia, & in Urbibus regionis illius conſtitutarum
literae viſuntur.* Hae Synodales erant, & reſponſivae viden-
tur fuiſſe ad Synodi Palaeſtinae Encyclicam antecedenter
editam. Annotandus autem, qui obſervatus eſt in illis, ordo,
ut praeſidentis nomine dicantur emiſſae, ſimulque Epiſco-
pi omnes cenſeantur voto, & ſubſcriptione in eandem ſen-
tentiam concurriſſe. Sed praeter laudatas Synodicas, lege-
bantur. & aliae particularium Epiſcoporum, qui conſen-
ſum ſuum Encyclicis fuerant teſtati. *Seorſim verò Baccylli
Corinthiorum Epiſcopi, aliorumque complurium epiſtolae exſtant;
qui omnes eandem fidem, eandemque doctrinam profitentes, unam
edidere ſententiam.* Sequebatur tandem Victoris Encyclica,
qua Polycratem etiam, & aliter ſentientes Aſianos durius
perſtrinxerat. Erat ergo diſtinctus aliquis Tomus, epiſto-
las haſce omnes complectens, quas Synodi, & Eccleſiarum
Antiſtites ea occaſione emiſerant.

IX. Sub Seculi III. initium, occaſione tum Montaniſta-
rum, qui peccata aliquot irremiſſibilia eſſe dogmatizabant,
tum Libellaticorum, & Lapſorum, qui è contrario diſci-
plinae vigorem licentiùs enervare ſtudebant; mota conten-
tio eſt, quae & primùm Eccleſias in varias ſententias di-
ſtraxerat, & erumpente Novatianorum Schiſmate, iterum
exſuſcitata, dubios & ancipites non fideles tantum, ſed &
251 Paſtores agebat. Jacturae huic obviam iturus Cornelius
Pontifex, Encyclicam edidit, cujus prolatum judicium
probantibus mutuarum epiſtolarum ope undequaque Epi-
315 ſcopis, Encyclicus alter Tomus confectus eſt. De quo Eu-
ſebius l. 6. c. 43. *Ob quam rem, quum Romae congregata eſ-
ſet Synodus, in qua ſexaginta quidem Epiſcopi, Presbyteri ve-
ro & Diaconi multo plures convenerunt, cumque in Provinciis
Antiſtites quid agendum eſſet, ſeorſim conſultaſſent, hujuſmodi de-*

cretum

cretum cunctis promulgatum eſt . Novatum quidem , & eos qui una cum ipſo ſe ſe inſolentius extulerant , & quicumque inhumaniſſimae , & à fraterna caritate alienae ejus opinioni conſentire praeſumſerant , alienos ab Eccleſia habendos eſſe : Fratres verò , qui in calamitatem inciderunt, poenitentiae remedio curandos eſſe & confovendos . Exſtant adhuc epiſtolae Cornelii Romani Epiſcopi ad Fabium Antiochenſis Eccleſiae miſſae , in quibus & Romanae Synodi geſta , & omnium per Italiam, & Africam, aliaſque locorum Provincias declarantur . Reliquos Encyclicos Tomos commodiùs cenſebimus , ubi de Encyclicis ad Nicaenum uſque Concilium evulgatis . 325

X. Tametſi verò in ſuperioribus abundè commonſtratum ſit , publica haec ſcripta , & Synodicas imprimis atque Encyclicas , ſive quae ad rem primitùs denunciandam ſcriptae fuerant, ſive quae unanimem Eccleſiarum omnium profeſſionem communionemque teſtabantur ; authentica omnia apud primariam Sedem fuiſſe repoſita , derivataque hinc exemplaria ſedulò in ceterarum Sedium archivis adſervata fuiſſe ; pleniori nihilominus diſcuſſione diligentia haec examinanda eſt , ut quod aeſtimium , quam in gravioribus terminandis diſceptationibus authoritatem obtinerent iſtiuſmodi Tomi Encyclici , ſit deinceps exploratum .

Jovïanus , poſt caedem Juliani , Imperator electus, univerſum Orientem miſerè in varias ſectas diſtractum invenit, 363
cum in una eademque Civitate multi plerumque ſederent diverſarum partium Epiſcopi , & Secta ferè quaelibet ſuum haberet .. Formulas alii Antiochenam , alii Conſtantinopolitanam , hi Semiarianam , illi Eunomianam, aut etiam Mâcedonianam apud Imperatores promovebant . Senio quidem confectus , ſed zelo ferventiſſimus aderat Athanaſius, Dei providentia euſque ſervatus , ut turbulentiſſimae Orientalis Eccleſiae conditioni medelam adhiberet , cui tametſi pauci , ſtrenuiſſimi ii tamen adſtabant in Oriente Nicaenae fidei aſſertores . Athanaſio imprimis provinciam eam demandaverat Imperator , ut veram fidei formulam praemonſtraret , quam ſuo quidem edicto Eccleſiis ſuſcipiendam imponere conſtituerat . Illo itaque praeeunte , ac Praeſide in Synodo Alexandrina , omnium vocis, ſententiiſque 363
decretum editum eſt , ut , reliquis obliteratis , ſola Nicae-

na formula evulgaretur profitenda. Decretum nomine Synodi conſcripſit Athanaſius, atque inter alia, haec adducit motiva. *Cognoſce igitur, Religioſiſſime Auguſte, hanc eſſe quae à condito aevo praedicata fuit, & quam Nicaeae Patres congregati agnoverunt, ejuſque ſuffragatrices eſſe omnibus in locis Eccleſias*. Innuit per haec ultima verba, Eccleſias omnes directis poſt Nicaenam Synodum Encyclicis per ſuos Metropolitanos ſubſcripſiſſe. Quid ita? Nonne formulae fidei conſenſum praebuerant ſuum ex omnibus propemodum tunc dierum cognitis terrae Provinciis in hanc Synodum congregati Epiſcopi? Venerunt ex Aegypto, Thebaïde, Lybia, Palaeſtina, Syria, Arabia, Meſopotamia, Perſide, Cilicia, Cappadocia, Armenia minori, majorique, Ponto Polemoniaco, Paphlagonia, Galatia, Aſia proconſulari, Lydia, Phrygia, Piſidia, Lycia, Pamphylia, Inſulari, Caria, Iſauria, Cypro, Bithynia, Europa, Dacia, Myſia, Macedonia, Achaïa, Theſſalia, Calabria, Africa, Dardania, Dalmatia, Pannonia, Galliis, Gothia, & Boſphoro, ut ex Actis perſpicuum eſt. Et tamen cùm horum omnium, tum illorum qui non adfuerant Epiſcoporum ſuffragatrices literas, eaſque dubio procul Encyclicas, emiſſas ſubinde ad univerſitatem conſenſionemque demonſtrandam regerit Athanaſius. Imo & has eo adhuc, quo haec ſcribebat, tempore exſtitiſſe in Eccleſiarum archivis aſſeverat, audacter ſubdens. *Omnium enim iſtorum, & adhuc longinquiorum animos cognovimus, & ſcripta habemus*. Omnium ſcilicet Orbis Epiſcoporum animos non in Nicaena tantum, cui interfuerat, & quibuſcum differuerat, Synodo agnoviſſe ſe aït Athanaſius, ſed etiam tum in illorum, tùm aliorum omnium ſcriptis & epiſtolis, quarum ſubſcriptarum vel autographa, vel publica exemplaria in Alexandrina Eccleſia ſervari adhuc, gloriatur, & legendarum copiam nullo negotio facere potuiſſet, ſi Imperator poſtulaſſet. Quamobrem poſt 37. annos à Nicaena Synodo in Tomo adhuc ſervabantur ſuffragatrices Epiſcoporum epiſtolae, ſuſceptis Encyclicis reſpondentium.

359 XI. Non ſecus contigit, quum poſt Ariminenſium lapſum generalia Liberii ſcripta per Orbem ſunt evulgata. Subſcripſerunt primi Occidentales, qui factam per vim Arimi-

ni

Digitized by Google

ni ſubſcriptionem antiquantes , & lapſum faſſi ſunt , & ſe-
cunda profeſſione firmarunt , quam ſemper retinuerant , Ni-
caenam fidem . Opera deinde Euſtathii & ſociorum , qui
ex Oriente ad Occidentales miſſi fuerant , eandem adver-
ſus Ariminenſe conciliabulum Conſubſtantialis Trinitatis
fidem & aſſertionem amplexi ſunt Orientales . Hae porro
retractationes omnes, & ſubſcriptiones in Eccleſiarum archi-
vis adſervabantur . Quod teſtatur S. Hieronymus in Dia- 378
logo adverſus Luciferianos , ubi lapſum Ariminenſium, &
ſcripto factam errorum ejurationem enarrans , ſubjungit .
Quod ſiquis à nobis fictum putat , ſcrinia publica ſcrutetur : ple-
nae ſunt certè Eccleſiarum arcae , & nunc adhuc rei memoria
eſt . Equidem Orientalium ſubſcriptiones in Synodo Tya- 366
nenſi examinatas , ſervataſque ſuo adhuc tempore authen-
ticas in Caeſareenſi Eccleſia, teſtatur ſupra laudatus Baſilius. 370

XII. Commendanda in hanc quoque rem venit diligen-
tia à Metropolitanis adhibita pro hiſce Encyclicis, earum-
demq; Tomis ab omni erroris labe vindicandis,quâ exempla-
riorum , quae mittebantur authentica,duo plerumque erant,
unum quod in Eccleſiarum archivis ſervabatur , alterum
quod Dominico Curſori tradi conſueverat . Tradiderant
Romani Pontifices Theſſalonicenſi Primati à tempore prae-
ſertim , quo primae & ſpectatiſſimae Orientis Sedes , Ale-
xandrina à Georgio , Antiochena , & Conſtantinopolitana
ab Arianis tyrannicè occupabantur , Vicariam poteſtatem
non tantum ſupra Provincias , quarum antea curam jure
Canonum , & juxta receptam Eccleſiarum diviſionem , ge-
rebat , ſed etiam ſupra alias , quas recenſet Innocentius I. 412
in epiſtola ad Rufum Theſſalonicenſem, quae pag.1120.Tom.
II. Concil. exſtat : adeo quidem , ut in propriis jure ordina-
rio Primatiali , in reliquis juxta Sardicenſis Concilii defi-
nitionem , Interceſſoris jure ageret . Modum hunc regimi- 347
nis ſtabilitum , conceſſumque Theſſalonicenſi Primati , in-
quiſiviſſe ſe aït Innocentius ex Apoſtolicae Sedis archivis ,
eundemque cum epiſtola direxiſſe . *Omnem ſanè inſtructionem*
chartarum in cauſa archivorum cum Presbytero Stneciones , viro
admodum maturo , fieri juſſimus . Itaque ex priore noſtra epi-
ſtola , & ex his carthulis benè recenſens quid agere debeas, re-
cognoſce . Nam voluntatem hanc noſtram per unamquamque Pro-

Digitized by Google

vinciam ſatis, ut decebat, literis manifeſtavimus. Corrigenda ſunt priora verba, legendumque: *Omnem ſane inſtructionem in capſa archivorum*. Qua phraſi uſus quoque eſt loco citato Hieronymus, & qua admiſſa, germanus ſenſus facile ac per ſemet conſtat. Senecio à Theſſalonicenſi Primate Romam fuerat miſſus, quem proinde, velut Curſorem, adeſſe inquiſitioni voluit Pontifex, quam in ſcriniis Apoſtolicis inſtituerat. Omnes ſubinde inſtructiones ex authentico requiſitas, atque in eiſdem archivis adſervatas per eundem Senecionem ad Theſſalonicenſem Primatem direxit, inter quas pronum eſt ſuſpicari, ipſos fuiſſe Sardicenſis Concilii Canones, quorum ſenſum, & germanam interpretationem quoad concedendos Interceſſores pro Eccleſiaſticis alterius Provinciae terminandis controverſiis, ſat luculenter prolixèque exponit.

XIII. Quod ſiquae orirentur de epiſtolarum veritate contentiones, Apoſtolicae Sedis ſcrinia continuò inquirebantur.
531 Quemadmodum in Synodo Romana ſub Bonifacio II. celebrata, quum Conſtantinopolitanorum Antiſtitum invaſione, temporibus praeſertim Acaciani ſchiſmatis, imminuta fuiſſet Eccleſiaſtica Theſſalonicenſis Primatis ditio, miſſi ſunt qui priſtinorum jurium reſtitutionem procurarent, juxta Praedeceſſorum Pontificum epiſtolas, & Imperatorum reſcripta. Anteaquam vero priſca, quae adduxerant Theſſalonicenſium Legati, monumenta recitarentur, petierunt. *Et nota ſunt vobis omnium praecedentium ſcripta Pontificum: Verumtamen quarumdam epiſtolarum exemplaria profero, quarum fidem fieri ex veſtro nunc ſcrinio poſtulo. Bonifacius Epiſcopus dixit: Prolatae epiſtolae recitentur, & ſcriptorum fides in Sedis Apoſtolicae requiratur ſcrinio*. Ita in Actis Synodi hujus ab Holſtenio primùm editis in collectione Romana pag. 26. Ex quo perſpicuum eſt, Archetypa epiſtolarum in ſcriniis principalium Eccleſiarum fuiſſe adſervata, dataque occaſione, conferri cum exemplaribus conſueviſſe. Hinc in exſtantibus, eademque in Synodo recitatis hujuſmodi epiſtolis, ſaepius occurrit haec formula. *Sicut fides adſerit ſcriniorum*. Appoſitè equidem, & conſentaneè ad ſcopum hujus conſuetudinis, quae icciro obtinuerat, ut quaecumque ad publicum Eccleſiae bonum attinebant ſcripta, di-

Digitized by Google

ligenter in Eccleſiarum ſcriniis , & capſis reſervarentur , quatenus ſiqua dubietas inſurgeret , extra omnem ſuſpicionis aleam collatione Codicum veritas poneretur , & publica fides praeſtaret quod fieri privata autoritate non poterat . Unde Nicolaüs I. Tom. V. Concil. Hard. pag. 168. 858
ad Michaëlem Imperatorem ſcribit , Apoſtolicam Sedem duo authentica exemplaria conficere conſueviſſe , *Uno tenore expoſita , & eiſdem ſyllabis contexta per omnia* . Quorum videlicet alterum ſervabatur in ſcrinio Apoſtolicae ejuſdem Sedis , alterum Eccleſiis intimabatur .

XIV. Ut autem in ſuperioribus diſceptationibus magni ponderis documenta ex ipſo adverſariorum uſu collegimus, ita multa quoque in hanc rem ex recepto apud Haereticos uſu differere poſſumus , qui mutuas haſce epiſtolas in Tomum Encyclicum pariter conferebant ; hinc & veritati fucum facturi , & perfidiam non infelici ſucceſſu promoturi . Quid enim praeclarius , magiſque providentiae illius conſentaneum , qui incontinenter Eccleſiam regit , quique mala ſineret eſſe omnino nulla , niſi de malis bona poſſet eruere , quàm ut adverſantium arma in ipſoſmet convertantur , iiſdemque illi confodiantur telis , quae in dilectam Chriſti Sponſam Eccleſiam ſtultè perinde atque impiè paraverunt ? Haeretici atque impoſtores , praeſertim Euſebiani , quos & uſurpaſſe Encyclicas , earumdemque ſubſcriptiones, & quod Eccleſiaſtica libertate non poterant , per publicos ac civiles Magiſtratus extorquere aſſuetos fuiſſe , alibi dictum eſt , Euſebiani , inquam , quò faciliùs incautiores circumvenirent , tantum abſuit ut Tomis hiſce Encyclicis publicam autoritatem abjudicarent , quin potius & ipſi ejuſmodi collectaneorum vim aeſtimiumque promoventes , id fere unum ſibi propoſuerunt , ut ex aucupatis undecumque Encyclicis libellum conflarent , eundemque imperitis , deceptiſque populis oſtentantes , invidiam crearent viris graviſſimis , ac de religione meritiſſimis , ut adverſus Athanaſium factum eſt : vel eundem etiam ad fidei perniciem proponerent , ut factum vidimus de libello reſervante tùm Euſebii Nicomedienſis, & Paulini Tyrii , tum reliquorum Epiſcoporum Ario adſtipulantium epiſtolas: quam quidem collectionem ad Socratis uſque aetatem, per- 440

viam apud Arianos omnes manſiſſe , infra annotabitur .
XV. Sed nihil in hanc rem afferri poteſt luculentius Antencyclica , quam iidem Euſebiani Sardicenſem , ementito nomine , inſcripſerunt , quum Sardicâ aufugientes ,
347 eam in Pſeudo-Synodo , Philippis in Thracia ſub idem tempus habita , quo vera Synodus Sardicenſis celebrata eſt , evulgaverunt . Gnari equidem, orthodoxos Sardicenſes Patres Encyclicam pro Athanaſio ad omnes Orbis Eccleſias direxiſſe , ipſi quoque Philippopoli , ut dictum eſt , adunati , rebelles ac contumaces Encyclicam emiſerunt ſuam , ut Catholici Conventus aut opprimerent authoritatem , aut eidem conſenſuras Orbis Eccleſias retardarent . Recolunt imprimis ſententiam damnationis , in Marcellum dictam
336 à Concilio Conſtantinopolitano , & ab adſtantibus univerſis Epiſcopis , quorum ſubſcriptiones , vota , longioreſque ſententias in unum volumen redegerant . In eodem collecta fuerant haereticalia è Marcelli libris excerpta capita , quorum ſequebatur cenſura . Haec omnia referunt in ſupradicta Philippopoli edita Antencyclica, quam reſervavit in fragm.
354 III. operis Hiſtorici p. 1309. Hilarius . *Condicitur namque in Conſtantinopolim Civitatem* [ann. ſcilicet 336.] *ſub praeſentia Beatiſſimae Memoriae Conſtantini Imperatoris Concilium Epiſcoporum , qui ex multis Orientalium provinciis advenerunt , ut hominem malis rebus imbutum ſalubri conſilio reformarent .... & videntes quoniam ſubverſus eſt à peccato , & eſt à ſemetipſo damnatus , actis eum Eccleſiaſticis damnaverunt , ne ulterius oves Chriſti peſtiferis contactibus magis macularet . Tunc namque etiam ejus aliquos praviſſimos ſenſus contra fidem rectam , Eccleſiamque Sanctiſſimam propter memoriam poſterorum , cautelamque , ſuis Sanctiſſimis Scripturis in archivo Eccleſiae condiderunt* . Haec illi de votorum , ſubſcriptionumque in archivis cuſtodia . Ut autem ſubinde probent , meritò in eo Concilio Marcellum , ejuſque ſcripta fuiſſe anathematizata , ſubjungunt . *Namque liber ſententiarum exſtat in ipſum ab Epiſcopis conſcriptus , in quo libro etiam iſti , qui nunc cum ipſo ſunt Marcello , atque illi favent , id eſt Protogenes Serdicae Civitatis Epiſcopus , & Siracuſanus ,* (ſeu ut alii habent Mſſ. Codd. *Siriacuſanais* , pro quo lege , *Cyriacus Ariminenſis*) *in ipſum ſententiam* (ſic enim le-

gendum

gendum videtur , non , *in ipſa ſententia) manu propria conſcripſerunt* . Vaſerrime quidem Euſebiani agunt , dum in Encyclico eo volumine non Epiſcopales tantum ſubſcriptiones reſervari urgent , ſed etiam vota , ſententiaſque , ex quo ſubſcriptionum genere judicantium , & conſentientium Epiſcoporum ſenſa ſolidiùs certiùſque deprehenduntur, ut in ſuperioribus explicatum eſt .

XVI. Hanc porrò Conciliabuli epiſtolam ad univerſas Eccleſias fuiſſe directam , vel ex ipſo conſtat initio . Incipit enim . *Gregorio Alexandriae Epiſcopo , Nicomediae Epiſcopo , Carthaginis Epiſcopo , Campaniae Epiſcopo , Neapolis Campaniae Epiſcopo , Salonarum Dalmatiae Epiſcopo , Anfioni , Donato , Deſiderio , Fortunato , Eutbicio , Maximo , Sinferunti , & omnibus per Orbem conſacerdotibus noſtris , Presbyteris , & Diaconibus , & omnibus , qui ſub Coelo ſunt in Eccleſia Sancta Catholica* . Ibid. pag. 1307. Imo quum eodem anno 347. Conſtans Paulum & Macarium direxiſſet in Africam , ut diſſociatas Donatiano ſchiſmate Eccleſias ad unitatem reduceret , qua de miſſione loquitur Optatus l. 1. , 368
ad eos ſpecialiter epiſtolam hanc tranſmiſerunt , Donatum Carthaginenſem in epiſtola compellantes , quatenus obfirmatos in ſchiſmate , ſocios ſibi peſtiferae labis, errorisque adjungerent . Quod eſt Auguſtino l. 3. contra Creſconium 396
c. 34. animadverſum . *Africanam haereſim Orientalis haereſis ſibi tentavit adjungere* . Et in epiſtola hodie 44. n. 6. aït : *Quoniam neſcio quando audieramus , Arianos , cum à communione Catholica diſcrepaſſent , Donatiſtas in Africa ſibi ſociare tentaſſe ; ad aurem mihi hoc ipſum Frater Alipius ſuggeſſit* . Et ſanè Africani Schiſmatici hiſce Encyclicis ſubſcripſerunt , quarum in Encyclico Tomo collectarum exemplaria retinentes , gloriabantur ſe Orbis Eccleſias habere ſocias , ejuſdemque Tomi autoritate non ſemel uſi ſunt , ut incautioribus perſuaderent , ſe cum Eccleſia Catholica communicare , fucum facientes tum ſubſcriptorum Epiſcoporum numero , qui perfidiae denunciativam Encyclicam firmaverant , tum ementita Sardicenſium Patrum autoritate , à quibus improbam ſuam Philippopolitanam factionem minimè ſecernebant . Quin etiam eò audaciae devenerat Fortunius Taburſicenſis , inter Donatiſtas praecipuus,

ut, quum ab Auguſtino ſchiſmatis poſtulari ſe, agnovit, propter quod Catholica per Orbem diſperſa Eccleſia Donatiſtarum commercia deteſtabatur, ad Tomum hunc Encyclicum Philippopolitani conventus recurreret, atque illius autoritate, mutuiſque epiſtolis ab eo acceptis, qui in praedicto Tomo Synodus Sardicenſis dicebatur, eiſdemque ad Donatum, & Donati aſſeclas datis, deduceret, Eccleſias omnes, quae per epiſtolas pravitati ſubſcripſerant, Donato, praecipuo Sectae duci, communicaſſe. Fraudem tamen reſeravit Auguſtinus, oſtendens, Tomum, ſeu collectionem epiſtolarum illarum Arianis autoribus prodiiſſe, ut alibi differemus prolixius. Sit in praeſentiarum erit, Schiſmaticos etiam, atque Heterodoxos ex iſtiuſmodi Encyclicis ſcriptis argumenta mutuaſſe.

431 XVII. Dum tempore Epheſini Concilii Orientalium exardeſceret Schiſma, ob Cyrillianam praecipuè epiſtolam excitatum, in qua XII. Anathematiſmos adverſus Neſtorium ediderat, pertinacior illorum inſectator perſtitit Theodoritus. Synodicum proinde edidit, eique 50. diverſorum Epiſcoporum, anathematiſmos proſcribentium, adjunxit epiſtolas. Unde ſcribit ſe habere *Synodica pluſquam quinquaginta, quae duodecim Capitum accuſationem continent*. Et in altera aït. *Nam & priuſquam Epheſum iremus, Beatus Joannes ad Deo chariſſimos Epiſcopos ſcripſit, Eutherium Tyanorum, Firmum Caeſareae, & Theodorum Ancyrae, Apollinaris doctrinam appellans haec capita. Et apud Epheſum Alexandrini* (Cyrilli) *& Epheſini* (Memnonis) *depoſitionis quam fecimus, cauſſa fuit iſtorum capitum expoſitio, & confirmatio. Synodica porrò Epheſi multa tum ad Victorem Imperatorem, tum ad ſummos Magiſtratus de eiſdem ſcripta ſunt. De his etiam ad Dei amantiſſimos Epiſcopos Occidentis, Mediolani, Aquileïae, & Ravennae ſcripſimus, Apollinariſque novitatis plena eſſe diximus*. Hae autem omnes epiſtolae ea
434 occaſione datae, locum Irenaeo Comiti dederunt peſtiferi evulgandi libri, quem Tragoediam inſcripſit, & in quo, ut illarum patrocinio Neſtorii cauſſam tueretur, epiſtolas eaſdem omnes collegerat. Theodoritus autem, qui poſt initam pacem minimè ſepoſuerat conceptum in XII. Cyrillianos anathematiſmos odium, inter alia, quae ſaepius

refri-

Digitized by Google

refricat argumenta , illud palmare erat , ex Synodicis Epiſcoporum epiſtolis in Tomo quopiam collectis, petitum , in quibus anathematiſmi impugnabantur . Tomum equidem ſaepiuſcule appellat . Quod & facit Alexander Hierapolitanus Epiſcopus, Cyrillianis Capitulis, quam Theodoritus, infenſior , quippe qui Sedem amittere , exſilioque multari maluerit , quam Cyrillo quoquo modo reconciliari . In epiſtolis enim diverſorum Epiſcoporum , in Synodico Caſſinenſi exſtantibus , quas illi in Schiſmate ediderant , locat perverſitatis ſuae pertinaciaeque pondus ; illud ſaepe regerens , ducentos & amplius Epiſcopos , plurimoſque ex iis Metropolitanos , Synodicis aliiſque epiſtolis in id conſenſiſſe, ut nuſquam Cyrillo communicarent . Tanti olim erat, Encyclicis hiſce Tomis inniti .

XVIII. Atque hinc , quòd pro repraeſentato in eiſdem ſupremo Eccleſiae Magiſterio , totidem velut Orthodoxae fidei ſymbola apud Eccleſias haberentur , calumniis etiam & cavillationibus hoſce Tomos inſectabantur Haeretici .
Quod à Severianis Acephalis factum , prodit Ephraemius 526
Patriarcha Antiochenus in libro 4. ad Orientis Monachos, Theopaſchitarum haereſi infectos , cujus , ut aliorum ejus
operum , inſigne fragmentum reſervavit Photius in Biblioth. 858
Cod. 219. p. 818. & ſeqq. Pertinaciter illi quidem tuebantur haereticale Eutychianiſtarum principium , in Latrocinali
Epheſino Concilio ſtabilitum , ut omnes fidei formulae , 449
una demta Nicaena, abolerentur; proindeque conditas cum in Encyclicis Athanaſii , Cyrilli aliorumque, tum in Chalcedo-
nenſi Synodo formulas vehementer deteſtabantur ; atque 451
imprimis earumdem Encyclicarum collectiones , & Tomos , in quibus Orthodoxia , fideique integritas elucebat , aggreſſi ſunt calumniari . Illarum pondus proponit in hunc modum Ephraemius ibid. pag. 823. *Et non ſolum Cyrillus , ſed & alii SS. Patres , ut conſentientes in fide , ita & unius ſententiae cognoſcuntur* . Mox Theopaſchitarum calumniam referat , qui Encyclicarum Tomos , velut formulas Nicaenae diſſonas, traducebant . *Sed adhuc vide haereſeos impudentiam : reprehendit enim eum, qui epiſtolam ſuam Tomum vocaverat , neſcientes rudes , quomodo idem Cyrillus , & ſtrenuus Athanaſius , aliorumque Patrum coetus pios labores , Tomos*

vocent. Tomi itaque erant collectae SS. Patrum epiſtolae, quas pio labore conſcribebant, & in Orbem evulgabant ſubſcribendas, ut ſimul omnes conſentientes dignoſcerentur, & unius in fide ſententiae.

§. XVII.

DE TOMO ENCYCLICO EXSTANTE PARTE III. CONCILII CHALCED., IN QUO RELIQUORUM EXEMPLAR NUMERIS OMNIBUS ABSOLUTISSIMUM PROPONITUR.

Synopſis.

I. *Proponitur Tomus Encyclicus, ejuſque occaſio*. II. *Tumultus Alexandrinae Eccleſiae per Encyclicam terminari, poſtulat Synodus Alexandrina*. III. *Leo Imp. Encyclicam ad Leonem Pont., & ad omnes Orbis Metropolitas dirigit*. IV. *Illius ſumma enarratur*. V. *Quo jure ab Imperatore fuerit ſcripta*. VI. *Sollenne per Tomum Encyclicum de irretractabili Concilii Chalced. authoritate judicium*. VII. *Hinc Encyclicarum uſus à novitatis invidia, & quorumdam criminatione vendicatur*. VIII. *Facillimum fuit, citiſſimumque hocce remedium*. IX. *Vendicatur pariter Eccleſiae magiſterium, quod Tomus ille repraeſentabat*. X. *Encyclicam confirmat & probat Leo Pont., datis ad Imperatorem, & Anatolium epiſtolis*. XI. *Scribit eadem de re tum ad Julianum Coënſem, & Aëtium Presbyterum, tum ad Patriarchas, ac Primates*. XII. *Eandem Occidentalibus intimat, eorumque exigit vota*. XIII. *Reſcribit Imperatori Leoni*. XIV. *Novam ad eum cum Dogmatica epiſtola mittit legationem*. XV. *Duae Leonis epiſtolae, vid. CXXXIII. & CXXXIV. fuère Encyclicae* XVI. *Multae hujus Tomi epiſtolae interciderunt*. XVII. *Magna ejuſdem apud ſequentes Pontifices autoritas*. XVIII. *In Synodo V. laudatur*. XIX. *A Patribus quoque, & Scriptoribus commendatur*.

I. TAmetſi quae hactenus de Tomis Encyclicis diſſerui-
mus cum per ſemet luculentiſſima ſunt, tum re-
ceptam priſcis illis aureiſque Eccleſiae temporibus
conſuetudinem abundè commonſtrant; ut nihilominus vel
ex uno exſtante, & omnibus obvio, dignoſcatur harum col-
lectionum uſus & aeſtimium, illum lubet proſerre, qui
in Parte III. Concilii Chalcedonenſis exſtat, in quo decur-
rendo uno velut intuitu pleniſſimè ſolidiſſimèque B. Le-
ctor confirmata deprehendet, quae nos conquiſitis laborio-
sè hinc & inde monumentis adſtruere conati ſumus. Prodro-
mus certè quidam eſt eorum, quae ſubinde latiùs erunt
diſputanda. Atque ut rem omnem abs origine ſua, &
ab edendi hujuſmodi Encyclici Tomi occaſione exordiamur,
controverſiae initium exponendum eſt, quod & fusè facit
Liberatus, & paucis Breviculi Eutychianiſtarum Scriptor, 553
quem in Tomo IV. Conciliorum inſeruit Labbeus pag. 1079.
*Mortuo Principe Marciano, collectis turbis Epiſcoporum, Ti-
motheus* [Aelurus] *& Petrus* (Moggus) *veniunt Alexan-
driam, ut ordinetur ab Haereticis Timotheus Epiſcopus in Dioſ-
cori, quem haereſi, variiſque ſceleribus convictum dejecerat Se-
de Concilium Chalcedonenſe. Duo igitur apud Alexandriam
Epiſcopi eſse coeperunt* [Timotheus nempe Aelurus, ab Hae-
reticorum, & Proterius à Catholicorum partibus ſtantes].
*Ante triduum Paſchae, quo Coena Domini celebratur, collecta
multitudine Proditorum, occupatur Eccleſia, ad quam ſe San-
ctae memoriae Proterius de more contulerat. Ubi ſupradicto
die in Baptiſterio occiditur, laniatur, ejicitur, & funus ejus
incenditur, cincreſque ipſius ſparguntur in ventos. Leo ſumit
Imperium, ad quem tanti facinoris Catholicorum querela per-
venit. Contra quos Haeretici ſupplicarunt, ut Chalcedonenſis
aboleretur. Illi autem vindictam tanti ſceleris ſpectabant. Con-
ſiderans Imperator nimis eſſe grave, vexari tantos iterum Sacer-
dotes, quorum plurimos aut aetas, & infirmitas, aut etiam pau-
pertas hunc laborem ſubire prohibebat, dirigit Magiſtrianos per
totum Orientem. Dirigit etiam Anatolius Epiſcopus Conſtanti-
nopolitanus Aſclepiadem Diaconum ſuum: Per quos & omnes
illi Epiſcopi, qui Chalcedona fuerant congregati, quid Ale-
xandriae factum fuiſſet, agnoſcunt; interrogatique cum ſuis
Provincialibus Epiſcopis, reſcribunt, Chalcedonenſem Synodum*

uſque ad ſanguinem eſſe defendendam, quia non alteram fidem ſtatuit, quam Synodus Nicaena. Timotheum non ſolum Epiſcopum non haberi, ſed Chriſtiani appellatione privari. Quo depoſito, ſit alter Timotheus Catholicus Epiſcopus Alexandriae. Haec occaſio eſt Tomi Encyclici, brevi quidem, germana tamen fidelique enarratione propoſita, quae monumentis aliis confirmata, eandem, qua de agimus, conſuetudinem enucleatius patefaciet.

II. Dioſcori aſſeclae, probè gnari, ſalva permanente Concilii Chalcedonenſis autoritate, quae Dioſcorum, ejuſque factionem damnaverat, ejuſdem cauſſam vendicari nullatenus poſſe, nihilque ad eam inſtaurandam ſpei supereſſe, nervos omnes in id intendendos ſibi eſſe exiſtimarunt, ut ipſius Synodi decreta reſcinderentur. Catholici ex adverſo, apud quos nefas erat, quod optimè Oecumenica Synodus definierat, ad examen revocare, operam dederunt, ut citra omnem examinis dubietatiſque aleam Concilii autoritas locaretur. Appellavit iccirco ad omnes Ca-
457 tholici Orbis Epiſcopos Synodus Alexandrina, ut videre eſt in III. Parte ejuſdem Concil. p. 699., haec per Synodicam Anatolio Inſinuans. *Quatenus Sancta & intemerata fides poſſet ab omni haeretica ſapientia cuſtodiri, noſtroſque gemitus Synodicis literis Sanctiſſimo Eccleſiae Romanae Pontifici Leoni, nec non & Antiocheno, & Hieroſolymitano, atque Theſſalonicenſi, & Ephesino Dei amantiſſimis Epiſcopis, aut aliis, quibus fuerit viſum Eccleſiis indicatis (quoniam hoc delictum eſt laeſio communis) ut omnes totius Orbis Epiſcopi cognoſcentes ea, quae praeſumta ſunt à Timotheo, & quia novitatem exercuit contra Sacras regulas, & religionem Orthodoxam literis Synodicis, Piiſſimo, & Chriſtianiſſimo Principi noſtro, veſtraeque Sanctitati, Sanctorum Venerabiles Patrum regulas reſcribentes dignam Formam, quae in hoc placuerit, praebere non differant.*

Ex hac Alexandrinae Synodi epiſtola conſtat, ſecundum regulas Sanctorum Patrum formam eſſe ſtabilitam, ut Romano Pontifici, Patriarchis reliquis, & Epiſcopis Metropolitanis enatae denunciarentur controverſiae, qui *reſcribentes, dignam Formam illis conſtituant.* Ut propterea Encyclicarum inſtitutio, & ſcopus eò collinearit, quatenus communi conſenſu reſcribentes Epiſcopi gravioribus contro-

verſiis finem facerent , noſſentque omnes quid agendum , ſentiendumve eſſet , atque obſequerentur fideles .

III. Ad ſingulos equidem totius Orbis Metropolitas epiſtolam fuiſſe directam, atque imprimis, ac peculiari quadam ratione Leonis Pontificis fuiſſe requiſitam in mota controverſia ſententiam , acta ipſa loquuntur . Exſtant non aliquot , ſed multiplices Leonis Pontificis ad Leonem Imperatorem datae epiſtolae , in quibus quid agendum , quidve conſilii capiendum ſit , praeſcribit , ut videre eſt in Queſnelliana Operum S. Leonis editione . Sane id de Metropolitis diſſertiſſimè annotavit Epiphanius Scholaſticus , 510
qui primus Tomum hunc Encyclicum latio donavit . In nota enim Encyclicae huic praefixa , ubi eam à Leone ad Metropolitas directam aït , ſic praefatur pag. 701. *Quibuſcumque ſcriptum eſt à Leone piiſſimo Principe ; ſimul cum ejus literis ſunt adnexae duae petitiones Epiſcoporum Aegypti , & Clericorum Alexandrinae Civitatis , & eorum , qui ex perſona Timothei Aeluri preces ſimiliter obtulerunt , nec non & literae Anatolii Conſtantinopolitanae Civitatis Archiepiſcopi . Et ſic utique directae ſunt Metropolitanis totius Orbis Epiſcopis . Quorum etiam omnium epiſtolae , ſive relationes per ordinem ſunt conſcriptae , condemnantium quidem Timotheum Aelurum , tanquam adulterum , & homicidam pariter , & haereticum ; approbantium verò , & concordiam confitentium Chalcedonenſis Sancti Concilii cum Trecentorum XVIII. , & Centum quinquaginta Sanctorum judicio Patrum*. In Codice Bellovacenſi , in quo Encyclicus idem Tomus exſtat , & cum quo editionem ſuam contulit Baluzius , ſubjungitur Sacrae Imperatoris . *Hoc modo ſcriptum eſt & aliis Metropolitanis Epiſcopis*. Nomina , eorumdemque Sedes recenſentur ibid. , & Tom. II. p. 690. Edit. Concil. Hard.

IV. *Formam* verò certam praeſtolabatur Imperator , per quam terminatâ controverſiâ , ſuo ipſe Edicto executionem, & obſequia debita promoveret . Haec enim erat Imperatoriae epiſtolae ſumma , ut Epiſcopi reſcriberent . *Aut de praedicto Timotheo , aut de Chalcedonenſi Concilio quid in commune ſapitis , ſine qualibet humano terrore , & abſque gratia cujuſcumque , vel odio , ſolummodo Omnipotentis Dei timorem veſtris oculis proponentes (quoniam ſicut noſtis , de tali cauſſa*

intemeratae Divinitati rationem eritis ſine dubio reddituri) cum omni celeritate meam facite cognoſcere pietatem: ut ex omnibus veſtris literis haec integrè cognoſcentes, Formam congruam dare poſſimus, quatenus Aegyptiaca Diaeceſis, & Alexandrinorum Civitas, pro cujus quiete nos prae omnibus convenit cogitare, tranquillitate Sanctarum Eccleſiarum, & diſciplina, & inconcuſſa pace potiatur.

V. Quod ſi roges, quo demum jure Imperator Eccleſiaſticae huic finiendae controverſiae ſemet ingeſſerit, id
à nobis reſponſum habeto. Eâdem ſcilicet ratione, qua
325 Conſtantinus ſe ſe geſſit in ipſa Nicaena Synodo cum Epiſ-
copis quibuſdam, acriter inter ſe diſceptantibus. De quo Euſebius in Vita Conſtantini l. 3. c. 13. *Multis igitur hunc in modum ex utraque parte propoſitis, magnaque controverſia in ipſo principio excitata, Imperator cuncta patientiſſimè auſcultans, intento animo propoſitas quaeſtiones excepit, & quae ab utraque parte dicebantur, viciſſim aſtruens, atque adjuvans, pertinaciùs certantes paullatim conciliavit. Cumque omnes placidè alloqueretur, & graeca uteretur lingua, quippe qui ne hujus quidem linguae ignarus eſſet, ſuaviſſimus, ac jucundiſſimus fuit, dum alios vi rationum adductos, in ſuam ſententiam trabit; alios orat, & flectit; eoſque qui recta dixiſſent, laudibus affecit; & univerſos ad concordiam incitat. Donec tandem eos concordes in omnibus, de quibus antea certabatur, & conſentientes effecit.* II. eâdem, qua illemet Conſtantinus, ra-
tione, judicium in Galliis poſtulantibus Donatiſtis, Mel-
313 chiadi Romano Pontifici, aliiſque Epiſcopis controverſiae
judicandae ſolicitudinem demandavit. III. tandem, ut alia Theodoſii, Marciani, ac plurimorum Orthodoxorum Principum exempla mittamus, quemadmodum Juſtinianus Tra-
ctatum Encyclicum, quem adverſus Origenem conſcripſe-
541 rat, probari primùm in Synodo Conſtantinopolitana vo-
luit, ac per illam ſubinde ad Vigilium, ad Patriarchas, &
reliquos Metropolitas direxit: non ſecus Leo Imperator En-
458 cyclicam Anatolio dedit, qui in Synodo probatam, Pro-
vinciis per Aſclepiadem Diaconum intimari curavit. Suo quodam videlicet miniſterii jure, & protectionis id fuit ab
Imperatoribus uſurpatum.

594 VI. Sed ad Encyclicas regrediamur, de quibus Evagrius

Digitized by Google

l. 2. cap. 9. *Scripſit etiam Circulares literas ad omnes Orbis Romani Epiſcopos , & ad eos , qui in vita excellebant , interrogans eos tum de Chalcedonenſi Synodo , tum de ordinatione Timothei Acluri . Simul etiam miſit ad eos exemplaria libellorum precum , qui & ipſi oblati fuerant tam ex parte Proterii , quam ex parte Timothei Acluri* . Quis autem in illis dirigendis ſervatus fuerit modus , quemadmodum Metropolitani, iiſdemque ſubjecti Epiſcopi examen inſtituerint , quam reſcribentes Formam ediderint, & quanti ponderis ab univerſali Eccleſia habita eadem fuerit, diſertiſſimis hiſce verbis prodit Facundus Hermianenſis lib. 12. c. 3. *Per Metropolitanos* 540
Epiſcopos literas generales miſit , conſulens de Chalcedonenſi Synodo , ut convenientibus ſecum Coëpiſcopis ſuis , & Clericis , ſua reſponſione ſignarent , quid eis videretur . His acceptis , iidem Metropolitani cum ſuis Collegis , ſicut erant commoniti , de ſua quiſque Provincia reſponderunt tam concordi , atque conſtanti ſententia , quàm ſolet multos unire Spiritus veritatis . Nam licet è diverſis, longèque diſtantibus locis data , nihil tamen habuerunt omnium reſponſa diverſum , quibus decreverunt , irretractabiliter eſſe cuſtodienda decreta Concilii .

VII. Commendatiſſima ſanè haec Encyclicarum conſuetudo , & ὁμονοία , quam tot monumentis , & animadverſionibus illuſtravimus hactenus , & operoſiùs deinceps illuſtrare conabimur , poterat ne aut à nobis evidentius preſſiùſque proponi , aut ab ipſo Facundo , aliove ex priſcis Scriptore ſolidiùs confirmari ? Et tamen eò temeritatis delira hac aetate deventum eſt, ut quod per multa retrò Secula , & ab ipſis Eccleſiae primordiis ubique receptum fuerat , hiſce demum noſtris diebus in diſcrimen veniat , & perinde oppugnetur , ac ſi nos primi eſſemus Chriſtiani , omneſque Majores noſtri nudum Chriſti nomen prae ſe tuliſſent , & praeterea nihil ; aut ſaltem in graviſſimis perpetuò erroribus fuiſſent verſati quotquot fidem defenderunt , propagaruntque Sapientiſſimi , Sanctiſſimique religionis Athletae . Ad hoc unum exemplar intendant ſcioli , planique Homines , ac celebratiſſimum debellandis haereſibus remedium ex omni ſua parte expreſſum hìc animadvertant , deſinantque deſipere , qui , ut ipſi nihil habent novitate antiquiùs , ita ejus labis incuſare haud veriti ſunt

priſcam hanc Eccleſiae diſciplinam , quam Romae quidem in celebri Conciliorum Academia , quae ex Literatorum Urbis coetu in Collegio de propaganda fide , me diu praeeunte , haberi conſuevit , non ſine humaniori eorumdem judicio extemporanea Diſſertatione olim expoſui ; & in hac Taurinenſi Academia ,quam incredibilis Magni VICTORII AMEDEI Regis munificentia inſtauravit , lectiſſimis Candidatis Theologiae ſecundis curis expolitam edocui , velut medium , quo dogmatum , diſciplinaeque traditiones potuerint quamtutiſſimè aſſervari . En B. Lector quaecumque de illa protulimus , in hac una Encyclica adamuſſim oſtenſa , & comprobata : Encyclicae enucleatio , Aſclepiadis Diaconi , Dominici Curſoris, ad eandem perferendam delectus : ad Leonem primò Romanum Pontificem , atque ad reliquos Patriarchas , & Metropolitas delatio ; inſtitutum apud ſingulos examen Synodicum ; relatio per eoſdem Dominicos Curſores ad autorem tranſmiſſa ; decreti *Forma*, quo ſancivêre , irretractabiliter cuſtodienda Chalcedonenſia decreta ; ac tandem praeſtita univerſitati Catholicorum Epiſcoporum in decernendo Spiritus Sancti aſſiſtentia , qua eò ſecuriùs & conſtantiùs Leo Imperator , omneſque fideles exceperunt judicium , quod *à Spiritu veritatis , qui multos ſolet unire* , profectum eſt . Niſi , quantum res patitur , demonſtrata hinc eſt , nihil aïo prorſus in rebus hiſtoricis poſſe qualicumque criterio demonſtrari .

VIII. Atenim quod alicubi aſſeruimus , per haſce Encyclicas , citiſſimo velut expeditiſſimoque medio , aliquoties imo & plerumque controverſias fuiſſe ſopitas , & Epiſcopos longè plurimos , quam ſi Generale Concilium fuiſſet congregatum , in iiſdem definiendis conſenſiſſe , id in praeſenti Encyclica luculentiſſimè eſt comprobatum . Uno eodemque anno & Encyclica emiſſa eſt , & epiſtolae omnes reſponſivae Conſtantinopolim delatae , ac 1600. Epiſcopi ſubſcripiſſe deprehenduntur . Rei hujus teſtem adducimus
581 omni exceptione majorem , Eulogium Patriarcham Alexan-
590 drinum , cujus doctrinam praeclarè commendavit Grego-
858 rius Magnus . Ille autem in excerptis Photianis Cod. 230. pag. 874. de Eutychianis differens , qui Aegyptum infecerant , haec habet . *Quorum inſanum furorem reprimens Leo* ,

Con-

Concilii Chalcedonenſis, actaque cum Encyclicis, ſeu Circularibus mandatis per totum Orbem miſit, ſingulisque Epiſcopis .... praecepit, ut ſententiam ſuam ſcripto profiterentur. Quod Epiſcopi numero mille ſexcenti promtè ſanè executi ſunt, nemine qui aliter ſentiret, deprehenſo. Enimverò ſi Concilia omnia Orientis, & confidentium Epiſcoporum numerum ſcrutemur, nuſquam in uno ex iis quopiam tantam Epiſcoporum multitudinem deprehendemus collectam. Ut proinde perſpicuum ſit, quanta facilitate potuerint deferri Encyclicae, quàm ſubacto examine diſcuti controverſiae; quantoque Eccleſiaſtico vigore Eccleſiae, tametſi diſſitae, pro ejuſdem fidei unitate decertaverint.

IX. Hinc quoque & auguſtius, & ſupra reliquas huc uſque evulgatas Encyclicas evidentius ſplendet cum repraeſentatum in iiſdem Eccleſiae magiſterium, tum requiſita ob id Romani Pontificis confirmatio, ut in eodem profitendo, docendoque dogmate, quod ab Imperatore poſtulabatur, membrorum cum ſuo Capite unio in aprico ſit, atque conſenſus. Quam quidem conditionem in laudata Encyclica enarrare diligentius, ſcrutarique juvat, non tam ut quorumdam amoveamus ſcrupulum, quàm ut praejudicatarum mentium animoſitatem ſugillemus, qui Eccleſiaſticae Hiſtoriae capita in compendiis aliorumque abbreviationibus percurrere aſſueti, fontibus valedicunt, atque adeo & ipſi a recta rerum intelligentia longè abſunt, & alios ad calumniandum pelliciunt, gravatè ferentes eos, qui in rerum origines, & doctae vetuſtatis rudera pro ſuo more ſtudiorum, atque inſtituto inquirentes, nihil quidem novum, ſed ſiquid eſt obſoletum, aliiſque non animadverſum, in Studioſorum notitiam, Religioniſque defenſionem novè proferre elaborant. Tametſi ergo in hujus Diſſertationis decurſu plurima jam protulerimus documenta, neceſſariam iſtiuſmodi ſupremi Hierarchae confirmationem demonſtrantia, pro coronide nihilominus totius tractationis parumper & hîc liceat, re ipſa exigente, detineri.

X. Quum Anatolius Imperatoris Encyclicam in Synodo Conſtantinopolitana ob eam rem convocata, probaſſet, ut Principi morem gereret, ejuſque commendatiſſimo zelo, Aſclepiadem Diaconum elegit ad eam Patriarchis, & Me-

tropo-

tropolitis deferendam; alium verò cum ejuſdem exemplari ad Leonem Pontificem direxit. Leo ut epiſtolam legit, illicò reſpondit epiſtola 115. Edit. Queſnel., in qua ſolius Anatolii relationem ſe accepiſſe memorat; de epiſtolae autem argumento ſic alloquitur Imperatorem. *Nam talia in Alexandrina Eccleſia perpetrata, Fratris, & Coëpiſcopi mei relatione cognovi, ut omnis Chriſtiana religio ſentiat ſe impeti, atque violari, niſi in univerſa fidei veſtrae devotione proſpiciatur, & memoratae Eccleſiae, quae antea Catholicis fuit clara Rectoribus, reddatur Chriſtiana libertas, & ceſſantibus Haereticorum impugnationibus, Evangelica doctrina, quae illic ante Dioſcorum viguit, unita cum totius Eccleſiae pace reparetur. Quod opus virtutibus veſtris, gloriaeque conveniens, celerem & Deo placitum habebit effectum, ſi Sanctam Chalcedonenſem Synodum, de Domini Chriſti Incarnatione firmatam, nulla permiſeritis retractatione pulſari: quia in illo Concilio per Spiritum Sanctum congregato tam plenis, ac perfectis definitionibus cuncta firmata ſunt, ut nihil ei Regulae, quae ex divina inſpiratione prolata eſt, addi poſſit, aut minui, glorioſiſſime Imperator.* Poſtulare pergit, ut electioni alterius, ejuſdemque probi viri, in Alexandrinae Eccleſiae Epiſcopum conſulat.

Eadem occaſione reſcribit Anatolio, memorans & ſuſceptam Encyclicam, & oblatas Leoni Imperatori preces, ejuſque laudat hac in re propoſitum atque conſilium. *Satis claret Fraternitatis tuae ſermone, quem ſumſimus, quàm piam, & probabilem curam dolori Eccleſiarum omnium nuper impenderis, manifeſtando nobis quae apud Alexandriam in Chriſtianae Religionis opprobrium geſta didiciſti, ut Glorioſus, & Clementiſſimus Imperator de proſpiciendis remediis etiam meis precibus poſceretur.* Ex mox. *Secutus ergo tuae dilectionis hortatum, in quantum de his Glorioſo Principi ſupplicavi.* Repetit argumenti, quod erat illius epiſtolae, ſummam, & ſubdit. *In quem autem provectum hujus pietatis cura procedat, frequentibus tuae dilectionis literis me debebis inſtruere.* Quatenus ſcilicet finem noſſe poſſet tranſmiſſarum Encyclicarum, & exitum.

XI. Scripſit quoque ad Julianum Coënſem Epiſcopum, atque ad Aëtium Presbyterum. Ille quidem Apoſtolicae Sedis vices in Oriente cum ante Chalcedonenſis Concilii celebra-

lebrationem geſſerat, tum hoc tempore idem vicarium munus obibat. De quo haec, ad eundem data epiſt. 98., ſcribit: *Cum enim in te quandam mei Conſtantinopolitani habeant portionem, dignum eſt...... pro totius Eccleſiae dilectione inceſſabili te vigore proſpicere, nequid poſſit de ſtatu fidei latere.* Aëtius autem tunc inter Presbyteros Eccleſiae Conſtantinopolitanae Doctores adlectus, ille eſt, qui Archidiaconus in Chalcedonenſi Concilio ſeſe adeò ſtrenuè adverſus Dioſcorum, & Eutychianos geſſerat. Hos itaque adhortatur Pontifex, ut apud Imperatorem fidei cauſſam promoveant, novique Alexandrini Epiſcopi electionem, quatenus illicò Haereticorum machinae abrumpantur; jubet inſuper, ut ſecutam ejuſdem Alexandrini Orthodoxi Antiſtitis electionem ſibi denuncient, *cui cum ſecuritate concordiae communio Sedis Apoſtolicae praebeatur.*

Neque verò praetereunda hîc ſunt ulteriora, eaque ampliſſima ſolicitudinis Eccleſiarum omnium ab Apoſtolica Sede ſuſceptae ſpecimina. Tametſi enim noſſet Leo, Encyclicam per Aſclepiadem ad Patriarchas, & ad Metropolitas fuiſſe directam, ſe nihilominus ſocium praeſtare voluit in communi promovendo decreto. Quamobrem ſcripſit primum epiſt. 118. ad Baſilium Antiochenum Epiſcopum, eumque imprimis redarguit, quod ordinationis ſuae nuntium ad Apoſtolicam Sedem tranſmittere neglexiſſet; commonet deinde, ut zelo, & Literis armetur adverſus nova Haereticorum molimina; tum ſubjungit: *Ut autem haec adhortatio ad omnium Fratrum, & Coëpiſcoporum noſtrorum poſſit notitiam pervenire, diligentiae veſtrae cura proſpiciat.* Aliam, quae eſt n. 119., ad Euxitheum Theſſalonicenſem dedit, & ad Juvenalem Hieroſolymitanum Epiſcopum, mandans ſimiliter, ut eadem monita ſubjacentibus Epiſcopis intiment.

Quin etiam, ut ad Patriarchas, & ad Primates directae epiſtolae ſecuriùs pervenirent, unde univerſi ad Encyclicam ſubſcribendam impellerentur Epiſcopi, certiorem hac de re fecit laudatum Julianum Coënſem epiſt. 120. his verbis. *Sciat autem dilectio tua, ad aliquantos Fratres, & Coëpiſcopos noſtros Metropolitanos literas nos dediſſe, quae ut confeſtim ad unumquemque perveniant, tuae, vel Filii noſtri Aëtii Preſ-*

byteri debet diligentia providere. Si enim Epiſcopalis conſtantia à Sanctae Synodi Chalcedonenſis definitionibus non recedit, certus ſum, quod Clementiſſimus, & Chriſtianiſſimus Imperator libenter tuebitur ſententiam ſuam, & quod ſponte jam praeſtitit, multò magis rogatus efficiet, ne benè definita, atque compoſita aliqua poſſint novitate violari. Leo itaque Pontifex ſuſcipiendae Encyclicae non ſocius tantum, ſed & promotor acceſſit, judiciumque univerſalis Eccleſiae, cui ſuomet ipſe praeïverat, per Epiſcopos in Cathedris propriis ſedentes, evulgandum certò ſperat, ſibique ſpondet optatiſſimum apud Imperatorem finem, atque exitum controverſiae.

XII. Hinc ultro ſeſe altera offert animadverſio circa vehementem illam ſolicitudinem, qua Pontifices in id incubuerunt, ut ſuſceptas Encyclicas Occidentalibus Epiſcopis ſubſcribendas proponerent, quatenus univerſalis Eccleſiarum conſenſus eluceret. Unde Eulogii roboratur dictum, aſſerentis, in hujuſmodi Encyclicarum ſubſcriptione concordes 1600. Epiſcopos fuiſſe deprehenſos. Enimverò Leo Pontifex, ut evulgatae per Orientem Encyclicae nuncia accepit, Occidentalibus & ipſe Epiſcopis generalia, & Encyclica ſcripta direxit, ut univerſi teſtatum in epiſtolis facerent proprium circa Chalcedonenſis Concilii decreta, eorumdemque irretractabilem firmitatem judicium. Illi verò morem Pontificiis juſſibus gerentes, illicò ſcripta dederunt conſonantia, quorum exemplaria ad Aëtium Conſtantinopolitanum Presbyterum Leo direxit. Sed ipſum audiamus Pontificem in epiſt. 121. *Placuit etiam nobis, ut ad Metropolitanos Epiſcopos generales literas mitteremus, quae animum eorum firment, atque corroborent: ut ſciant ad defendendam Chalcedonenſem Synodum aequali ſtudio, & concordi unitate nitendum.* Mox addit. *Nos autem ad Illyrios Epiſcopos ſimilia jam ſcripta tranſmiſimus.* Et paullò poſt. *Exemplaria quoque literarum, quas Galli ad nos, atque Itali Epiſcopi concordi credulitate miſerunt, pariter direximus, ut quam etiam illorum nobiſcum ſit fides una, non lateat.* Equidem ut hinc univerſalis Eccleſiarum ſolicitudo, quae Caput decet, auguſtiſſimè ſplendet, ita quoque apparet, quemadmodum tum hae, tum aliae in primitiva Eccleſia evulgatae Encyclicae confirmatione Apoſtolicae Sedis fuerint roboratae: Siquidem &

Digitized by Google

univerſalem Occidentalium partium conſenſum promovebat Pontifex, & ſubſcriptarum concorditer epiſtolarum exemplaria ipſe Orientalibus dirigebat, ut hoc pacto unanimitas fidei pro dignitate emineret, & concorde in dogmatis, atque univerſale Eccleſiae judicium certiùs deprehenderetur. Hac porrò occaſione iterum Imperatorem ad fidei excitat defenſionem, Anatolium ut benè coeptis inſiſtat, ac denique ſequentibus tribus epiſtolis Aegyptios Epiſcopos ob fidei cauſſam extorres, ad patientiam, atque ad conſtantiam impellit.

XIII. Leo tandem, acceptis ab Imperatore Aegyptiorum utriuſque partis precibus, omniumque ab eodem certior factus per epiſtolam ab Olympio delatam, reſcribit, nihil eſſe de Chalcedonenſis Synodi decretis retractandum, decretorum eorumdem oſores Antichriſto accenſet, Eutychianorum Aegyptiorum in precibus fraudes detegit, promittitque, ſe ampliorem fidei expoſitionem pro eiſdem confirmandis decretis editurum, epiſt. 125. *Ac ne hujus epiſtolae pagina in nimiam longitudinem tenderetur, aliis literis, quae aſſertioni Catholicae fidei congruunt, comprehendi*. Quaenam autem illae ſint, mox dicemus.

XIV. Quum ergo hiſce epiſtolis, periclitanti Orientali Eccleſiae conſulturus, ea omnia oſtendiſſet Leo, quae ad patefaciendum univerſalis Eccleſiae conſenſum exigebantur, ut novis armis ſubſidiiſque omnium Epiſcoporum manus roboraret, novam deſtinavit legationem, de qua Imperatorem in epiſt. 132. commonuit, ſic tamen excipiens. *Praenoſcat igitur Pietas tua, hos, quos ſpondeo dirigendos, non ad confligendum cum hoſtibus fidei, nec ad certandum contra ullos à Sede Apoſtolica profecturos..... Inſtructioni autem parvulorum noſtrorum, qui poſt lactis alimoniam cibo deſiderant ſolidiori ſatiari, miniſterii noſtri praeſidium non negamus*. Domitianum itaque, & Geminianum Epiſcopos delegit, de quibus ſcribit epiſt. 133 ad Imperatorem data. Hos una cum ea, quam promiſerat, quaeque legitur n. 134. epiſtola miſit in Orientem, & ut ſpoponderat ſe ſolidiorem fidelibus cibum allaturum, mirabili planè facundia graphicè Mediatoris deſcribit officium, neceſſitatemque Hypoſtaticae duas inter naturas Unionis tuetur, ut plena perfectaque eſſet Chriſti ſa-

tiſfa-

tisfactio : quibus omnibus ad majorem illuſtrationem con-
firmationemque, SS. Patrum teſtimonia ſubjungit. Epiſto-
lam ſanè hanc, per legatos tranſmiſſam, ubique ab Orien-
tis Epiſcopis fuiſſe ſubſcriptam, nihil eſt ambigendum.
Enimverò, edicto paullò poſt evulgato de irretractabiliter
retinendis Chalcedonenſis Concilii decretis, Timotheus
Aelurus exſilio multatur. Unde Imperatorem, ob reſti-
tutam Eccleſiis pacem, laudibus hiſce in epiſt. 137. cumu-
lat. *Si glorioſum pietatis veſtrae in fidei defenſione propoſitum
tanta proſequi laude cupiamus, quanta rerum ipſarum magnitu-
do depoſcit, inveniemur impares in actione gratiarum, ſi noſtri
tantum oris anguſtiis univerſalis Eccleſiae gaudia celebremus.
Sed dignior illis remuneratio veſtris actibus meritiſque ſervatur,
in cujus cauſſa, & ſpeciali excellitis animo, & optato trium-
phatis eventu gloriae. Sciat igitur Clementia veſtra, omnes Eccle-
ſias Dei cum laude veſtra exſultare, & laetari, quod ab Ale-
xandrinae Eccleſiae jugo improbus parricida depulſus eſt. Et
Populus Dei, cui praedo nefarius incubabat, in antiquam fidei
libertatem reductus, poteſt jam in ſalutis viam fidelium Sacerdo-
tum praedicatione revocari, cum videat omne ſeminarium vene-
norum in ipſo auctore projectum.* Vide ſeqq.

XV. Epiſtolas autem duas, ſcilicet CXXXIII., &
CXXXIV. ſimul per Julianum Coënſem, & Aëtium Preſ-
byterum ad reliquos Patriarchas, atque ad ipſum Timo-
theum fuiſſe directas, plura videntur comprobare. Ac pri-
mo quidem, quum iſtiuſmodi Dogmaticae epiſtolae ad il-
luſtrandam fidem emitterentur, Legatorum partes erant,
eaſdem Epiſcopis denunciare. II. Quòd ex CXXXIV. prae-
ſertim, ceu ex Dogmatica, ſeqq. temporibus teſtimonia
540 fuiſſe depromta animadvertamus. Id quod factum eſt à Vi-
579 gilio in ſuo Conſtituto, à Pelagio II. in epiſtola ad Eliam
846 Aquileïenſem, & à Prudentio Epiſcopo Tricaſſino, qui
catholicam de Praedeſtinatione, & Gratia Chriſti doctri-
nam adverſus illius aevi Novatores propugnaturus, in libro
de Praedeſtinatione, edito contra Johan. Scotum Erigenam
cap. 1. ampliſſimum ex ea fragmentum adducit, ut videre
540 eſt apud Gilbertum Mauguinum. Imò Facundus Hermia-
nenſis l. 2. c. 6. non modicam ejuſdem epiſtolae partem in-
ſeruit. III. Idem Pelagius II. ex cap. 3. hujus epiſtolae S.

Leonis teſtimonium deſumit, eam laudans, velut ad Baſilium datam. Baſilius tunc erat Antiochenus Epiſcopus. Credibile admodum reor, Sanctum Pontificem quo tempore haſce epiſtolas ad Leonem Imperatorem exarabat, Baſilii, reſpondentis priori Leonis epiſtolae, votum, ſententiamque accepiſſe, & more apud Pontificem recepto, ſimul omnia Encyclicae huic inſeruiſſe, ex qua teſtimonia deſumit Pelagius; quamque, utpote ad Patriarchas tranſmiſſam, epiſtolam ad Baſilium datam appellat. Saepius enim iſtiuſmodi Encyclicae, quòd ad omnes directae ſint, ſub aliis, atque aliis nominibus, titulíſque laudantur. IV. Tandem, quia Evagrius l. 2. c. 9. haſce omnes epiſtolas cenſens, 594
quum primo loco Leonis hanc laudaſſet epiſtolam, ſubjungit: *Primùm igitur Leo Epiſcopus ſenioris Romae ſcripſit pro defenſione Synodi Chalcedonenſis, & ordinationem Timothei, utpotè illegitimè factam, improbavit. Quam Leonis epiſtolam Imperator Leo ad Timotheum Alexandrinum Epiſcopum mittit per Diomedem Silentiarium, Regalium bajulûm praeceptorem. Cui reſcripſit Timotheus, Chalcedonenſem Synodum, & Leonis epiſtolam reprehendens.* Quae autem alia epiſtola, Chalcedonenſis Concilii de fide decretum doctrinali, & Theologica confirmatione illuſtrans, objectum eſſe poterat haereticae reprehenſionis, niſi haec CXXXIV., quae tanto argumentorum pondere Catholicam veritatem de officio Mediatoris, & Chriſti ſatisfactione probabat, Synodique Chalcedonenſis definitioni lucem, ac robur addebat? Iccircò cum ambae ſupradictae Leonis epiſtolae Incarnationis Myſterium dogmaticè explicarent, Synodus IV. Act. IV. inter laudata 680
SS. Patrum teſtimonia pro dogmate duarum voluntatum, & operationum in Chriſto, utramque commendavit, & relegi decrevit, ut videre eſt pag. 1099. Tom. III. Concil. edit. Harduini; & ex ſecunda ad Imperatorem Dogmatica denuò Act. X. pag. 1202., & pag. 1226. allata ſunt teſtimonia.

XVI. Omnes itaque hujuſmodi epiſtolae in Tomum Encyclicum compactae, unum efformabant volumen, quod maximi fuiſſe in Eccleſia aeſtimii, ſat luculenter quae mox adducentur, commonſtrant. Interim vehementer dolendum eſt, plures ex eiſdem epiſtolis temporum invidia periiſ-

ſe. Deſiderantur enim cum ex Orientalibus Baſilii Antiocheni, Juvenalis Hieroſolymitani aliorumque complurium, tum Occidentalium exemplaria, Gallorum, Italorum, & Illyricorum, quae extitiſſe ſuadent & ſuſcepta à Leone ſolicitudo, & facta ab eodem mentio tranſmiſſorum exemplarium in Orientem, quae Illyrici, Galli, atque Itali exaraverant. Tametſi vero ea fere exciderint omnia, quae ſi exſtarent, magnum nobis facerent laboris, & inquiſitionis compendium, ut nihilominus aureum hoc Antiquitatis monumentum, quod ſicco hactenùs pede praeteriêre Scriptores, accuratè, ut par eſt, poſt ſolicitos, ac diuturnos hac in re diſcutienda labores, illuſtremus, hùc nonnulla revocabimus, quae extra omnem dubitationis aleam ſuſceptum argumentum locent, ceteraque hactenùs diſputata evidentius confirment.

XVII. Hujus equidem Tomi aeſtimium, & in eo repraeſentatum univerſalis Eccleſiae judicium, cum multa Eccleſiaſtica monumenta evincunt, tum imprimis Romanorum Pontificum teſtimonia, qui eo ad fidem confirmandam uſi deprehenduntur. Ac primò quidem trutinanda venit Aca-
483 cii Conſtantinopolitani Epiſcopi citatio, jubente Felice Rom. Pontifice facta. Inter alia objecta crimina, illud imprimis diluendum erat, quòd ſibi demandatam ab Apoſtolica Sede tuendorum Chalcedonenſis Synodi decretorum provinciam poſthabuiſſet. *Ut Catholica Fides apud Chalcedonenſem Synodum roborata, & iterum Formata reſponſis omnium, qui in eadem reſederant, Domini Sacerdotum, quam inopinatò rurſus Haereticorum pravitas inquietat, communi opere inimicis propriis ſubjacere non permitteretur, oppreſſa. Quod cum diù omittitur &c.* Acacio crimini vertit Pontifex, quod fidem Chalcedonenſem, *iterum Formatam reſponſis omnium Sacerdotum*, tueri neglexiſſet. Unde perſpicuum eſt, quo in pretio fuerit apud Apoſtolicam Sedem iſtiuſmodi Encyclicus Tomus, in quo iteratam velut fidei formationem Pontifex agnoſcebat. Imo
579 Pelagius II. in epiſt. 3. ad Epiſcopos Hiſtriae, teſtimonia ex eodem Encyclico Tomo mutuantes, ſcribit. *Cui ſuſpicioni in ſcriptis veſtris ex Sancti Praedeceſſoris noſtri Leonis epiſtolis, & Encycliis teſtimonia adjungitis, ut Sanctam Chalcedonenſem Synodum illibatam debere obſervari monſtretur.* Tan-

tum

tum verò abeſt, ut laudatum magiſterium improbet Ponti-
fex, quin potius & probat, & extollit, ſubdens. *Cum con-
ſtet, quod de Sanctae Chalcedonenſis Synodi illibata veneratio-
ne, & Praedeceſſorum noſtrorum aſſertio innumera, & multorum
Patrum conſenſus in Encycliis, quaſi quaedam lux mundo, ſe
nobis infudit*. Quas verò laudet Encyclicas, declarat in al-
tera ad eoſdem epiſtola. *In Encycliis verò, quod eſt Epiſco-
palium collectio literarum*. Et eadem phraſi Liberatus cap. 16. 553
Breviarii. *Et hae epiſtolae, vel relationes Epiſcoporum omnium
in uno Codicis corpore vocantur Encyclia*.

XVIII. Synodus V. pariter ex eodem Encyclico Tomo 553
mutuat argumentum. Haec enim Collatione V. Tom. III.
Concil. p. 145. legimus. *Nonnus in Sancta Synodo conſedit,
ut Edeſſenae Eccleſiae Epiſcopus: qui etiam poſtea cum ſua Oſ-
roëna Synodo ad Leonem piae recordationis, interrogantem de Chal-
cedonenſi Concilio, & aliis quibuſdam reſcribens, pars fuit eo-
rum, qui in Concilio epiſtolas Encyclicas ſcripſerunt*. Unde
quemadmodum ex Conciliorum Actis, decretiſque fidem re-
bus adſtruere, ſequiora Concilia conſuevere, ita Synodus V.
in ſuae ſententiae confirmationem Encyclicum iſtiuſmodi
Tomum adſcivit, & Orthodoxae Chalcedonenſis Synodi de-
fenſionem in eundem rejecit.

XIX. Tandem Caſſiodorus, ut totius Orbis conſenſum 514
in ſuſcipienda Oecumenica Chalcedonenſi Synodo demon-
ſtraret, ex Codice iſtiuſmodi, atque Encyclico Tomo ar-
gumentatur l. 1. Inſtit. cap. 2. *Chalcedonenſis Synodi teſtis eſt
Codex Encyclicus, qui ejus reverentiam tanta laude concelebrat,
ut ſanctae auctoritati merito judicet comparandam. Quem Codicem
Encyclion, id eſt, totius Orbis epiſtolarum, à viro doctiſſimo Epi-
phanio fecimus in latinum de Graeco ſermone converti*. Eundem
in modum loquitur Ruſticus in Dialogo adverſus Acepha- 550
los, ubi annotat, Synodum Chalcedonenſem primò Epiſco-
porum conſidentium aſſenſu, dein per Encyclicas hujus no-
ſtri Tomi, & tandem ſub Hormiſda fuiſſe ſuſceptam, quan-
do formulae, à Pontifice tranſmiſſae, innumeri ſubſcripſêre
Epiſcopi. *Licet ſufficeret tibi* (inquit Ruſticus) *unica Sy-
nodus Univerſalis, quae numero ſuperat univerſas, Chalcedo-
nenſis Synodus, totius cunctarum Eccleſiarum conſona ſententia
confirmata eſt, tam per Encyclicas, regnante Leone, quàm per*

Libellos Sacerdotum forſan duorum millium, & quingentorum, imperante Juſtiniano, poſt Schiſma Petri Alexandrini, & Acacii Conſtantinopolitani. Hoc uno ergo Enyclicarum exemplo, atque inſigni exſtante Epiſcopalium Literarum Tomo, ut ea, quae hactenùs à nobis ſunt diſputata, luculenter confirmantur; ita jure merito argumentari poſſumus, reliquas ſpectabiliores Encyclicas priſcis temporibus evulgatas, ad communem oſtendendum conſenſum, receptamque de dogmatis doctrinam, praeſetuliſſe eandem formam, idemque magiſterium repraeſentaſſe.

§. XVIII.

DE EPISTOLIS ANTENCYCLICIS.

Synopſis.

I. *Quid Antencyclicae.* II. *Antencyclica à Novatiano contra Cornelium edita, expenditur.* III. *Expenditur & Donatiſtarum contra Melchiadem, & Caecilianum Antencyclica.* IV. *Eodem medio uſus eſt Arius, ab Alexandro damnatus.* V. *Uſi eo deinde ſunt Ariani, & Euſebiani.* VI. *Baſiliſcus contra Tomum Leonis Imp., & Concilium Chalced. Antencyclicam edidit.* VII. *Innovat Eutychianum principium, quo ſtatuebant, nullam, praeter Nicaenam, fidei formulam eſſe ſuſcipiendam.* VIII. *Publicatâ Conſtantinopoli Antencyclica, triumphat Timotheus Aelurus.* IX. *Reſiſtit cum Populo Conſtantinopolitano Acacius, & ad Simplicium ſcribit.* X. *Pontifex ad Baſiliſcum mittit Tomum Leonis, & Acacio reſcribit.* XI. *Volumen Actorum mittit ad Simplicium Acacius.* XII. *Synodum Conſtantinopolitanam ab Acacio congregatam fuiſſe, oſtenditur.* XIII. *Commendatur Monachorum zelus.* XIV. *Romana Synodus congregatur.* XV. *Orientales Baſiliſco ſuffragantur.* XVI. *Eidem ſuffragatur una cum Timotheo Pſeudo-Synodus Epheſina.* XVII. *Subſcribit & Fullo cum tractu Antiocheno.* XVIII. *Reſiſtit vehementius Simplicius.* XIX. *Baſiliſcus retractare cogitur Antencyclicam.*

XX. *Alterius Antencyclicae ſumma*. XXI. *Sub Zenone pax redditur Alexandrinis*. XXII. *Et Antiochenis*. XXIII. *Reſipiſcunt Aſiani Epiſcopi*. XXIV. *Concinunt Palaeſtini*. XXV. *Eundem morem arripiunt Monothelitae*.

I. COmmemoravimus ſaepius Antencyclicas Literas, quarum nomine eas intelligimus, quas maleferiati homines, ut ſubſcribentium pro fidei veritate Orthodoxorum Epiſcoporum numero parem, aut majorem numerum opponerent, propoſitumque antiquarent Eccleſiae in Encyclicis Magiſterium, edi, vulgarique adlaborabant. Quoniam verò accurata illarum diſquiſitio ſuſceptum argumentum quammaximè illuſtrat, authoritatemque ſpectatiſſimi hujus Encyclicarum adverſus haereſes remedii in aprico locat, exigit inſtitutum noſtrum, ut ad Diſſertationis complementum earumdem rationes brevi diſputatione complectamur. Sanè ſi conſtabit Haereticos Encyclica quapiam fractos, medelam Antencyclicis jacturae ſuae adhibere conatos fuiſſe, id non aliam ob rem factum jure exiſtimabimus, niſi quòd argumenti praeſtantiam agnoſcerent, & vim Eccleſiaſtici judicii experirentur.

II. In Antencyclicarum exemplar proferimus Novatiani Synodicam. Quum enim adverſus ipſum Cornelius fuiſſet electus, Novatianus, conflato Schiſmate, propriam propugnaturus electionem, inſurrexit, ac probè gnarus, quantum ſibi patrocinii poſſet accedere, ſi primus factae electionis nuncia tranſmitteret, direxit unâ cum Synodica Maximum Presbyterum, & Augendum Diaconum, alioſque, ut reor, inſuper duos, velut teſtes, Machaeum, & Longinum, qui illicò, quantum ſcimus, Synodicam dederunt Cypriano, Dionyſio Alexandrino, aliiſque. Moribus enim receptum erat, ut electus majoris Sedis Epiſcopus, ejuſdem honoris conſortibus, ſpectatiſſimis Sedibus, factam denunciaret electionem, quatenus ii Pacificas, & Paſchales reciperent, darentque epiſtolas. Quam conſuetudinem, ut multa in ſuperioribus adducta commonſtrant, ita egregiè atteſtatur Leo M. in epiſtola ad Baſilium Antiochenum inter Queſnellianas 118. *Ordinationem equidem dilectionis tuae, ſecundum Eccleſiaſticum morem, tuo, vel Fratrum noſtrorum Provincialium Epiſco-*

Margin notes: 251 (beside "Synodicam. Quum enim adverſus ipſum Cornelius fuiſſet"); 440 (beside "perioribus adducta commonſtrant, ita egregiè atteſtatur Leo").

porum debueramus ſermone cognoſcere : ſed quia non defuerunt cauſſae , quae poſſent hanc diligentiam praepedire , & Sanctae memoriae Marcianus Princeps ſuis ſcriptis conſecrationem nobis cognitam fecit , nec de tuo poſſumus merito dubitare , quem novimus . Ex quo & illud claret , Synodicas id genus epiſtolas receptae fidei profeſſionem complecti debuiſſe, quippe quae ad propriam uniuſcujuſque Epiſcopi fidem edocendam tranſmitterentur , ut nimirum , probatâ fidei unanimitate, Pacificas reciperent , darentque epiſtolas. Hinc illas , quod ad fidem faciendam in Eccleſiarum archivis reſervarentur , ſaepius in teſtimonium adductas legimus . Quod de praedicta
579 Leonis epiſtola factum , perſpicere eſt ex Pelagio II. ad Eliam Aquileïenſem ſcribente .

Sed ad rem noſtram . Cyprianus , qui Novatiani epiſtolam primus recepit , quum peculiares iſtiuſmodi Synodicarum characteres minimè deprehendiſſet , aſſenſum ſuſpendit ſuum, nec Pacificis ad mittentem reſcripſit , quemadmodum diximus ex ejus epiſt. 41. Cornelio data . *Venerunt ad nos , Frater chariſſime , miſſi à Novatiano Maximus Presbyter , & Augendus Diaconus , & Machaeus quidam , & Longinus . Sed enim cum ex literis , quas ſecum ferebant , & ex eorum ſermone , atque aſſeveratione Novatianum Epiſcopum factum comperiſſemus , illicitae & contra Eccleſiam Catholicam factae ordinationis pravitate commoti , à communicatione eos noſtra ſtatim cobibendos eſſe cenſuimus , refutatis interim , ac retuſis , quae obſtinatè , & pertinaciter aſſerere tentabant .* Iſthaec ergò Synodicae literae etiam falſitatis, quum recitarentur in Carthaginenſi coetu redargutae ſunt ; ut proinde characteres fuiſſe adhibitos neceſſe ſit , unde dijudicari illae poſſent . Quae autem Dio-
254 nyſius ſcripſerit , habes apud Euſebium l. 6. c. 46. Unde & illud ediſcere eſt , quemadmodum ſpectatiſſimarum Eccleſiarum , & Sedium Antiſtites Synodicas ab Epiſcopis noviter electis reciperent , & poſt diligens cum literarum , tum Dominicorum Curſorum examen , Pacificis reſcriberent , eaſdem vel probando , vel improbando Synodicas.

Cornelio ſedente , & in legitimum Pontificem ab Eccleſiis ubique ſuſcepto , controverſia Libellaticorum , Cornelio eodem & Cypriano praeeuntibus , decreto Encyclico terminabatur , & ad conſenſum omnium demonſtrandum

ubique

ubique circumferebantur epiſtolae, quando Novatianus Antencyclicam edidit, cujus ſuffragatores plurimos habuit tum ex Epiſcopis, tum ex Confeſſoribus. Unde in Eccleſia, ipſoſque inter Confeſſores gravis contentio orta eſt, quae Cypriani, & plurium Africae Synodorum zelum excitavit ad inſanos Novatiani impetus retundendos. Hoc ergo primum Antencyclicarum exemplar eſt, cujus memoria ad nos pervenerit. Turbas ſanè maximas, quas iſthaec Novatiani Encyclica excitavit, tum ſuo loco enarrabimus, tum brevi in Schiſmaticorum ad Catholicam reditu accuratiſſimè deſcribit Cyprianus epiſt. 46.; in qua & miſſarum per Novatianum, atque aſſeclas epiſtolarum numerum recolit, & emiſſas ſimul à Novatianorum plurimis fidei profeſſiones adducit, & ſolerter expendit.

III. Donatiſtae, Romanae Synodi ſub Melchiade ſenten- 313
tiâ damnati, quum Concilii Synodica, ut moris erat, per Univerſam Africam deferretur una cum integris Epiſcoporum votis, & ultima Melchiadis, qua judicium clauſum eſt, ſententia; ut fucum facerent, ſubſcriptionemque, & obſequia Catholicorum praepedirent, hanc inivere viam. Majorinus cum Lucilla Ingentium publicum ſcribam (pecuniis jam pridem corruptum, ut falſaret Proconſularia acta, quatenus infamaretur Felix Aptungitanus, Caeciliani ordinator, Sacros Codices tradidiſſe) habitu Dominici Curſoris induentes, cum Antencyclica per Provincias direxerunt, ut idem delator ſimul & teſtis, perfidiam populis tutiùs propinaret. Mira etenim celeritate Donatiſtae antevertentes Caeciliani adventum, & Romanae Synodicae promulgationem, id effecerunt, ut, animis per hujuſmodi calumniam praeoccupatis, praviſſimâque hac arte faſcinatis, potior populorum, Africanarumque Eccleſiarum numerus ad Schiſma pertraheretur. Unde Veteratores illi, compoſitis per Romanam Synodum rebus, nedum Encyclicae refragari ſunt auſi, ſed magis magiſque furere, turbas ciēre, totumque Africanae Eccleſiae ſtatum ſusdeque vertere. Quod & in ſuperioribus jam innuimus, & in Diſſertatione II. prolixius diſputabitur.

IV. Novatianorum, & Donatiſtarum exempla ſecutus
Arius, ob haereſim ab Alexandro Epiſcopo damnatus, de- 320

que Alexandrina Eccleſia ejectus, eodem ipſo tempore, quo
Alexandri Encyclicae Literae ad omnes Orbis Epiſcopos di-
rectae circumferebantur, per Antencyclicam id egit, quod in
altera enarrat Alexander, Tom. I. Conc. p. 295., atque im-
primis. *Circumcurrere hâc illâc, quò nobis obtrectent, deflectere*
ad Collegas nobiſcum in eadem fide conſentientes, ſpecie quidem
pacem, & concordiam ſimulatè petere, ſed revera moliri, ut per
ſermonis lenocinia nonnullos eorum in ſui morbi contagionem per-
trabant: literas quoque ab illis blandiores petere, ut coram iis,
quos errore implicarint, eas legentes, ſine ſuae prolapſionis poeni-
tentia maneant, atque ad impietatem aſſueſiant, quaſi Epiſco-
pos ſuae ſententiae, & opinionis conſentientes haberent. Unde fit,
ut nonnulli, qui eorum literis ſubſcribunt, in Eccleſia eos reci-
piant. Quod etiam ſub finem repetit. Nicomedienſi enim
Euſebio praeeunte, in varias partes Epiſcopi diviſi ſunt, &
per haſce Encyclicas, atque Antencyclicas graviſſimum fidei
vulnus inflictum eſt, quippe Alexandri Encyclica felicem
reſecandae omnis controverſiae exitum ex more uſuque re-
440 cepto minimè obtinuit, ut fuſiùs Socrati proditum, & nos
in II. Differt., ubi, accuratius veteratoriam Euſebii Ni-
comedienſis, & Arii artem aperiemus, qui per Licinium,
Euſebio affinem, ſeditionem in Conſtantinum hac via ma-
chinabatur. Sed haec curſim attigiſſe ſufficiat, quae ibi la-
tius Eccleſiaſticis monumentis expendemus.

V. Uſus & numerus iſtiuſmodi Antencyclicarum magis
apparuit Arianorum, & Semiarianorum occaſione. Hi ete-
nim Imperatoris potentia freti, quas Catholici pro fide
Nicaena defenſanda Encyclicas dabant, eas illico perverſi
homines Antencyclicis enervare ſatagebant. Hinc primùm
orta eſt Eccleſiarum Orientalis, atque Occidentalis nun-
cupatio, & diviſio, eo quidem invecta ſcopo, ut ſi pars
una Catholicam tueretur veritatem, altera editis continuò
Antencyclicis contrarium decerneret, ne videlicet demon-
ſtratus in Encyclicis Eccleſiarum conſenſus jugulum errori
inferret, quemadmodum hactenus in primitiva Eccleſia fue-
rat obſervatum, ipſique magna cauſſae jactura probaverant.
335 Vidimus enim, quomodo poſt Tyriam Synodum, in qua
damnatio Athanaſii conclamata eſt, epiſtolas ad Julium,
ceteroſque Orbis Epiſcopos ediderint, quibus tamen mi-

nimè ſuffragium dedere ſuum Eccleſiae per Orbem diſ-
perſae . Illud quoque vidimus , quemadmodum in Roma- 342
nà licet , & Sardicenſi Synodo per Encyclicam epiſtolam 347
Athanaſii innocentia fuiſſet declarata , Ariani nihilominus,
Semiariani , iiſque adſociati Aëtiani multis in Synodis, ad-
hibita etiam Judicum ſecularium potentia , verberibus ,&
exſiliis Epiſcopos coëgerint ſubſcribere prolatam in An-
tencyclica contra Athanaſium , damnationis ſententiam .

Et fuit equidem ſolers uſque adeo & frequens hujuſcemo-
di Arianorum auſus , quo Encyclicis Catholicorum ſuas
paſſim Antencyclicas , ſymbola ſymbolis , & profeſſiones
profeſſionibus opponere conſueverunt , ut cum fideles , quo-
rum in partes concederent , aegrè admodum dijudicare
jam poſſent ; tum ſub Virorum ſanctiſſimorum nominibus
ipſamet Orthodoxa fides per ſummam Novatorum vaſri-
tiem in diſcrimen adduceretur . De ea temporum iniquita-
te agit Baſilius Magnus in epiſtolis ad Meletium , in qui- 370
bus de adverſariorum Antencyclicis accuratè , & luculen-
ter ediſſerit . Propoſuerat in epiſt. 59. , ut Meletius ipſe ob
eam , qua inter ceteros pollebat , autoritatem & ſancti-
monium , tranſmitteret in Occidentem literas ſuas, eaſque
ab Orientalibus primùm ſubſcriptas . *Itaque , ſi videtur ,
epiſtola ad Occidentales neceſſarium quid complecti , poſtquam
eam fide dignam ſcripſiſti , ad nos tranſmitte , ut curemus ab
omnibus conſentientibus ſubſcribi , & parata habeatur ſubſcrip-
tio , chartae impreſſa , quam conjungere poſſumus ei , quae à
Fratre Sympresbytero circumfertur* . Conſilium hoc ſane à ve-
teribus Eccleſiaſticis inſtitutis , & quotidiano uſu erat com-
paratum . At quid ſi pars adverſa illud ipſum arripuiſſet ?
aut quae tandem ratio ſuppetebat , cur Epiſcopi longius
diſſiti has ſuſciperent Meletii Encyclicas , & aliorum An-
tencyclicas deteſtarentur ? *Illud verò* (pergit ibid. ſolertiſ-
ſimus Doctor) *mihi argumentum velut intactum adhuc eſſe ,
locumque dare ſcribendi viſum eſt , admonere illos , ne ſine diſ-
crimine quorumvis communionem ex Oriente venientium accipiant :
ſed una ſemel electa parte , reliquos ex conſentientium teſtimo-
nio admittant , & non cuivis ſub praetextu Orthodoxae doctrinae
fidei formulam ſcribenti adſtipulentur . Nam iſto pacto depre-
hendentur cum adverſariis facientes : qui eadem ſaepenumero*

verba praetexunt quidem , inter ſe verò pugnant , ut qui plurimum diviſi , diſſidenteſque fuère . Scilicet optimum factu judicabat Baſilius, ſi ad vim Antencyclicarum infringendam, Occidentales ſuſciperent eas dumtaxat Encyclicas , quas noſſent ab iis ſubſcriptas , quorum oppido cognita erat exploratаque communio , & conſenſio . Inter eos nimirum arcana quaedam ſcribendi forma velut ex condicto ſervari poterat , quae adverſariorum fraudes , & corruptelas evaderet , atque inſuper Epiſcopos , ſecreti conſortes , tutò ſecurèque Eccleſiaſticorum tractatuum commonefaceret . Quod in hunc modum idem Baſilius ſuggerit . *Ne igitur amplius haereſis eorum , qui inter ſe mutuo diſſident , per ipſorum ſcripta , quae praetexere , & objicere ſolent , incautos ſeducat , admonendi ſunt , ut arcanas accedentium communiones , & ſcriptis juxta formam Eccleſiaſticam comprehenſas faciant* . Cujuſmodi autem eſſet arcana ea forma Eccleſiaſticarum literarum , neſcio , an eruditorum cuipiam ſit hactenus exploratum . Quid nobis hac in re nequaquam abſonum , & veroſimilius videatur , in §. XX. num. XV. divinando conjectandoque dicemus . Id modo unum in numerato haberi volumus , maximum ſcilicet cauſſae praeſidium , non ſine Catholicae communionis detrimento , & Eccleſiarum jactura , Meletii , & rectae fidei adverſarios in uſu Antencyclicarum poſuiſſe , eòque Catholicos Epiſcopos adegiſſe , ut ſi Encyclicarum vim & dignitatem ſuo haberi loco vellent, ad arcanas ſcriptionum formas debuerint aliquando confugere , perinde atque Ethnicarum perſecutionum temporibus egerant Sanctiſſimi religionis Antiſtites . Multa id genus documenta ad uſum Antencyclicarum haereticalium patefaciendum , congerere in promtu eſſet : Sed quoniam in ampliſſimum tractatum abiret haec diſquiſitio , ſi ſingulas tunc temporis editas Antencyclicas recenſere hìc conſtitutum haberemus , ab iis ulteriùs diſcutiendis ſuperſedemus , tum quod quae diximus , rem ſatis pro praeſenti inſtituto illuſtrent , tum quod multa eadem de re in Commentariis ad Adlocutionem Patrum Chalcedonenſium ſimus diſſerturi .

VI. Unum idemque ſat illuſtre Encyclicae , atque Antencyclicae exemplum minimè praetereundum eſt , in quo

confue-

conſuetudinis hujus ratio argumentumque proponitur, atque Encyclicarum apud fideles, haereticoſque pondus, & aeſtimium conſtat luculentius. Atque ut rem ab ovo exordiamur, quum Leo Junior ob turpem, quam agebat, 473
vitam, ſub ipſa imperii primordia Zenone Patre ſuo Imperatore dicto, poſt decem imperii menſes ultimum diem obiiſſet, atque adeo imperium ſolus regeret Zeno, Veri- 474
na Leonis uxor, quòd ipſa inſciâ, huic, illive traderetur Imperium, ad vindictam excitata, in Thracia, ubi commorabatur Heracleae, adverſus Zenonem conſpiravit, fratremque Baſiliſcum Imperatorem dixit, tanto quidem appara- 476
tu, ut Zenonem, ejuſque uxorem Ariadnam in Iſauriam loco refugii recipere ſe ſe, coëgerit. Erat Baſiliſco conjux Zenonides, Chalcedonenſi Concilio infenſa, utpote Eutychiana labe infecta, quae proinde duo imprimis fieri ſuaſit, ut videlicet Timotheum Aelurum ab exſilio revocaret, & propoſito deinde imperiali edicto, anathema Chalcedonenſi Concilio diceret. Noverat impoſtor Timotheus haud facilè executioni mandari haec poſſe, niſi Encyclicae ſub Leone Imperatore editae, & Epiſcoporum totius Orbis manu roboratae, publico edicto obliterarentur, & contraria Epiſcoporum omnium ſubſcriptione priores antiquarentur ſententiae. Primò itaque Conſtantinopolim accerſivit Timotheum Baſiliſcus, eodemque ſuadente, Encyclicum edictum ipſimet Timotheo inſcriptum, vulgavit. Haec Theo- 518
dorus Lector compendio prodit, & fuſiùs Evagrius lib. 3. 594
c. 4., ubi ſubjungit. *Igitur Timotheus cum in Urbem Regiam veniſſet, perſuaſit Baſiliſco, ut Encyclicas literas ad omnes ubique Epiſcopos mitteret, & ea, quae Chalcedone geſta fuerant, & Leonis librum anathemati ſubjiceret. Literae autem ſic habent. Encyclica epiſtola Baſiliſci. Imperator Caeſar Baſiliſcus, Pius, Victor, Triumphator, Maximus, ſemper Auguſtus, & Marcus nobiliſſimus Caeſar, Timotheo Reverendiſſimo, & Dei amantiſſimo Archiepiſcopo magnae Urbis Alexandrinorum.* Marcus Baſiliſci filius erat, atque ut ex Nobiliſſimi titulo eruitur, dictus tunc ſolum Caeſar. De quo tamen haec habet Chronicon Alexandrinum. *Extemplo Domina Verina Imperatorem creavit Baſiliſcum fratrem ſuum .... Porrò Baſiliſcus ſimul ac coepit imperare, coronavit filium ſuum Marcum, & Impe-*

ratorem

ratorem renunciavit. De imperiali porrò Antencyclica haec ibi n. 31. Theodorus. *Baſiliſcus Chalcedonenſem Synodum damnans, eique apertè repugnans, cum imperiali diplomate Timotheum Alexandriam dimittit, & Petrum Fullonem Antiochiam*.

VII. In ea porrò Baſiliſcus damnationis Encyclici Tomi autoramentum ex fundamentali Eutychianiſtarum principio petit, quod nos in Epiſtola noſtra II., pro irretractabili Dogmaticae S. Leonis judicio adverſus Galli ſcriptoris cavillationes defendendo, Italico idiomate exarata, & jampridem Neapoli typis edita, expoſuimus, quodque ſtatuebat, Epheſino Canone interdictum eſſe, aliam fidei expoſitionem condere; contra quem abiiſſe Patres Chalcedonenſes cum Eutyches & aſſeclae perperam hariolabantur, tum perurget in praeſenti Antencyclica Imperator, ſubjungens. *Quoniam verò Imperialis providentiae proprium eſt, non praeſenti ſolum, ſed futuro etiam tempore ſecuritatem ſubditis ſuis provida mente largiri, decernimus, ut omnes ubique locorum ſanctiſſimi Epiſcopi Encyclicae epiſtolae noſtrae ipſis exhibitae, ſubſcribant, perſpicuè declarantes, ſe ſoli Trecentorum, & octodec m Sanctorum Patrum divino Symbolo inhaerere* .... *Quemadmodum Sanctiſſimi Patres, qui in Epheſiorum Metropoli poſtea convenerunt, decreto ſuo definierunt, ſolum videlicet ſacrum Symbolum Trecentorum & octodecim Sanctorum Patrum, tanquam regulam fidei, ſequi oportere, anathematizantes, ac penitus rejicientes à ſanctis Eccleſiis quicquid apud Chalcedonem factum eſt offendiculum Orthodoxae Plebi, quippe quod totius Orbis, Noſtraeque privatim felicitati fuerit impedimento. Qui verò poſt hoſce noſtros divinos apices, quos ex Dei ſententia promulgatos à nobis eſſe confidimus; quippe qui optatam ab omnibus unitatem ſanctiſſimis Dei Eccleſiis conciliant; novitatem, quae adverſus fidem Chalcedone facta eſt, aut inter diſputandum, aut inter docendum, aut in ſcriptis ſuis quocumque demum tempore, & modo, ac loco proferre unquam, aut omnino nominare tentaverint, eos tanquam tumultus, ac ſeditionum ſanctis Dei Eccleſiis, & univerſis, qui noſtro imperio parent, auctores, Deique, ac noſtrae ſalutis hoſtes, juxta leges, quae jampridem de ejuſmodi improbitate latae ſunt à Beatae, ac Divae memoriae Imperatore Theodoſio, quas etiam & huic noſtrae ſacrae epiſtolae Encyclicae ſubjicimus*. Hactenus Imperialis Encyclica,

qua

qua non Concilium tantum Chalcedonenſe obliterari, antiquarique jubet, ſed etiam innovat jampridem à Marciano abolita Theodoſii junioris edicta, quibus Chryſaphii, & Dioſcori ſuaſione, ſundamentale Eutychianiſtarum principium, in Latrocinali Epheſino publicatum, de univerſis fidei formulis, demta Nicaena, inhibendis, fuerat confirmatum. Quae omnia leguntur in III. Parte Concilii Chalcedonenſis. Illud hinc quoque diſcimus, Encyclicis inſerta annexaque fuiſſe quaecumque ad conciliandam illis fidem opportuna conſerentur. 449

VIII. Encyclica publicatur Conſtantinopoli, ac Timotheus triumphantis in morem ſatellitio Eutychianiſtarum ſtipatus, ac legitimus velut Epiſcopus, ingenti faſtu ad Eccleſiam proceſſit. Rerum ordinem, ubi de imperii invaſione per Baſiliſcum facta, hiſce verbis deſcribit Theophanes. *Ac ſtatim Zenodiae maximè verbis ad id impulſus, rectae ſidei bellum indicit. Quare Timotheum Aelurum, promulgato edicto, revocavit exſilio, Petrumque Fullonem in Inſomnium monaſterio latitantem, Sedi reſtituit: quotquot autem ſanctam Synodum Chalcedonenſem adverſarii reſpuebant, ii liberrimè impugnabant veritatem. Aelurus ad haec perditis ac ſceleratis Alexandrinis, qui forte Conſtantinopoli hoſpitabantur, collectis, è Palatio ſupplicatione ducta, Aſino vectus, ad Eccleſiam profectus eſt: cumque ad aedem, Octagonum dictam adveniſſet, Aſino lapſus, attrito pede, cum ignominia retromeare coäctus eſt.* Octagonus locus fuit octo conſtans concameratis porticibus, ubi ingens aderat Bibliotheca, & cum aliis XII. commorabatur Doctor, Oecumenicus nuncupatus; quos ſimul omnes, teſte Theophane, quum adverſarios expertus eſſet edicto ſuo adverſus Imagines evulgato, una cum Bibliotheca incendit Iſauricus Leo. Aeluri tyrannidem breviùs perſtringit Theodorus Lector. *Porro Aelurus cum ſeditioſam ac incompoſitam Alexandrinorum turbam collegiſſet, una cum illis ex aedibus Baſiliſci ſupplicans ad Eccleſiam proceſſit, ipſe Aſino vectus. Cumque ad locum, qui Octagonus dicitur, perveniſſet, graviter prolapſus eſt; & fracto pede, cum ingenti ignominia receſſit.* Supplicationem hanc indictam à Timotheo reor, ut ipſe Baſiliſci Encyclicam in Eccleſia publicaret. Moribus enim receptum erat, ut ſi quae

792 (margin, beside "vaſione per Baſiliſcum")
716
518

de

de Eccleſia edicta conſcriberent Imperatores , ea non Magiſtratus , ſed in Eccleſiis Epiſcopi promulgarent ; ut de
457 Leonis Encyclica factum , cujus evulgationem Anatolium promoviſſe , ſupra monuimus , & alia Principum exempla commonſtrant .

IX. Sed modum jam inquiramus , quo Encyclica Eccleſiis fuerit intimata , & quae ob plurium acceptationem mala ſint conſecuta , perſpiciamus . Acacio primùm ſubſcribendam , & ſubjacentibus Epiſcopis intimandam , direxit Imperator , qua ſuſcepta , id ille egit , quod ibid. num. 32. refert Theodorus . *Baſiliſcus generali ſanctione Chalcedonenſem Synodum rejici juſſit . Operam autem dabat , ut idem quoque faceret Acacius . Verùm id perficere nullo modo potuit , cum univerſa Civitas una cum mulieribus , & parvulis in Eccleſiam conveniens , Baſiliſco obſtitiſſet . Quin etiam Acacius ſemetipſum , & Cathedram , & Altare nigris veſtibus obtexit ...... Baſiliſcus furorem populi metuens , ex Urbe regia diſceſſit , cum interdixiſſet Senatoribus , ne cum Acacio colloquerentur . Minabatur autem populus , ſe Urbem incenſurum* . Haec priora ſunt adverſus Baſiliſci Encyclicam geſta , in quibus populi zelus commendandus eſt , qui probè conſcius fidei confirmationem per Encyclicum Tomum ſub Leone fuiſſe factam , in quo & roborata Chalcedonenſis Concilii profeſſio fuerat , & anathema Timotheo Aeluro dictum , arbitrabatur haec omnia non ſine gravi fidei diſcrimine tentari , ac promoveri .

X. Acacius autem de improbo Imperatoris , Timothei , & Eutychianiſtarum auſu Simplicium Romanum Pontificem certiorem fecit : Qui continuò epiſtolas ad Baſiliſcum dedit . Perperam enim Zenoni inſcriptas circumferri , ſed ad Baſiliſcum fuiſſe directas , pluribus probant Pagius , & Couſtantius in noviſſima epiſtolarum Romanorum Pontificum collectione . In ea itaque epiſtola , quam refert Baronius ad ann. 476. , aſſerit Simplicius , ſe Leonis Magni epiſtolas , quas ſupra recenſuimus , dirigere , Dogmaticam ſcilicet ad Anatolium , atque aliam ad Imperatorem Leonem de officio Mediatoris datam . Remittit autem ad archiva , in quibus Tomus ille Encyclicus Epiſcoporum totius Orbis exſtabat . *Suppetunt affatim clementiae tuae* [*ſi in Palatii ſui requiri mandet archivis*] *cum noſtrorum coëun-*

tium

Digitized by Google

tium definitione Majorum documenta copioſa . Neque enim conſcientiam veſtram latere credendum eſt , quae per cunctas Provincias Orientis ex Imperii veſtri arce diffuſa ſunt ; illa ſcilicet , quae vel ad Auguſtae memoriae Marciani , nihilominus & Leonis , vel ad Chalcedonenſis Concilii Beatae recordationis Praedeceſſor meus Leo conſulta direxit : quibus ita planè ac dilucidè Sacramentum Dominicae Incarnationis expoſuit , ut non modo Catholicus , ſed ne Chriſtianus quidem valeat nuncupari , quiſquis illic Redemtionis ſuae cauſſas non evidenter agnoſcat . Certè ut facilis vobis non deſit inſtructio , earumdem exemplaria literarum ad Fratrem , & Coëpiſcopum noſtrum Acacium miſi , veſtris ſenſibus offerenda . Duae itaque illae Leonis epiſtolae , prima ad Flavianum, ad Leonem Imp. altera, in qua de Mediatoris officio tractabatur , circumferebantur , velut communis ac certiſſimus index , in quo Redemtionis cauſſae luculenter poſſent dignoſci . Pergit deinde . *Haec igitur pietas tua recenſere dignetur , vel quae totius Orientis Epiſcopi de hujus praedicationis conſenſione reſcripſerint : aſpicies profectò examinata diligenter , & veraciter promulgata , atque ideo peſtiferae falſitatis ambagibus nequaquam debere pulſari .* Quibus equidem laudatum Encyclicum Tomum ejuſque irretractabilem autoritatem proponit . Quo autem in cenſu cum Encyclicus ipſe Tomus , tum Dogmaticae S. Leonis epiſtolae haberi debeant , in hunc modum oſtendit . *Quapropter Clementiam veſtram ..... precor atque obſecro , ut imitatores facti tantorum ac talium Praedeceſſorum , nefandae praeſumtionis operarios Catholico pectore reſpuentes , regia cenſeatis poteſtate cohiberi . Quiſquis , ſicut praedixit Apoſtolus , praeterquam accepimus , ſeminare molitur , anathema ſit . Nullus ad aures veſtras perniciosis mentibus ſurrependi pandatur acceſſus : nulla retractandi quicpiam de veteribus conſtitutis fiducia concedatur . Quia , ſicut ſaepius iterandum eſt , quod Apoſtolicis manibus cum Eccleſiae univerſalis aſſenſu acie meruit Evangelicae facis abſcindi , vigorem ſumere non poteſt renaſcendi , nec in Dominicae Vitis fructiferam valet redire propaginem , quod igni deputatum conſtat aeterno .* De epiſtolis autem à Leone Magno aut editis , aut ſuſceptis , quas Baſiliſco legendas tranſmiſit Simplicius , ita in epiſt. ad Acacium, apud Baronium p. 371. ſcribit . *Nota namque , & omnibus*

illic

illic poteſtatibus celebrata , quae ſanctae memoriae Praedeceſſor meus Leo ad conſultationem Auguſtae recordationis Leonis ſcripſerit , & quam veneranter accepta ſint , recognoſcat . Unde lucem foeneratur quod ſupra aïebamus , epiſtolam per duos legatos à Pontifice ad Imperatorem tranſmiſſam , deque Chriſti Mediatoris officio tractantem , velut Encyclicam fuiſſe ſuſceptam , atque omnium ſubſcriptione munitam , fidei decretum evaſiſſe .

XI. Quid ad haec egerit Acacius , quidve Simplicio Romano Pontifici reſcripſerit , ignorabatur Patrum noſtrorum aetate : ſed poſteaquam à Cl. Holſtenio inventa eſt epiſtola , Acacio ſubinde data , in qua Pontifex ad ea reſpondit, quae ſibi per Legatos , & per epiſtolam de Baſiliſci , Timotheique Aeluri nefandiſſimis auſibus ab illo fuerant renunciata , apparuit cum Acacii zelus , tum antiqua illa , & peroptima conſuetudo , ut praepoſtera iſtiuſmodi adverſùs fidem acta ad Eccleſiae Caput referrentur . Sic autem Simplicius in ea epiſtola , quae hodie legitur in Collectione Romana Holſtenii pag. 194. reſcribit Acacio . *Literis tuae dilectionis , quas per filium noſtrum Epiphanium Diaconum probatae fidei direxiſti , ea, quae ſtrictim religioſiſſimi filii noſtri Preſbyteri , Archimandritae cum Monachis , vel ante ſcripſerant , latiùs indicaſti , & prolixo quidem volumine , ſed ſermone neceſſario retuliſti ; ut quid vel Conſtantinopoli , vel in aliis regionibus ab Haereticis geſtum eſt , diſceremus ; ac ſingula quae contra Eccleſiaſticas regulas , & contra ipſam Catholicam fidem ubicumque commiſſa ſunt , ante noſtros oculos collocaſti , quatenus videatur , quo etiam remedio ſubveniretur Eccleſiis , quibus vim ſub occaſione Tyrannicae dominationis per abſentiam Chriſtianiſſimi Principis pernicioſus latro , & recidivus invaſor Alexandrinae Eccleſiae , lapſus exſiliis , irrogavit .* Directum ad ſe aït Simplicius Actorum volumen . Ex quo conjicimus , una cum Baſiliſci Encyclica , eadem perſecutione ſaeviente , geſta omnia direxiſſe Acacium , quatenus pleniſſimè de rebus Orientalibus Pontifex inſtrueretur : quod ipſamet epiſtolae verba commonſtrant .

XII. In Synodo Conſtantinopolitana Acacii zelo ea
518 omnia fuiſſe peracta , quae Theodorus Lector , atque iiſdem,
792 quibus ille, verbis regerit Theophanes; adeo ut populus om-

nis adverſus Baſiliſcum ſit commotus, teſtantur Acta Daniëlis Stylites cap. 40. & ſeqq., quae apud Surium die II. Decembris leguntur. Ac propterea Synodus haec Conſtantinopolitana, quae communiter à Collectoribus omittitur, huic anno 476. reſtituenda eſt, & prior cenſenda, quae ſtatim ab evulgatione Encyclicae, perfidiam decernentis, & haereticum edictum reſcidit, & populum, ne aſſentiretur, univerſum commovit. Enimverò Synodum hanc cum Epiſcoporum multitudine, tum fidei defenſandae ardore celebrem fuiſſe, ſat innuunt verba Pontificis, eidem Acacio ſcribentis, ibid. pag. 196. *In quo nec noſtrae preces apud Religioſiſſimum Principem, nec dilectionis tuae ſuggeſtio, aut tantorum Fratrum noſtrorum, quos adveniſſe Conſtantinopolim reperimus, imploratio Sacerdotum, aut ſupplicatio Monachorum, laborare poterit. Quin quicquid ad integritatem Catholicae fidei pertinet, in qua Eccleſiarum eſt conſtituta ſecuritas, regreſſu pietatis ſuae, Domino ſe ubique proſequente, omnium praeveniens vota reſtituit. Et apud mentem Chriſtianiſſimam facilis eſt impetrandi gratia, ubi Religionis eſt cauſſa. Sicut ergo literis noſtris, ita tuae dilectionis, vel omnium Fratrum, qui ſe ad documenta fidei ſuae Chriſtianiſſimi Principis praeſentavere conſpectui, ſuggeſtione repetendum eſt, ut Timotheus cum ſequacibus ſuis ad irremeabile dirigatur exſilium.* Et mox: *Diu autem Fratres, & Coëpiſcopos noſtros apud Conſtantinopolim non convenit demorari; nunc praecipuè, cum propter concuſſionem perſecutionis, quae mota fuerat, ſolicitae, atque attonitae ſunt in ſupraſcriptis Eccleſiis Civitates.* Subjungit deinde irretractabilia eſſe Chalcedonenſis Concilii acta, eâque inter alias de cauſſa, quod Encyclico edito Tomo ſint firmata. Unde pro ejus fidei cuſtodia poſtulat, ut Epiſcopi, in Concilio adunati, ad Eccleſias proprias regrediantur. *Ne aliquis dubius rationis, ac trepidus mentis exſpectet novi aliquid poſt Chalcedonenſe Concilium contra definitiones ipſius retractari: quia per univerſum Mundum inſolubili obſervatione retinetur, quod à Sacerdotum univerſitate eſt conſtitutum, & ſicut apparuit, Coeleſtis totiens ultionis aſſertione firmatum. Unde divino judicio reluctatur quiſquis ejuſdem venerabilis definita Concilii poſt tot divinae indignationis exempla non ſequitur.* Et in Actis Daniëlis Stylites, ubi de Acacio. *Pontifex autem quum omnes*

470

ferè

ferè eximios congregaſſet Epiſcopos. Horum autem aliqui cum Acacio degentes Conſtantinopoli, Populum ſuis decretis inſtruxerunt ad Encyclicum ſpernendum editum, alii ad Danielem excitandum perrexêre, ut fidei patrocinium ſuſciperet. Quae autem egerit Daniël, & qua Apoſtolica in objurgando Baſiliſco libertate, quibuſve etiam praedictionibus ſit uſus, prolixè enarrant Acta.

Mirum ſanè eſt celeberrimi hujus Conſtantinopolitani Concilii Acta à Scriptoribus fuiſſe penitùs omiſſa, quorum ideo plerique omnes harum rerum ſeriem, hiſtoriamque nec perſpicuè, nec accuratè ſatis propoſuerunt hactenus, diſcuſſeruntque. Operae autem pretium Concilii hujus explanatione fieri patet, tum quòd ejuſdem Acta ex Simplicii epiſtola, & Vita Danielis ſat ſuperque conſtent, tum quòd illius ſolicitudine in Tractu Conſtantinopolitano ſarta tectaque perſeveraverit Chalcedonenſis Concilii autoritas; factumque, ne totus Oriens in haereſim prolaberetur. Nos interim Concilii hujus Acta eò libentiùs in Eruditorum conſpectum protulimus, quòd ſubinde Tomi Encyclici, de quo ſuperiori §. diſputatum eſt, ex iis autoritas aeſtimiumque eruatur, quippe cum à Romano Pontifice, tum ab univerſis Tractus Conſtantinopolitani Epiſcopis, in praeſenti coetu collectis, argumentum ex eo deſumtum ſit ad irretractabile Chalcedonenſis Concilii judicium demonſtrandum.

XIII. Monachorum Conſtantinopolitanorum zelus, eodem Concilio praeeunte, enituit in Chalcedonenſi defendendo Concilio, & Encyclio, ut Evagrius loquitur, oppugnando. Praeter Daniëlem Stylitem, Olympius pariter Monachus, non impari Sanctitatis fama, fideique zelo nobilis, ſumma libertate Baſiliſcum objurgavit. Utriuſque hac in
518 re labores paucis complexus eſt Theodorus Lector. *Magnus autem Daniël, zelo fidei ſuccenſus, è columna deſcendit, & una cum plebe, atque Acacio conventus Eccleſiaſticos frequentavit ..... Daniël verò Monachis, & quibuſdam ex Populo ſecum aſſumtis, perrexit ad locum, in quo erat Baſiliſcus. Et Olympius Monachus magna cum libertate Baſiliſcum*
792 *allocutus eſt*. Eadem repetit illius fere exſcriptor Theophanes in Chronico.

XIV. Romanam autem Synodum à Simplicio fuiſſe in-
dictam ad Baſiliſci, Timothei Aeluri, atque Eutychiano-
rum nefarios infringendos conatus, ſuadent illae, quas
emiſit, epiſtolae. Hae quippe recepto more in Romana
Synodo condebantur, quibus & Orientalium auſibus mo-
dum faciebat Pontifex, & Occidentales ſolicitè commone-
bat, ut à perditiſſimorum hominum nequitia caverent,
atque in avita fidei profeſſione perſiſterent. De Synodo
equidem ſub Simplicio habita, haec Synodicus libellus Pap-
pi n. 94. *Similiter Simplicius, qui Leoni Romae ſucceſſerat,
Divina, & Sancta conſtituta Synodo, Dioſcorum, & Timo-
theum anathemate notavit, & Sanctam Chalcedonenſem Syno-
dum confirmavit*. Cum univerſo itaque Conſtantinopolitano
Tractu Occidentales Epiſcopi, Romano Pontifice praeeun-
te, in retinenda irretractabiliter Chalcedonenſis Synodi au-
toritate perſtiterunt.

XV. Publicato interim Encyclio, improbas manus dede-
runt reliquae Orientis Provinciae, quarùm elenchum pro-
dit Evagrius l. 3. c. 5. *His Encyclicis literis, ut ſcribit Za-* 594
*charias Rhethor, Timotheus, qui paullò ante reverſus ab exſi-
lio fuerat, conſenſit. Petrus quoque, cognomento Fullo, Epiſco-
pus Antiochiae, qui una cum Timotheo erat Conſtantinopoli.
His ad hunc modum geſtis, ut Paulus quoque Archiepiſcopalem
Epheſi Sedem ſuſciperet, decreverunt. Porrò idem Zacharias
refert, Anaſtaſium etiam Hieroſolymorum Epiſcopum, qui Ju-
venali ſucceſſerat, iiſdem Encyclicis ſubſcripſiſſe, alioſque item
complures: adeo ut circiter quingenti numero fuerint, qui Leo-
nis epiſtolam, & Chalcedonenſe Concilium damnaverunt.*

XVI. Timotheus itaque Aelurus, cui iſtiuſmodi Baſili-
ſci Encyclicae inſcriptae fuerant, earum praecipuus fa-
ctus executor, Epheſinum Concilium indixit, in quo im-
probi Epiſcopi vulgatae Encyclicae ſubſcripſerunt. De
Epheſino hoc conciliabulo ita ibid. Evagrius. *Idem Za-
charias ait, Timotheum Conſtantinopoli digreſſum, in Epheſio-
rum Urbem veniſſe, atque illic Paulum in Archiepiſcopali Se-
de collocaſſe. Qui, cum jam priùs ab Epiſcopis illius Provin-
ciae juxta antiquiorem conſuetudinem ordinatus fuiſſet, Sede
exciderat*. In eo itaque malignantium Concilio ſub haeretico,
& infenſiſſimo Chalcedonenſis fidei hoſte Timotheo, poſt

Pauli reſtitutionem, omnes ſubſcripſerunt. Imo decretum, ſeu potius libellum ad Imperatorem direxerunt, in quo ſe liberrimè ſubſcripſiſſe atteſtantur. Fragmenta libelli hujus reſervavit ibid. Evagrius; atque ex iis dignoſcimus, poſtulaſſe eos Imperiale patrocinium adverſus Acacium, & Epiſcopos Conſtantinopoli conſiſtentes, quos haud obſcurè ſugillant. *Sed calumniis* (inquiunt) *ac mendaciis nos inſectantur, quaſi vi quadam, ac neceſſitate compulſi, Sacris veſtris, & Apoſtolicis Encyclicis literis ſubſcripſerimus.* Haec illi, Acacii, & Conſtantinopolitani Concilii comminationes veriti, quum Exarchatus Aſianus tunc Patriarchali Conſtantinopolitanae Sedi ſubderetur. Pergunt deinde pro editae Encyclicae defenſione. *Nihil igitur aliud praeter Sacras veſtras Encyclicas literas proponi ſinatis: pro certò habentes id, quod jam dixi, univerſum Orbem rurſum everſum iri, & quod mala, quae à Chalcedonenſi Synodo importata ſunt, levia eſse videbuntur....... Proteſtamur coram Servatore N. J. C. liberam eſse pietatem veſtram, rogamus, ab ea, quae illis irrogata eſt, juſta, & Canonica, & Eccleſiaſtica condemnatione, ac depoſitione: praeſertim verò ab ea, quae irrogata eſt ei, qui per multa facinora deprehenſus eſt Regiae Urbis Epiſcopatum non ritè adminiſtrare.* Quibus ſatis indicant, ab Acacio, & Synodo Conſtantinopolitana decreta fuiſſe directa, nequis haereticali Baſiliſci Encyclicae ſubſcribere auderet; ut propterea Epheſini praevaricatores patrocinium Imperatoris poſtularint, ne Acacio ſuccumberent.

XVII. Haud aliter Antiochenus Tractus, Fullone claſſicum praecinente, & ſubſcripſit Encyclicae, & anathema in Chalcedonenſe Concilium, ejuſque aſſeclas dixit. Qua
792 de re Theophanes in Chronico. *Ceterum Julianus Antiochiae Praeſul, ex rebus geſtis dolore concepto, vitam amiſit. Petrus autem Fullo Thronum invadens, ſe ad anathemata, & tumultus excitandos convertit.* Eadem de Fullone habet Eutychianiſtarum Breviculus. Quod autem ad Hieroſolymitanum Antiſtitem attinet, praeter Zachariam, & Evagrium, narrantes, Anaſtaſium Hieroſolymorum Epiſcopum Baſiliſci En-
555 cyclicae ſubſcripſiſſe, Cyrillum etiam habemus teſtem in Vita S. Euthymii, quam & pridem Surius ad diem Ja-

nuarii

Digitized by Google

nuarii XX., & deinde Bollandiani edidêre. Ibi enim prolixiùs narrat excitas ab Eutychianis Monachis ſeditiones, haudquaquam iis inferiores, quas nefarius ille Theodoſius ipſo Chalcedonenſis Concili tempore contra edita decreta commoverat: quaeque deſcriptae ſunt in III. Parte Conc. 451
Chalced. Haec autem ad rem noſtram Cyrillus. *Cum verò Baſiliſcus occupaſſet Imperium, fecit Conciliabulum adversùs S. Synodum Chalcedonenſem; quo quidem nitens pars eorum, qui erant Schiſmatici in Sancta Civitate, cum ſibi Gerontium quendam praefeciſset Archimandritam, multa innovat adververſùs Eccleſiam, nec minora iis, quae priùs auſus fuerat Theodoſius*. Quid autem pro hac haereticali Encyclica egerit Alexandriae Aelurus, in Synodico num. 97. legimus. *Quum autem Zeno Leoni utrique, & magno, & parvo in Imperio ſucceſſiſset, Baſiliſcus, & Harmatius id invadentes, eum expulerunt: & cum propoſuiſſent, Synodum Chalcedonenſem planè evertere, generali decreto Timotheum, cui Aeluro cognomen erat, ex Cherſone evocarunt; qui quum Alexandriam veniſset ..... impia congregata Synodo, multis anathematiſmis Sanctam Chalcedonenſem Synodum ſubjecit*. Eadem refert Evagrius l. 2. c. 594
6. Atque haec priora fuêre Tragoediae hujus acta, quibus adversùs Chalcedonenſem Synodum conclamatum eſt, praecinente Zenodia, Eutychianiſtarum laqueis irretita, improbitatem juvante per Encyclicam Baſiliſco, & Timotheo Aeluro, omnium pridem Epiſcoporum decretis per Encyclicum Tomum damnato, impietatis exſecutore, & promotore delecto.

XVIII. Hactenus de Baſiliſci Encyclica: de Antencyclica Catholicorum ſequitur differendum. Simplicius, ut ab Acacio de Baſiliſci conatibus adversùs fidem fuit commonitus, non deſiit epiſtolis, atque inſuper comminationibus Tyrannum ſolicitare ad haereticalia revocanda edicta. Equidem, quod mox videbimus, Simplicii hortatu permotum fuiſſe Imperatorem ad Encyclii vim omnem infringendam, manifeſtè innuit in epiſtolis ad Epiſcopos Dardaniae Gelaſius Pontifex. *Nam ſi Baſiliſcus, ut dictum* 492
eſt, Tyrannus, & Haereticus, ſcriptis Apoſtolicae Sedis vehementer infractus eſt, & à plurimis revocatus exceſſibus. Et mox. *Sanctae memoriae Papa Simplicius non ſolùm Baſiliſcum*

 Tyran-

Tyrannum .... pro iiſdem ipſis exceſſibus auctoritate libera ſaepius increpaſse noſcitur. Periêre quidem iſtiuſmodi, quae magno rei huic illuſtrandae adjumento eſſe poterant, Simplicii epiſtolae: nihilominus merita laude minimè defraudandus eſt, qui, emiſſis duabus laudatis epiſtolis, & commemorata Encyclici Tomi autoritate, competenti zelo elaboravit, ut per Acacium, & Synodum Conſtantinopolitanam Epiſcopi Tractus illius non ab haeretica tantùm communione abſtinerent, ſed inſuper adeo ſtrenuè Baſiliſco obſiſterent, ut Encyclicam novo Encyclio antiquare cogeretur.

XIX. Itaque Baſiliſcus, qui à Synodo Conſtantinopolitana, à Monachis, & Populo, minarum ſeditioniſque metu, ex Urbe Conſtantinopolitana recedere coäctus fuerat, de
792 evulganda Antencyclica coepit cogitare. Theophanes quidem ſcribit, ipſum etiam Acacium, Populi tumultus veritum, diſſimulanter in Baſiliſcum invehiſſe. Sic enim ille ad ann. 477. *Acacium territum Cleri, & Monachorum Conſtantinopolitanorum agmine, pro Chalcedonenſi Synodo decertante, & in unam cum eis ire ſententiam diſſimulantem, ea de cauſsa adversùs Baſiliſcum, & Zenonem ex Eccleſiae ſuggeſtu peroraſſe. Quo comperto, Populi furorem Baſiliſcus metuens, exceſſit Civitate*. Sed quum Acacius ſolicitè Conſtantinopolitanam Synodum coëgerit, adjutores adhibuerit ſanctiſſimos Monachos, volumen ad Simplicium miſerit, atque ab eodem commendationis literas acceperit, aegrè admodum aſſentimur Theophani, praeſertim cum Acacius idem in Synodi Chalcedonenſis defenſione ad obitum uſque permanſerit. Audiendus itaque Zacharias potius, & ex eo Evagrius ibid. cap. 7. *Scribit etiam idem Zacharias, Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, ob eas res dolore perculſum, Monachos, & Populum Urbis Regiae adversùs Baſiliſcum, ut qui Haereticus eſſet, concitaſse: Baſiliſcum verò literas ſuas Encyclicas tandem abnegaſse, & lege lata conſtituiſse, ut ea, quae per ſubreptionem facta fuerant, irrita eſsent: literas denique prioribus Encyclicis contrarias miſiſse, quibus Chalcedonenſis Synodus confirmabatur*. Haſce quidem Antencyclicas omiſit Zacharias, reſervavit autem Evagrius.

XX. Porrò Antencyclicarum tenor iſtiuſmodi erat, apud

eun-

eundem Evagrium ibid. . Ἀντεγκύκλιον Βασιλίσκου . *Antencyclicae*
literae Baſiliſci . Imperatores Caeſares, Baſiliſcus , & Marcus .
Apoſtolicam , & Orthodoxam fidem , quae ab initio in Catholi-
cis Eccleſiis viguit , & quae ad noſtrum uſque Imperium obti-
nuit , quae & nunc ſub Imperio noſtro obtinet , & in perpetuum
deinceps praevalitura eſt ...... ſolam , illaeſam , & inconcuſ-
ſam praevalere , & in omnibus Catholicis , atque Apoſtolicis
Orthodoxorum Eccleſiis perpetuò manere decernimus , nec quic-
quam aliud praeterea requiri . Hanc igitur ob cauſſam cuncta ,
quae fidei , vel diſciplinae Eccleſiaſticae cauſſa ſub Principa-
tu noſtro facta ſunt , ſive Encyclicas , ſive alias epiſtolas , ſive
aliud quodlibet , irrita & caſſa eſſe praecipimus : Neſtorio ſi-
mul , & Eutyche , & cunctis aliis haereſibus , nec non & iis ,
qui idem cum illis ſentiunt , anathemate damnatis . Ac de
hoc argumento nec Synodum fieri , nec amplius quaeſtionem ul-
lam moveri volumus , ſed ea firma , atque inconcuſſa remanere .
Theodorus autem Lector Antencyclicam in Eccleſia Conſtan- 518
tinopolitana primùm innuit lectam & publicatam, n. 34.
Aſſumta Uxore Zenonide , in Eccleſiam profectus , excuſavit
ſe Acacio , & Clero , ac Monachis ...... alio Edicto abrogans
ea , quae priùs conſtituerat : Illud praeterea hinc docemur ,
alias huc & illuc miſſas epiſtolas , Encyclioque priori de-
creto annexas, per hoc Antencyclion irritari , nec non dam-
natos declarari conſentientes Eutycheti , ubi Timotheum
ipſum apertè ſugillat , quem Haereſiarchae perditiſſimè ad-
haerere , noverant omnes . Zeno deinde , recuperato Impe-
rio , eadem haereticalia omnia acta novo edicto obliteravit
caſſavitque , referente Chronico Alexandrino, quod , poſt
illius enarratam reſtitutionem , ſubjungit . *Mox legem ſan-*
civit , qua decreta Baſiliſci Tyranni , in literis generatim ad om-
nes praeſcriptis, comprehenſa , abrogata fuêre . Quod equidem
fieri in epiſtolis ad Zenonem datis, poſtulaverat Simplicius .

XXI. Eccleſiam autem Alexandrinam , ejuſque invaſo-
rem Timotheum quod attinet , praeſtat audire Brevicu-
lum Eutychianiſtarum . *Quum Baſiliſcus occupaſſet Imperium,*
damnare coepit Chalcedonenſem Synodum , & Catholicos perſe-
qui . Tunc denique Timotheus ille damnatus , accepta libertate,
venit Conſtantinopolim , & damnatos Haereticos locis ſuis red-
dit . Vadit Alexandriam ; fugit Timotheus Catholicus , & in

*Monaſterio latet .... Redit Zeno Imperator ad Regnum ;
Baſiliſcus opprimitur . Mittitur Alexandriam , ut pulſo perva-
ſore , Timotheus Catholicus redderetur Eccleſiae . Sed Timo-
theo damnato morte praevento , Petrus* (Moggus ſcilicet , Dia-
conus Aeluri , quo in facinoribus , & haereticalibus Ency-
clicis utebatur) *conſors ipſius , ab uno Haeretico Alexandri-
nis Epiſcopus ordinatur . Quem nihilominus dejici juſſit Chri-
ſtianiſſimus Imperator* [Zeno] *& reduci Timotheum Catholi-
cum* . Quo autem tempore , quave ratione Sedem occupa-
792 verit Moggus , in hunc modum prodit Theophanes . *In his
Timotheus Aelurus moritur , & in ejus locum Petrus Mongus in-
ducitur , Vir nequam , & veritatis adverſarius , olim depoſi-
tionis poena multatus . Hic ab uno Epiſcopo , eoque pariter de-
poſito , conſecratur . Hunc Dei zelo moti Monachi quidam ador-
ti , ſex tantùm & triginta dies Pontificatus honorem aſsecutum
deturbant : & iterum Timotheum Salophaciolum, Virum Throno di-*
553 *gnum reſtituunt* . Paullò aliter Liberatus in Breviario c. 16.
ubi de Zenone . *Scripſit Anthemio Auguſtali , ut Petrum qui-
dem Sacerdotio privaret , Timotheum verò in Epiſcopatum re-
duceret , & Autores inthronizati Petri puniret . Anthemius ve-
rò , accepta Imperiali juſſione , expulſit Sacerdotio Petrum, tan-
quam adulterum , & contra leges Eccleſiae Catholicae factum ,
& in Epiſcopalem Sedem Timotheum Salophaciolum revocavit .
Qui Epiſcopatu recepto , miſit quoſdam Clericos, gratias agens
Imperatori* . Nobilis enimverò fuit veritatis Chalcedonen-
ſis Synodi triumphus iſte , adeo quidem , ut , eodem te-
ſtante Liberato , Timotheus Aelurus prae Zenonis metu ſi-
bi mortem veneno conſciverit .

XXII. Antiochenae Eccleſiae ſtatus, atque in evertendis
Encyclicis reſipiſcentis Tyranni , zelus eſt aperiendus.
Perſiſtebant Antiochiae adhuc Euſtathiani , acerrimi Ni-
caenae fidei defenſores , qui electos Conſtantii potentia Pa-
triarchas nuſquam paſſi ſunt . Illi itaque effecêre , ut Ful-
lo ejiceretur . Aſſeclae equidem Eutychianorum Johannem
Apamenum elegerunt : ſed , eo poſt tres menſes pulſo ,
ſubſtitutus eſt Stephanus , quemadmodum referunt Theo-
phanes , Gelaſius in geſtis de nomine Acacii , & Libera-
tus in Breviario . Illi autem ſucceſſit Calendio , quo Pa-
triarcha , *Hi , qui Euſtathii cauſſa ad id uſque temporis ſe-*

paratim

paratim collectas egerant , Eccleſiae adunati ſunt , poſt annos centum ab obitu Euſtathii . Quod Theodorus Lector l. 2. n. 1. teſtatur . Grande ergo hocce commodum Antiochenis acceſſit ex reſtituta Chalcedonenſis Concilii profeſſione, & haereticalibus Baſiliſci caſſatis Encyclicis . Unde Evagrius l. 3. c. 10. *Ejecto autem Petro , Stephanus Antiochenſis Eccleſiae Epiſcopatum ſortitus eſt ...... Poſt Stephanum verò , ejuſdem Sedis adminiſtratio Calendioni commiſſa eſt . Hic omnibus, qui ipſum adibant , perſuaſit , ut Timotheum una cum Encyclicis Baſiliſci literis ſub anathemate damnarent* .

XXIII. Reſtat ad ſpectabiliorem triumphi hujus exitum commonſtrandum , ut Aſianorum converſionem recolamus . Cum enim iidem prae reliquis decretum in Synodo edidiſſent , ad haereticalem defendendam Encyclicam , aequum erat , ut reſipiſcentes , perfidiam clariùs ejurarent . Quod ſanè praeſtitêre , ut author eſt ibid. c. 9. Evagrius . *Interim verò Epiſcopi Aſiae , ut Acacium placarent , excuſatione apud eum uſi ſunt , veniamque petierunt , miſſis ad illum Poenitentiae libellis : quibus aſſeverabant , ſe neceſſitate adactos , non autem ſua ſponte Encyclicis literis ſubſcripſiſſe : jurabantque non ita ſe habere , nec ſe aliter , quam juxta Chalcedonenſis Synodi formulam credere nunc , & ante credidiſſe* . Adjecerunt autem & hanc in praedictis libellis profeſſionem . *Adjuvantibus enim precationibus veſtris , Deo acceptis , & Divino Numine , ita credimus , ſicut à Luminaribus Orbis terrarum Trecentis illis & octodecim , & à Centum & quinquaginta Sanctis Patribus accepimus . Credimus praeterea quae Chalcedone piè ac rectè definita ſunt à Sanctis Patribus illic congregatis* .

XXIV. Sub idem tempus , Anaſtaſio Hieroſolymitano vita functo , Martyrius ſucceſſor electus , fidei , atque imprimis Chalcedonenſis Concilii profeſſionem illico edidit , quod fusè refert Cyrillus in Vita S. Euthymii . Annotat 555
autem , eundem epiſtolas Zenoni , & Acacio per Phidum Diaconum dediſſe , ut Gerontium , ceteroſque Eutychianos , qui ſubſcripſerant haereticali Encyclicae , comprimerent : Noviſſe eum in itinere ex S. Euthymii viſione, brevi futurum , ut Haeretici expellerentur : ac denique Epiſcopos omnes , Gerontio , & Romano exceptis , Catholicis profeſſionibus unitos , anathematizatis iis , quae con-

tra Chalcedonenſem Synodum acta fuerant, ſollennem egiſſe feſtivitatem.

Atque hic exitus fuit Encyclicae, atque Antencyclicae Baſiliſci. Ex hac interim geſtorum ſerie luculentiſſimè dignoſcitur, quanta perſuaſione, quantoque molimine Romani Pontifices, Catholicique Epiſcopi, Encyclicum Tomum ſub Leone editum, promoverint: conſtat inſuper, quomodo Epiſcoporum conſenſus, & in ipſa Synodo datus, idemque per Encyclicas confirmatus, pari jure, aeſtimio, & pondere fuerit exceptus, atque ex utroque perinde capite adversùs haereticalem Baſiliſci Encyclicam promotus. Haec verò Imperatorum Leonis, & Baſiliſci geſta prolixiùs, & accuratiùs expendimus, tum ut quae haſtenus de evulgatione, autoritateque Encyclicarum, de Tomis Encyclicis, deque Antencyclicis aſſeruimus, diluciùs hinc confirmentur; tum quòd hoc pacto commodiorem viam ſternamus Hiſtoricis, quas huic ſubjiciemus, Diſſertationibus.

XXV. Perſeverantem Seculo VII. Encyclicarum morem, uſumque Antencyclicarum haud minus ſolicitè arripuerunt pravi Homines, protrudendarum Eccleſiae novitatum cupidi. Unum producimus hoc loco Pyrrhum Patriarcham Conſtantinopolitanum, perfidum Monotheliſmi anteſignanum.
639 Is publicatam in Synodo Conſtantinopolitana Imperialem Ecthesim Heraclii, nec tamen omnium eouſque ſubſcriptione firmatam, in alia Synodo confirmari voluit, deditque hac de re ad Epiſcopos Orbis Encyclicam. Utriuſque Synodi Conſtantinopolitanae fragmenta leguntur Secret.
649 III. Lateran., Tom. III. Concil. pag. 798., & in fragmento Synodi II. ſub Pyrrho pag. 802. haec leguntur. *Decernimus itaque, cum gratia in praeſenti quidem convenientes nobiſcum ſanctiſſimos Epiſcopos, qui necdum Imperialis praedicationis inſinuationi ſubſcripſiſſe probantur in tempore praecedenti, ut proprias ſubſcriptiones poſt noſtram ſubſcriptionem actibus ſubjungere debeant: nec non & eos, qui in hac Regia, & à Deo conſervanda Urbe poſtmodum conjunxerunt, & minimè ſubſcripſerunt per ſolicitudinem, quorum intereſt ſubſcribere, Praeſules. Curavimus autem nihilominus, Deo donare, & ad eos, qui abſentes ſunt, apud nos geſta cum Encyclia noſtra ſine dubio deſtinare epiſtola, quatenus & eorum unuſquiſque per ſuam ſimili-*

ter

ter ſubſcriptionem eidem Orthodoxae praedicationi conſentiat, & ſuam per ſubſcriptionem praecedentibus conjungant mentem: ut nobis inturbulentus fons, & ſuaviſſimus ſalutiferorum permaneat Dogmatum: Ex quo haurientes rationales oves Domini ſolitae ſunt bibere, & abundantia Divini laticis incraſſantes, atque ſitis penitus ſine experimento permanentes. Qui hoc facere paratus minimè fuerit, ſed permanens in inobedientia, condemnationi ſeparantium ſe de integritate Corporis Chriſti ſemetipſum miſerrimè ſubmiſſurus eſt, & judicium contra ſe irrecuſabile ex authoritate Apoſtolicarum Sedium ſibimet provocans, donec per ſubtiliorem intentum ſemetipſum ad viam ſalutiferam revocarit. Hactenus Haereſiarcha, pietatis, religioniſque perſonam gerens, ut receptiſſimo in Eccleſia medio Ecthesim, & Monothelismum univerſo Orbi propinaret, ſubindeque in fidei regulam cruda ejus inſomnia transiret. Ex his interim multa colliguntur, quae ſuſceptum argumentum extra omnem ambiguitatis aleam locant. Patet ſcilicet primò, Encyclicam à Patriarcha, ejuſque Synodo ſubſcriptam, dirigi conſueviſſe, ut abſentes ceteri omnes ſubſcriberent. II. poſt univerſalem ſubſcriptionem, magiſterium Eccleſiae fuiſſe in illis repraeſentatum. III. conſenſum hunc ſecutum, indicem fuiſſe veritatis, unde Populi, & Paſtores certò cognoſcerent puritatem, veritatemque Dogmatum. IV. tandem liquet, decreti Encyclici refragatores *judicium irrecuſabile* Apoſtolicarum Sedium ſibi provocaſſe, deque integritate Corporis Chriſti fuiſſe ſejunctos.

Haec ex effectu lucidiùs etiam apparent. Direxerat Pyrrhus Encyclicam ſuam, Ecthesis confirmatricem, non ad Johannem IV. tantummodo, ſed etiam ad Occidentales Epiſcopos. Ii verò, qui pacta ſancita inter Honorium, Sophronium, Sergium, & Cyrum ignorabant, ut Honorii nomen, & quod gravius erat, decretum velut ab ipſo editum de una in Chriſto voluntate, prout Pyrrhus in ſua Encyclica aſſeverabat, viderunt; dubii, & anxii conſuluerunt Johannem Pontificem. Unde is ad amovendam calumniam Typum rectae fidei edidit, ut ait Libellus Synodicus, ad Heraclium, Davidem, & Conſtantinum, Heraclii filios, una cum Apologia, in qua Honorium à calumnia vendicat. Excitatorum per Orientem tumultuum

memi-

meminit in Apologiae initio, ita ſcribens, apud Sirmondum Tom. III. Opp. pag. 474. *Quantum enim ex diverſis ſuggeſtionibus, quae ad nos catervatim venerunt, quinimo & ex ipſo quoque auditu didicimus, omnes Occidentales partes ſcandalizatae, Fratre noſtro Pyrrho Patriarcha per literas ſuas huc atque illuc tranſmiſſas, nova quaedam, & praeter regulam fidei praedicante, & ad proprium ſenſum, quaſi ſanctae memoriae Honorium Papam Deceſſorem noſtrum attrahere feſtinante, quod à mente Catholici Patris penitus alienum erat*. Hanc epiſtolam ſuam plurimorum ſubſcriptionibus roboratam, in Orientis Eccleſiis appendi juſſit Pyrrhus, ut refert Theodorus
641 Pontifex in epiſt. ad Paulum Conſtantinopolitanum, qui à Conſtante, ejecto Pyrrho, ad Sedem Conſtantinopolitanam fuerat evectus. Pontifex enim recenſens motiva damnationis Pyrrhi, hoc praeſertim elevat, quod Encyclicam, ita ſubſcriptam, ad populos decipiendos appendi in Eccleſiis curaſſet, atque in erroris ſubſidium nominaſſet Honorium. Eodem de argumento agitur in diſputatione Pyrrhi cum Maximo Martyre habita, ut ſupra nobis eſt annotatum.

ſ. XIX.

DE TESTIMONIIS, QUAE A PONTIFICIBUS, CONCILIIS, ET PATRIBUS MUTUARI EX ENCYCLICIS CONSUEVERE.

Synopſis.

I. *Diſquiſitionis uſus, atque praeſtantia.* II. *Encyclicum de Lapſis decretum laudat Romanus Clerus, ad Cyprianum ſcribens.* III. *Laudatur à Julio Pontifice Synodi Alexand. pro Athanaſio Encyclica.* IV. *Encyclicus Leporii libellus à Pontificibus, Conciliis, & Patribus laudatus.* V. *Zoſimi Tractoriam commendat Coeleſtinus.* VI. *Encyclicarum authoritatem commendant Generalia Concilia.* VII. *Imprimis Epheſinum.* VIII. *Athanaſius contra Georgium ſe tuetur authoritate Encyclicae.* IX. *Theophili Alex., & Juſtiniani Imp. adverſus Origeniſtas Encyclicae, ſuprema velut decreta habentur.* X. *Id multis comprobat Baſilius M. in epiſtolis, in cauſſa Euſtathii Sebaſteni editis.* XI. *Quid vox* Παῤῥησία *apud eundem in epiſtola ad Damaſum.* XII. *Damaſo praebuit occaſionem celebris Tomi evulgandi.* XIII. *Expenditur ejuſdem Baſilii epiſtola ad Patrophilum.* XIV. *Encyclicarum remedium commendat Alexander Alex.* XV. *Ad Euſtathium frangendum, unum Baſilio opportunum erat Encyclicarum remedium.* XVI. *Euſebius Doryleenſis ex Encyclica Concilii Antioch. contra Paulum Samoſat. Neſtorium coärguit.* XVII. *Marius Mercator ex Zoſimi Tractoria Pelagianos praejudicat.* XVIII. *Arius cauſſam ſuam fidit Encyclicis.*

I. ARgumenta, quae ex Tomo Encyclico, ſub Leone Imperatore edito, repetit Simplicius ad obliteran- 467
dam Baſiliſci Encyclicam, adverſus Chalcedonenſis Concilii authoritatem publicatam, praebuere nobis inſtitutae diſquiſitionis locum, quam eò accuratiùs perſequi decet, quum hoc ſacrum quoddam velut ſignaculum, cui non prorſus

fidere, Chriſtiano homini nefas, Encyclicarum pondus, & praeſtantiam firmet, roboretque. Enimverò argumenta, rationeſque ad terminandas controverſias propoſitae, ſi irrefragabilis judicentur autoramenti cum ab iis, qui proponunt, tum quibus proponuntur, rem ſimul etiam conficere omnem judicantur. Hinc quum Simplicius Pontifex autoritate Encyclii ſub Leone Imperatore conditi, in quo omnium Epiſcoporum Orbis conſenſu Chalcedonenſis Synodus fuerat confirmata, Baſiliſci Antencyclion contenderit antiquandum, planè conſequitur, adductum ex Encyclica quavis argumentum teſtatiſſimae veritatis criterium apud omnes praeſeferre. Quod autem de Tomo illo Simplicius, & poſt ipſum Eulogius, Caſſiodorus, Facundus, aliique ſupra laudati fecère, id aliis à Pontificibus, Generalibus Conciliis, graviſſimiſque Patribus eadem perſuaſione factum, multis monumentis eſt nobis exploratum: ut propterea operae pretium facturi ſimus, ſi quotquot Eccleſiaſticis decretis ſtatutiſque autoramentum ex aliis Encyclicis repetiêre, quatenus multa lectione deprehendere valuimus, in eruditi Lectoris conſpectum proferamus.

250 II. Ac primò quidem occurrit Cleri Romani epiſtola ad Cyprianum, in qua, quid in Libellaticorum cauſſa ſit agendum, exponunt. Exſtat inter Cyprianicas n. 31., & in hunc modum incipit. *Quamquam bene ſibi conſcius animus, & Evangelicae diſciplinae vigore ſubnixus, & verus ſibi in Decretis Coeleſtibus teſtis effectus ſoleat ſolo Deo Judice eſſe contentus, nec alterius aut laudes petere, aut accuſationes pertimeſcere: tamen geminata ſunt laude condigni, qui cum conſcientiam ſciant Deo ſoli debere ſe judici, actus tamen ſuos deſiderant etiam ab ipſis ſuis Fratribus comprobari. Quod te, Frater Cypriane, facere non mirum eſt, qui pro tua verecundia, & ingenita induſtria, conſiliorum tuorum nos non tam judices voluiſti, quàm participes inveniri: ut in tuis rebus geſtis laudem tecum, dum illas probamus, inveniremus, & tuorum conſiliorum bonorum cohaeredes, quia & affirmatores eſſe poſſimus.* Edita ſuperioribus temporibus pro Lapſis jam fuerant *Encyclica* decreta, eaque tanti autoramenti, ut eorum vigore ſubnixis nihil eſſet pertimeſcendum. Id quod luculentius ſeqq. verbis declarant. *Nec hoc nobis nunc nuper conſilium co-*

gitatum

gitatum eſt, nec haec apud nos adverſus improbos modo ſuper-
venerunt repentina ſubſidia, ſed antiqua haec apud nos ſeveri-
tas, antiqua fides, diſciplina legitur antiqua: Quam videlicet
Catholicus Orbis in Encyclicis ſcriptis conſtituerat, ut pro-
lixius, ubi de Encyclica adverſus Libellaticos edita, diſpu-
tabimus. Quamobrem antiqua haec diſciplina, per Ency-
clicas conſtituta, tantae erat ſecuritatis, ut & Coeleſtium
Decretorum nomen obtineret, atque in ea aſſerenda nullas
pertimeſceret accuſationes Romanus Clerus. Tametſi verò
epiſtola haec à Novatiano perſcripta fuerit, ſtylo & ele-
gantia Cyprianicis hauddubie aequanda; quoniam nihilo-
minus apud eundem Clerum recitata fuit, & ſuſcepta, om-
nium quoque nomine ad Cyprianum directa eſt: quod ip-
ſemet Cyprianus in epiſt. ad Antonianum, illius verba com-
memorans, apertè teſtatur. *Additum eſt etiam, Novatiano*
tunc ſcribente, & quod ſcripſerat, ſua voce recitante, & Presby-
tero Moyſe tunc adhuc Confeſſore, nunc etiam Martyre, ſubſcri-
bente, ut Lapſis infirmis, & in exitu conſtitutis pax daretur.
Deque ejuſdem epiſtolae cum argumento, tum authore ver-
ba facit Pacianus ad Sempronianum Novatianum epiſt. 3. 370
Novatianus veſter cum adhuc in Eccleſia degeret, & ſcripſit,
& ſuaſit, & legit. Eandem, quam ipſi ſequebantur diſcipli-
nam, obſervandam propoſuerunt Siciliae Epiſcopis per epi-
ſtolam, quae huic erat ſubjecta, quaeque intercidit. Ro-
mani etiam Confeſſores literas ſuas ad Cyprianum adjece-
runt, quae pariter deſiderantur, niſi quod earum memo-
riam reſervavit ille in epiſt. 32. Hi omnes antiquam diſci-
plinam, in Encyclicis exſtantem, legi in Eccleſiis conſue-
tam, ſuo calculo, & uſu confirmarunt. Atque hoc primum
eſt exemplum, exſtans illud quidem, & ſat commonſtrans
receptas in prioribus Encyclicis conſuetudines, quae velut
Coeleſtia decreta ſuſcipiebantur. Eas quidem ad Africanos
omnes Epiſcopos fuiſſe à Cypriano ſubinde directas, ipſum
habemus teſtem in epiſt. 32. laudata.

III. Haud aliter Encyclicam epiſtolam, quam pro tuen-
da Athanaſii innocentia ediderunt Alexandrinae Synodi Pa- 339
tres, laudat Julius Pont. in epiſtola ad eoſdem data, quam
recitat Socrates l. 2. c. 23. p. 111. *Nam & veſtra, & illius* 440
fides ea ratione ab univerſis cognita, & comprobata eſt. *Niſi*

enim tot, ac tantae contigiſſent vexationes, quis unquam crederet, aut vos de tanto Epiſcopo tale tuliſſe judicium, tantoque charitatis ardore eum complexos eſſe: aut illum tot, ac tantis virtutibus ornatum fuiſſe: propter quas Coeleſtium etiam praemiorum ſpe minime fraudandus eſt. Sanctiſſimus idem Pontifex, quantopere in fidei tractatibus vim Encyclicarum conſecutus fuerit, quove in pretio eaſdem haberet, ſat luculenter demonſtravit in epiſt. ad Orientales, quam recitat Athanaſius in Apolog. ad Conſtant. Imp. pag. 744. Scribit enim. *Quod ſi igitur (quemadmodum ſcribitis) pro exemplis in Novatum, & Paulum Samoſatenſem editis, decreta Synodorum obſervari oportet, certè minimè oportuit, calculos Trecentorum Epiſcoporum irritos haberi. Aequè enim illi Ariani haeretici ſunt, & calculi contra iſtos dati paris ſunt momenti cum calculis, quibus illi damnati ſunt.* Pergit oſtendere, Encyclicas à Cornelio contra Novatum, & à Synodo Antiochena contra Paulum Samoſatenum editas, idem planè robur, eandemque vim in illorum Haereticorum damnatione habuiſſe, quam habuerint adverſus Arium, & aſſeclas Nicaenorum Patrum Conciliaria decreta. Quid luculentius, & evidentius optes?

IV. Sed id omne, quod contendimus, in uno Leporii li-
532 bello factum à Pontificibus deprehendemus. Johannes equi-
dem II. in epiſtola ad Eviënum Senatorem, ad Liberium
alioſque Encyclicum hunc Leporii libellum commendat.
Leporius in epiſtola, quam Aurelius Epiſcopus Carthaginenſis,
& B. Auguſtinus, & Synodus Africana firmavit. Ejus ſubin-
540 de recitat teſtimonium. Quod & fecerat Facundus Hermia-
nenſis Epiſcopus l. 1. c. 4. *Scripſit libellum ſatisfactionis Le-*
porius ad Galliae Epiſcopos, quem Venerabiles Patres Aurelius,
& Auguſtinus, & ceteri ſic probaverunt, ut ad faciendam ve-
ritatis fidem etiam ſuas ei ſubſcriptiones adjicerent. Ejus &
ipſe prolixum excerpit teſtimonium. Quapropter in ſuppli-
431 catione à Baſilio, & à reliquis Monachis Theodoſio obla-
ta, quae in Synodo Epheſina Parte I. c. 17. p. 1335. legi-
tur, inter celebriora Patrum opuſcula, qui duarum in Chri-
ſto naturarum, & unionis hypoſtaticae dogmata orthodo-
420 xè luculenterque explanarunt, Leporius recenſetur, idem-
que in Libello emendationis hauddubiè, in quo ante hanc

Syno-

Synodum, Catholicam de Verbi Oeconomia ſententiam fue-
rat profeſſus. Imo in ipſa Chalcedonenſi Synodo Act. II., 451
ubi Dogmatica S. Leonis ad Flavianum lecta eſt, inter ea
quae ab eodem adjecta ſunt Veterum Patrum teſtimonia,
legimus. *Item ejuſdem Auguſtini in ſermone de expoſitione fi-
dei*. Ubi ampliſſimum ex Leporii libello fragmentum ad-
ducit Leo, ſub Auguſtini nomine quidem, quod ab Augu-
ſtino imprimis fuiſſet ſubſcriptus, & adprobatus, ſeu, quod
vult Queſnellius in notis ad epiſt. 134. S. Leonis, quoniam
author ejus fuerit Auguſtinus, quem ſubinde Leporius eſt
profeſſus, ceterique Epiſcopi ſubſcripſerunt. Non ſecus
quippe in altera ad Leonem Imperatorem Dogmatica de
Mediatoris officio, ampliora adjiciens Leo Pontifex SS. Pa-
trum teſtimonia, & illud pariter Auguſtini nomine laudat.
*Item ejuſdem ex libro aſſertionis fidei: Noſtrum namque eſt cre-
dere*. Et reliqua, quae in eodem Libello ſatisfactionis, ſeu
emendationis Leporii leguntur Tom. II. Conc. p. 306
Ex quo habes, Leonem Pontificem in ſua utraque epiſto-
la ex eo libro teſtimonium adduxiſſe, qui in Archivis Apo-
ſtolicae Sedis ſub Auguſtini nomine ſervabatur, fortaſſe
quòd Auguſtinus ad Apoſtolicam Sedem, ut confirmaretur,
ipſe direxerit. Interim fatetur S. Leo, ſe teſtimonia illa ad-
ducere, quibus Patres in opuſculis ad Eccleſias directis,
doctrinam Catholicam expoſuerunt. Ac de hoc quidem te-
ſtimoniorum delectu intelligenda ſunt quae habet in epi-
ſtolis 53. 54. 55. 56. Edit Queſnel., ubi aſſeverat, directam
à ſe Paternarum authoritatum ſufficientem inſtructionem.
Quemadmodum & in epiſt. 68. ad Paſchaſinum c. 3. ſcribit.
*Ut autem in omnibus pleniùs tua ſit inſtructa dilectio, SS. Pa-
trum noſtrorum de Sacramento Incarnationis Domini quid ſenſe-
rint, & quid Eccleſiis praedicaverint, ut evidenter agnoſceres,
aliqua ad dilectionem tuam ſcripta tranſmiſi, quae noſtri quoque
apud Conſtantinopolim cum mea epiſtola allegarunt*. Quum vi-
delicet Dogmatica per Anatolium quaquaverſum tranſmiſ-
ſa, ante Synodi congregationem à Metropolitanis fuit ſub-
ſcripta, ut dicitur Act. IV. Chalced. Concilii; quod teſti-
moniis ſimilibus ex aliorum Patrum Encyclicis utitur in au-
rea ad Marcianum Adlocutione, ut in Diſſert. III. mon-
ſtrabimus.

Digitized by Google

430 V. Coeleſtinus etiam in epiſt. ad Neſtorium, Parte I.
Concilii Epheſini c. 7., Encyclicam laudat adverſus Pela-
gium editam. Sic enim eam orditur. *Aliquantis diebus vi-
tae noſtrae, poſt nefandum, & ſaepe damnatum dogma Pelagii,
atque Coeleſtii, Catholica Fides quietem babuit, quando eos cum
ſanae opinionis ſequacibus, telis unitae ſententiae Oriens, Occi-
denſque percuſſit.* Atque hinc quidem peſſimè Neſtorium ip-
ſum egiſſe colligit, qui Julianum ſuſceperat, ejuſque ſocios,
Pelagianae conſortes haereſis, à quibus hactenus Zoſimi
Tractoria minimè fuerat ſubſcripta, Tractoria inquam, ab
Attico, Siſinnioque, Neſtorii in Conſtantinopolitana Sede
praedeceſſoribus, veneranter ſuſcepta, atque ab Univerſi
Orbis Epiſcopis adprobata. Unde Oriens, & Occidens uni-
tis ſententiis Pelagianae pravitatis aſſeclas omninò pro-
ſtraverant.

VI. Concilia Generalia depromtis ex Encyclicis docu-
mentis uſa plerumque fuiſſe, exploratum eſt. Synodus
451 equidem Chalcedonenſis Pacificam Cyrilli epiſtolam, cui
434 Pacis tempore Orbis Epiſcopi ſubſcripſerant, ceu Canoni-
cam recepit, eandemque, peremtorium velut decretum,
regerit, infringendae Eutychianorum perfidiae opportu-
325 num. Et multò pridem Nicaena Synodus non aliis verbis
ſententiiſque Samoſatenianos improbavit, quàm quibus An-
270 tiochena Synodus in Encyclica ad univerſas Eccleſias dire-
431 cta, uſa eſt. Id produnt Baſilius, ceterique Monachi in lau-
dato libello, ubi Catholicum Unionis, & diſtinctionis na-
turarum in Chriſto dogma aſſeverant definitum *A Sancta
Synodo Antiochiae contra Paulum Samoſatenum congregata,
quae centum octoginta numero Patres complexa, illum propter
ſuam impietatem (negabat enim Chriſtum natura eſſe Deum,
& Dei Patris filium) exauctoravit, à Magna, & Sancta Tre-
centorum decem, & octo Epiſcoporum Synodo apud Nicaeam
habita, quae ſententiam eorum, qui Antiochiae contra Paulum
Samoſatenum convenerunt, confirmavit, & approbavit.* Hinc
fragmentum illud, quod ſub nomine Concilii Nicaeni con-
tra Paulum Samoſatenum in Synodo Epheſina adductum
eſt, demonſtrabimus ex Encyclica Concilii Antiocheni reip-
ſa fuiſſe deſumtum, quum de eadem opportuniùs ſermo
redibit.

VII. In Synodo verò Epheſina Actione I. Patres, examen de Cyrilliana ad Neſtorium Encyclica inſtituentes, 431
teſtimonia imprimis adduxere ex Encyclicis Athanaſii ad Epictetum, duabus Theophili Alexandrini Paſchalibus, 326
Gregorii Nazianzeni ad Cledonium, & Baſilii de Spiritu 385
Sancto, quae quidem ſcripta, Encyclicos libellos Chalcedo- 370
nenſium Patrum Adlocutio indigetat. Pauca enimverò videri haec poterant teſtimonia, ex duodecim tantummodo Patribus prolata, ut Vincentius Lirinenſis in II. Commo- 434
nitorio adverterat: Sed quoniam deſumta illorum quatuor praeſertim ex Encyclicis deprehendebantur, in quibus univerſitas, atque omnium Epiſcoporum in eadem doctrina conſenſio ſat poterat commonſtrari, Patribus peridonea viſa ſunt ad univerſalis Eccleſiae ſenſum repraeſentandum, Neſtoriique perfidiam refellendam. Id quod ut oſtenderent, continuò Neſtorii aſſerta ſubjecerunt, ut Haereſiarchae perverſitas, lydio velut lapide, cum Encyclicis Athanaſii, Theophili, Gregorii Nazianzeni, & Baſilii collata, certius innoteſceret. His adjecta eſt Capreoli Carthaginenſis Pri- 431
matis epiſtola, in qua edita illa ſuperioribus temporibus Encyclica decreta proponit Patribus Epheſ., iiſque urget ſedulò accuratèque inhaerendum, cujuſmodi fuerant ſive Concilii Antiocheni adverſus Paulum Samoſatenum Encyclica, ſive adverſus Pelagianos Innocentii I., Zoſimique Tracto- 402
riae, quarum ſubſcriptione univerſi Orbis Epiſcopi ortho- 417
doxam doctrinam ſatis ſuperque expreſſerant. Synodum autem his commonet. *Novas doctrinas priſcae auctoritatis robore inſtructi, è medio profligetis, atque ita quibuſcumque novis erroribus reſiſtatis, ne hos, quos pridem impugnavit Eccleſia, hiſce temporibus repullulantes, Apoſtolicae Sedis auctoritas, Sacerdotumque in unum conſona ſententia repreſſit, ſecundae diſputationis praetextu vox jam dudum ablata renovare videatur*. Recolit priſcam autoritatem Capreolus, quâ conſona in unum Sacerdotum ſententia, nova haec Pelagianorum, atque Neſtorianorum deliria repreſſit. In quibus equidem graphicè proponit cum Encyclicarum pondus autoritatemque, tum dogmata per eaſdem ſemel conſtituta, praetextu ſecundae diſputationis nullatenus ad examen eſſe revocanda. Atque hac eadem de cauſſa Capreolus ipſe dogmaticam

ad Vitalem , & Tonantium in Hiſpania Epiſcopos ſcripſit epiſtolam, in qua catholicum adverſus Neſtorianos dogma pluribus adſtruit, atque hanc Epheſinae Synodo datam epiſtolam laudat , ut videre eſt Tom. I. Opp. Sirmondi pag. 362., qui hanc Capreoli adverſus Neſtorianos dogmaticam primus vulgavit. Cyrilli autem Encyclicas, alteram ſcilicet ad Neſtorium, ad Orientales de Pace alteram, & utramque concordi Epiſcoporum Orbis ſubſcriptione firmatam, fidei regulam evaſiſſe deinceps in Eccleſia , luculenter de-
533 monſtrat Hypatius Epheſinus Archiepiſcopus in Collatione Conſtantinopolitana , juſſu Imp. Juſtiniani cum Severianis habita. Illis enim proferentibus Cyrilli epiſtolas, in quibus duas in Chriſto ſubſiſtentes naturas poſt unitionem abdicat; quaſque nec Encyclicas, nec ab Epiſcopis fuiſſe ſubſcriptas conſtabat ; repoſuit Hypatius, Tom. II. Concil. Hard. p. 1165. *Nos ea, quae Epiſtolis ejus Synodicis conſentiunt , ſuſcepimus : quae autem non conſentiunt, neque damnamus , neque velut legem Eccleſiaſticam ſequimur. Synodicas autem ejus dico...... Epiſtolas , quae à Sanctis Conciliis & ſuſceptae, & confirmatae ſunt : ideſt , tam eam , quae ad Neſtorium , quam eam, quae ad Orientales ſcriptae ſunt . Nam contraria his neque damnamus , neque ſicut illius ſuſcipimus* . Quumque id explicuiſſet Apoſtolorum exemplo, qui ante decretum Synodi Hieroſolymitanae multa oeconomicè egerant, quae ad exemplum , & regulam trahenda minimè ſunt , velut eſt ipſum decretum, huic comparat Encyclicas Cyrilli, earumdemque evehit teſtimonia , & inconcuſſam autoritatem affirmat.

VIII. Sed & apud ſacrorum Tractatorum celeberrimos ea viguit conſuetudo , ut ad dogmata confirmanda , & ſtatuenda Eccleſiaſticae diſciplinae capita , ſi quae occurrerent ejuſdem argumenti, Encyclicas adhiberent. Ita S. Athanaſius , quum potentia Conſtantii , & Arianorum perſecutione, Alexandrinam Sedem relinquere coactus fuiſſet, ſub-
356 ſtituto illi abs Arianis eiſdem Georgio , epiſtolam *ad Orthodoxos Epiſcopos , quum per Arianos perſecutio fieret*, direxit , in qua alteram ad eoſdem datam laudat Encyclicam , occaſione qua in priori alia perſecutione Romam auſugerat , ut
341 Conciliabuli Antiocheni ſententiam revocaret, cujus vi &

ipſe

ipſe fuerat damnatus, & Gregorius Alexandrinus creatus Epiſcopus. Per quam ergo priorem Encyclicam, omnium Orbis Epiſcoporum ſubſcriptione firmatam, ejus innocentia conſtiterat, fueratque Alexandriae intruſus Georgius anathemati ſubjectus, eam in praeſenti laudat Encyclica. *Nam quoniam Gregorium, quem antea Euſebiani Arianis Epiſcopum conſtituerant, poſtquam de illo ſcripſiſſem, omnes vos Eccleſiae Catholicae Epiſcopi jure merito ob impietatem anathemate percuſiſtis, & abdicaſtis, quemadmodum probe ſcitis: ob eam cauſſam Georgium nunc iiſdem Arianis miſerunt Epiſcopum.* Ex ea itaque nervosè coärguit, non ſecus ac Gregorium, Georgium ſimiliter intruſum, eſſe anathematiſmis plectendum. Huic autem ſecundae adverſus Georgium Encyclicae addidit epiſtolam, quae quidem in vulgata Athanaſii Opp. editione inſcribitur, Oratio I. adverſus Arianos, reipſa Apologia eſt, & cauſſae communis adverſus Georgium, & Arianos defenſio, ad Epiſcopos omnes Alexandrinae Diaeceſeos tranſmiſſa. Quod animadvertit Cl. Valeſius in obſervationibus ad Socratem cap. 7. p. 388. *Quare ſupradicta Athanaſii epiſtola Circularis ad omnes Orthodoxos, non adverſus Gregorium ſcripta eſt, qui jam pridem obierat, ſed adverſus Georgium recèns intruſum in Sedem Alexandrinam. Contra quem etiam ſcripta eſt ab eodem Athanaſio altera Circularis epiſtola ad Epiſcopos Aegypti, & Lybiae, quae in vulgatis editionibus perperam inſcribitur, Oratio prima adverſus Arianos, cum tamen ſit epiſtola Encyclica, ſicut dixi, ad omnes per Aegyptum, & Lybiam Epiſcopos, quae jungi omnino debeat epiſtolae Circulari ejuſdem Athanaſii ad omnes Orthodoxos. Eſt enim ejuſdem utraque argumenti.* Hactenus ille. Epiſtola porrò haec ad Orthodoxos ſequioribus temporibus aeſtimii tantum obtinuit, ut die 2. Maii feſtiva S. Athanaſii publicè in Sacris conventibus legeretur; quod in Codd. ejuſdem Mſſ. antiquum Scholion annotavit.

IX. Anteaquam de Aegypto egrediamur, illud quoque annotare praeſtat, à Theophilo primùm per Encyclicas in 385
Origeniſtarum errores anathema fuiſſe dictum, unde haeretici habiti deinceps ſunt aſſeclae eorumdem. Atque ex communi hac perſuaſione Theodorus Alexandrinae Eccle- 451
ſiae Diaconus, Actione III. Concilii Chalced., inter alia ac-

cuſationum capita, in libello contra Dioſcorum comprehen-
ſa, probaturum ſe jurejurando ſpondet, quod ille, *exercens
inimicitias adverſus ejus rectam fidem, haereticus conſtitutus,
& ſemper quae Origenis ſunt ſapiens: & haec homo neque San-
ctae Trinitatis blaſphemiis abſtinens*. Quinam ſanè probare id
poterat Theodorus, unde pravitatis, & haereſis poſtulat
Dioſcorum, niſi ex Theophili Encyclica, quam totius Or-
bis conſenſu probatam diximus, & qua haeretici declarati
ſunt aſſeclae? Haud aliter reviviſcentis Origenianae haere-
ſis occaſione, Juſtinianus evulgatam Theophili definitionem
confirmaturus, edidit tum celebrem Encyclicam à Menna
541 in Concilio Conſtantinopolitano primùm adprobatam, at-
que ad reliquos ſubinde Patriarchas directam, quam illi
ſuo pariter calculo probatam, ſubſcribendam per Provin-
cias direxere; tum dogmaticam diſtinctim alteram ad Zoï-
lum Alexandrinum Antiſtitem, ex qua teſtimonium ſumſit
680 Synodus VI. Act. X., ubi inter alia Patrum teſtimonia, pag.
1231. legimus: *Item relectum eſt ex eodem Codicillo teſtimo-
nium ejuſdem Sanctae memoriae Juſtiniani, ex Dogmatica epi-
ſtola ad Zoïlum Sanctiſſimum Patriarcham Alexandriae, cujus
initium: Literas relegentes; continens ita*. Haec quidem epi-
ſtola ab illis, qui ſcriptorum Juſtiniani ſeriem, & catalo-
gum contexuerunt, plerumque fuit omiſſa. Perperam ſanè.
Et illam enim diſtinctim ab Imperatore ſcribi, exigebant
imprimis Aegyptii Monachi; & tanto ſubinde in pretio fuit
habita, ut Synodus VI. graviſſimum ex ea teſtimonium de-
ſumſerit. Atque ut ad Theophili Encyclicas redeat ſermo,
ipſe Juſtinianus in Tractatu Encyclico adverſus Origenem,
eas generatim laudat, atque illam praeſertim, quam, Pa-
399 triarchali probante Alexandrina Synodo, in Origeniſmi
damnationem evulgavit. Id legere eſt in eo Tractatu Tom.
III. Concil. p. 362. ipſo in lemmate. *Ex expoſitione Synodi-
cae epiſtolae Epiſcoporum Aegypti, atque Alexandriae adverſus
Origenis doctrinam*. Vides ergò, quantum obtinerent aeſti-
mationis iſtiuſmodi Encyclicae, ex quibus à Pontificibus,
Conciliis, atque etiam ab aliis Encyclicarum autoribus va-
lidiſſima depromta ſunt argumenta.

X. Sed ne in ampliſſima per ſemet materia, de qua &
nonnulla jam in iis, quae Typis Vaticanis prodierunt, Ob-

ſerva-

Digitized by Google

ſervationibus ad Anaſtaſium Bibliothecarium diximus, &
ſparſim deinceps dicturi ſumus in ſeqq. Differt., temerè va-
getur oratio, ſeligere Iubet ex Patribus Baſilium M. qui
editarum Encyclicarum autoritate plerumque diſputavit. 370
Inter multas ejus epiſtolas, praeſertim eas laudabimus, quas
edidit in cauſſa Euſtathii Sebaſteni Epiſcopi. Innuimus
in ſuperioribus, quid ille egerit, legatione pro Synodo 365
Lampſacena functus, & quemadmodum Epiſcoporum Oc-
cidentis, Orientiſque ſubſcriptiones corrogaverit, quibus
in Synodo Tyanenſi relectis, Baſilio duce proclamata 368
fuit Nicaena fides, & confirmata. Euſtathius deinde per
extortas Epiſcoporum omnium ſubſcriptiones ea ſimulatio-
ne uſus, Epiſcopatui quidem, à quo ob crimina excide-
rat, eſt reſtitutus: ſed ad vomitum reverſus, atque Aria-
nis, & Macedonianis adſociatus, fidei puritatem, Eccle-
ſiarumque unitatem divexare ſatagebat. Mala haec Da-
maſo, & Occidentalibus Epiſcopis, quorum praecipuè ſub-
ſcriptionibus fultus Euſtathius, adverſus Nicaenam fidem
graſſabatur, denunciare conſtituit Baſilius; quod egit in
epiſt., quae E. n. 74. In ea porrò cauſſam dicit, cur an-
tea iis de rebus nihil conſcripſiſſet, tum quod videlicet,
velut Ponticae Diaeceſis Exarcha, zelo fidei, & miniſterii
officio, confinitimae primùm Armeniae ſuccurrere tenere-
tur; tum quod malae ſuſpectaeque fidei ab Haereticis fuiſ-
ſet poſtulatus: Ceteroquin quantum ſecuritatis Encyclica,
ab illis emittenda, periclitanti Orientali Eccleſiae ſit alla-
tura; in hunc modum aperit. *Vos vero quanto ab illis ha-
bitatione remotiores eſtis, tantò plùs apud Plebem habetis fidei:
ad quod & hoc accidit, quod ad curandos oppreſſos, adjumen-
to vobis eſt gratia Dei. Quodſi plures quoque unanimes eadem
decreveritis, manifeſtum eſt, quod multitudo eadem decernen-
tium indubitatam omnibus efficiet Dogmatis ſuſceptionem.* Qua
Magni Baſilii teſtificatione nihil equidem ſplendidius affer-
ri potuit ad Encyclicarum pondus aeſtimiumque commen-
dandum.

Retecturus itaque priores Euſtathii ſimulationes, dolos,
& perjuria, quibus propria ſubſcriptione, & libello Ro-
mae apud Liberium fidem ſuam teſtatus fuerat; atque in
aprico locaturus, quemadmodum ad veteres blaſphemias

regreſſus , Provinciarum illarum pacem turbare , & incautiores pertrahere ad exitium elaboraret, rem omnem ab ovo, quod aïunt , aggreditur , & nervoſo quo ſolet dicendi genere , ita pergit . *Eſt itaque unus ex illis , qui plurimùm excitant turbarum , Euſtathius è Sebaſta minoris Armeniae . Hic olim inſtitutus ab Ario , cum is Alexandriae florens , impias adversùs Unigenitum Dei blaſphemias ſtrueret , ſectator illius & inter ſelectiſſimos diſcipulos connumeratus fuit . Poſtquam verò ad ſuos reverſus , à beatiſſimo Hermogene Caeſareae Epiſcopo , propter impiam opinionem condemnaretur , confeſſionem illi obtulit ſanae fidei , atque ita manus impoſitionem ab ipſo obtinuit . Ubi verò dormitionem accepit Hermogenes , mox ad Euſebium Conſtantinopolitanum ſe ſe contulit : qui & ipſe nihilo minus atque quiſquam alius , impium Arii dogma tuetur . Inde poſt quibuſdam de cauſſis pulſus , ad patriam ſe ſe recepit : illique denuo erroris purgationem obtulit : ſed ita celata & obtecta mentis impietate , ut quandam exhiberet verborum rectitudinem . Mox verò ubi utcumque adeptus eſſet Epiſcopatum , anathematiſmum contra* ὁμοούσιον *in Synodo Ancyrae habita , ſcripſiſſe deprehenditur . Ex illa ad Seleuciam profectus , cum illis, quos ejuſdem habet opinionis , ea geſſit , quae omnes norunt . Conſtantinopoli verò iterum ad ea , quae ab Haereticis propoſita ſunt , conſenſit . Atque ita Epiſcopatu ejectus , propterea quod jam in Meletina Synodo depoſitus eſſet , viam ſibi ipſi , per quam reſtitueretur , excogitavit ; eam videlicet , ut ad vos proficiſceretur . Quae verò ſint illi à Beatiſſimo Liberio propoſita , & ad quae conſenſerit , nobis clam eſt : niſi quod epiſtolam attulit, per quam reſtitueretur : eam ubi Tyanae Synodo exhibuit , in ſuum locum reſtitutus eſt . Iſte itaque jam fidem eam , in quam receptus eſt , depopulatur , cum illis facit , qui* ὁμοούσιον *condemnant . Deinde & Pneumatomachorum quoque haereſi patrocinatur . Quoniam igitur iſthinc vires accepit laedendi Eccleſias , ac* Παῤῥησίαν*, quam vos dediſtis, ad ſubverſionem multorum uſus eſt , neceſſe eſt , ut iſthinc quoque veniat malorum iſtorum correctio , ſcribaturque Eccleſiis , quibus quidem conditionibus ad communionem ſuſceptus ſit : ſemel verò adjiciatur , quomodo jam immutata ſententia , gratiam à Patribus , qui tum erant , acceptam , irritam reddat .*

XI. Baſilius oratoriè utitur voce Παῤῥησία . Nam ut aït

Suidas

Suidas noviſſimae editionis Tom. III. p. 50. Παῤῥησία *Fiducia , Poteſtas , Libertas .... Oratores vocem* Παῤῥησίαν *abuſivè dicunt de illis , qui in auditores invehuntur , ſive iiſdem aliquid exprobant , dum eorum , quae perperam facta ſunt, mentionem faciunt. Sic Aeſchines in Oratione contra Timarchum: Nicodemus autem ab Ariſtagora violenta morte necatus eſt , ambobus oculis miſero erutis , & lingua , qua , legibus fretus , liberiùs locutus fuerat* (graecè eſt ᾗ ἐπαῤῥησιάζετο) *exſecta . Et in oratione de falſa legatione . Decrevi intrepidè & palam , quae dicenda ſunt* (graecè Παῤῥησιάσασθαι) *dicere , liberèque vera loquens , vitam ſervare* . Haec cum Aeſchine Suidas , utut Iſocrates, & Harpocratio dixerint . Παῤῥησίας ἀντὶ τῆς βλασφημίας καὶ λοιδορίας . Illud autem ad rem noſtram quammaximè facit , Baſilium Occidentalium Encyclicam , Euſtathio, ceteriſque Lampſaceni Concilii legatis datam, nuncupaſſe Παῤῥησίαν , innuens ex Plebis , Eccleſiarumque perſuaſione , indubitatam Dogmatis ſuſceptionem . Qua phraſi apud Plutarchum Apophtegm. Imperat. p. 324. Paryſatis Darii Nothi uxor jubebat : τὸν βασιλεῖ μέλλοντα μετὰ Παῤῥησίας διαλέγεσθαι βυσσίνοις χρῆσθαι ῥήμασι . *Eum , qui Regem admoniturus eſset , byſſinis uti verbis .* Et Epiſcopi Orientales in libello , quem Agapito Romano Pontifici obtulerunt adversùs Severum , & Anthimum Acephalos, poſt ejuſdem Pontificis Encyclicam , quae E. in actis Concilii Conſtantinopolitani ſub Menna Act. I. Hard. Tom. 2. p. 1226. , ita loquuntur ibid. pag. 1218. *Ex quo Chriſtus Deus noſter pro debitis vobis praemiis propter ipſius in omni tempore cum vera fiducia* (graecè eſt Παῤῥησίας) *ſua invifibili , ac terribili virtute divulgatam confeſſionem , &c.* 980 90 536

XII. Tomus interim Occidentalium , in Oecumenica II. Synodo laudatus , nec non ejuſdem evulgandi occaſio (qua de re in III. Diſſertatione diligentiore criterio , quàm hactenus ab aliis factum ſit , Deo dante , differemus) vix ac ne vix quidem intelligi poteſt , niſi cauſſa illa Euſtathiana in ſua hac origine introſpiciatur . Enimvero quanti faceret nova haec , quae poſtulat Baſilius , Encyclica ſubſidia , ſat hiſce commonſtrat verbis , quibus claudit epiſtolam . *Horum curam à vobis requirimus . Eam adhibebitis , ſi univerſis Orientis Eccleſiis ſcribere dignabimini , ut eos , qui veritatis doctrinam ad hunc modum adulterarunt , tum demum*

ad communionem admittant , ſi quando errata correxerint . Si verò contentiosè rerum novationi immorari voluerint , ab illis ſecedant . Ceterum haud ignoramus & ipſi , quod oportuerat nos veſtrae prudentiae aſſeſſores , communi de his rebus consideratione tractare : verum quoniam nec temporis id ratio permittit , & dilatio perniciosa eſt, propterea quod Hominum iſtorum peſtis radices agit , neceſſitate adacti , Fratres hosce miſimus , ut ſimul quaecumque literas fugiunt , de ſuo vos perdocentes , pietatem veſtram eò pelliceant , ut quaeſitum Eccleſiae Dei auxilium exhibeatis . Vides ergo Baſilium arbitrari , ex aequo auxilium peſtiferis Haereticorum auſibus infringendis afferri poſſe per Concilia , ac per Encyclicas , atque poſtremum hocce remedium tunc praeſertim eſſe adhibendum , quum mala celerrimam,expeditiſſimamque opem videntur exigere .

XIII. Alterum porrò ſe ſe offert non minoris efficaciae ex eodem Baſilio argumentum , quod pondus , autoritatemque Encyclicarum luculenter commonſtrat. Scripſerat preſſus Euſtathianorum calumniis atque criminationibus, epiſtolam ad Patrophilum Epiſcopum , quae eſt n. 82. In ea autem enarrata Euſtathii , ſociorumque apoſtaſia , nec non rejectis , quibus per illos traducebatur , calumniis , refert quae adhibuerit media , ut Apoſtatas , ac perjuros ad bonam frugem reduceret , eoſque ex Encyclicis epiſtolis , quas illi ipſi detulerant, redarguere ſe voluiſſe teſtatur , quarum vim minimè valentes evertere , falſaque veris commiſcentes , judicium declinarunt . *Hoc in ipſis admiratus ſum . An propterea quod exhibito à nobis Libello ſubſcripſerunt , tanto diſſidendi ſtudio uſi, ut exſiſtentia, & non exſiſtentia commiſcuerint, quo delatoribus fidem facerent , non cogitant, quod Romae ſcriptum ipſorum, quo Nicaenam fidem confeſſi ſunt , reconditum habetur : nec quod e Roma acceptum Libellum Tyanenſi Synodo obtulerunt . Quin & apud nos , eandem hanc fidem habens, repoſitus eſt .* Pronum eſt ex hoc loco colligere , quum in laudata ſuperius ad Occidentales epiſtola dixerit Baſilius , ignorare ſe, quam confeſſionem Euſtathius Romae edidiſſet , Occidentales dum reſcriberent , ad eum tranſmiſiſſe exemplar Libelli , quem verſipellis Homo , ſociique Lampſaceni Concilii Legati ediderant , propriaque manu ſubſcripſerant , quodque in archivis Caeſareenſis Eccleſiae repoſitum , exſcriptumque ad

Patro-

Patrophilum ipſe tranſmittit .

Cauſſam mox aperit ſimulati illorum ab Arianis receſſus, quo ementitis legationibus , imo & Nicaenam fidem profeſſi , Liberium , atque Occidentales appellaverant : repetitque rem omnem ab Eudoxii Conſtantinopolitani Epiſcopi, & ſociorum perſecutione , patrocinante Imperatore Valente , apud quos , ut latam in ſe eluderent depoſitionis ſententiam , à Synodo Conſtantinopolitana confirmatam , ſi- 360
mulaverant poenitentiam . *Quin* [pergit Baſilius] *& propriae orationis obliti ſunt : qua cum in medium tum conſtituti eſſent , de ſeductione conquerebantur , quâ illecti , conſenſiſſent Volumini , quod ab Eudoxii congregatione compoſitum fuerat . Quocirca & erroris illius iſtam excogitaverunt apologiam , ut Romam abeuntes , Patrum inde fidem acciperent : atque ita noxam, qua Eccleſias ex mali conſortio laeſerant , per melioris inductionem corrigerent . Sed qui tam longinquarum profectionum laborem ſuſtinuerunt , tamque ſapienter tum iſta concinnati ſunt , nunc conviciantur , quaſi doloſè ambulemus , & ſub praetextu Charitatis , inſidiantium fraudem occultemus . Et quae jam circumferuntur , manifeſtum faciunt , quod Nicaenam fidem condemnaverint . Viderunt enim Cyzicum , & mox , mutata fide , reverſi ſunt . At quid de verborum immutatione dico , cum ex ipſis rebus factam eſse ad contraria inverſionem , multis potioribus demonſtrare queam argumentis ? Qui enim quingentorum Epiſcoporum contra ſe promulgato decreto non obedierunt , nec ab Eccleſiarum adminiſtratione amoveri ſuſtinuerunt , cum tot conſentientium Epiſcoporum ſententia ab officio depoſiti eſſent : propterea quod illi , ut aïebant , Spiritus S. non erant participes , nec per gratiam Dei Eccleſias gubernabant , ſed per humanam potentiam , ex inanis gloriae deſiderio , Eccleſiarum gubernationem rapuerunt : hi nunc eos , qui ab illis ordinati ſunt , pro Epiſcopis agnoſcunt.* Colligit ergo ex Encyclica epiſtola ut Euſtathii improbitatem , qua perjurus , & ab Eccleſia extorris factus , ſententia depoſitionis fuerat multandus ; ita calumniatori hujuſmodi ac perjuro Homini fidem minimè eſſe adhibendam . Sed quae hic curſim tetigimus , ubi de Tomo Damaſi , librata lance expendentur .

XIV. Quod autem auxilium in Encyclicis praeſtolari ſe fiebat Baſilius , idipſum pridem graviſſimum , aptiſſimum-

320 que remedium judicaverat Alexander Alexandriae Epiſcopus ad contumaces, rebelleſque motus comprimendos, quos Arius excitaverat. Quum Haereſiarcha cum aſſeclis, parvi pendens latam à proprio Antiſtite excommunicationis ſen-
324 tentiam, in Palaeſtinam aufugiſſet, in ſecunda Encyclica errorem denuncians Alexander, contumacemque ejus mentem, innuit quas mutuas ab Orbis Epiſcopis ſuſcepiſſet epiſtolas, & poſt brevem quidem, ſed doctrinalem errorum oppugnationem, concludit, inter cetera remedia peropportunum eſſe Encyclicarum uſum. Ita enim legimus in ea epiſtola, quae exſtat ante Concilium Nicaenum, Tom. I. p. 307. *Et cum multae aliae curationes ad hos ſanandos, qui hoc errore vulnerati ſunt; tum iſtud etiam remedium ad medicinam populo ab iſtis decepto faciendam, inventum eſt obtemperanti, & cum conſenſum Collegarum noſtrorum intelligant, eorum autoritate ad poenitentiam ſe ſeriò recipient.* Quapropter non ſecus ac Populis, ut Oecumenici Concilii autoritas nota, manifeſtaque facta eſt, praeſtanda injunguntur obſequia; ita Alexander, & poſt eum Baſilius aſſeverant, declaratum per Encyclicas epiſtolas conſenſum, unamque doctrinae profeſſionem efficax eſſe remedium, quo & Populi conſonam Epiſcoporum in ſuis Cathedris ſedentium definitionem audientes, obtemperarent, & ad poenitentiam adducerentur rebelles.

XV. Sed ad Baſilium regrediamur, qui in eadem epiſtola ad Patrophilum data, quum de Euſtathii, ſociorumque apoſtaſia fuiſſet locutus, in hunc modum pergit. *Parem circa fidem inconſtantiam, quam in illis video, haud ſcio, an in aliis ipſe viderim hactenus, aut ex aliis audiverim. Arium primum ſecuti, poſtea ad Hermogenem ſunt mutata ſententia converſi, qui ex diametro hoſtis erat Arii Cacodoxiae: quemadmodum manifeſtum eſt ex fide, quae ab illo Viro Nicaeae pronunciata eſt. Poſt dormitionem Hermogenis, iterum immutati ad Euſebium defecerunt, Virum, qui omnium eorum, qui Arium ſectantur, Coriphaeus eſt, ſicut aſſerunt qui experti ſunt. Inde elapſi, incertum quibus de cauſſis, iterum ad patriam reverſi, denuo Arianam ſententiam celarunt. Ubi Epiſcopatum nacti ſunt [ut quae interea temporis geſta ſunt ab illis, omittam] quoties fidem exponendo novarunt? Ancyrae dede-*

runt

runt aliam , Seleuciae aliam , aliam Conſtantinopoli , divulgatam illam , & aliam in Lampſaco : poſtea & quam dederunt in Nicaea Thraciae , & jam aliam in Cyzico : de qua etſi reliqua ignoro , hoc tamen audio , quod preſſa Ὁμουσίου *confeſſione ,* τὸ κατὰ οὐσίαν ὅμοιον, *jam circumferant . Et praeterea blaſphemias contra Spiritum Sanctum cum Eunomio conſcribunt . Iſtae autem fidei formulae , quas recenſui , etiamſi non omnes , ſibi ipſis inter ſe contrariae ſunt , nihilominus ſententiae produnt inconſtantiam ; propterea quod nunquam iiſdem verbis contenti , ſtabiles perſiſtunt* . In hoc ergo Orientis ſtatu , & qui recèns contigerat Ariminenſium lapſu , non opportunius aliud reme- 359
dium Baſilio ſuppetit , niſi Occidentalium excitare zelum, ut , factâ ab Epiſcopis lapſis Ariminenſis formulae per Encyclicas ejuratione , ſcriberent unanimes , Legatoſque in Orientem dirigerent , editas omnes formulas , una demta Nicaena , antiquaturos. Iccirco ſcripſit & ad S. Athanaſium epiſt. 52. , in qua cum ejus pro Nicaena fide zelum extollit , tum imprimis hortatur , ut Dominicum Curſorem ad Occidentales dirigat , apud quos in ſumma erat nominis gloria , quatenus ejuſdem hortatu compulſi , Encyclicas viciſſim ipſi in Orientem dirigerent , atque legatos , *omnia ſecum habentes , quae in Arimino ad neceſſariam geſtorum, quae illic facta ſunt , evacuationem.* Quoniam verò ſat noverat , Valentem Imperatorem, tunc ab Arianis partibus ſtantem , legationem , & epiſtolas impediturum , haec more conſulentis ſubjungit . *Et hoc nemine ſciente , abſque ſtrepitu , tacitè , per mare ad eos , qui hic ſunt , veniant ; ne qui pacis ſunt inimici , adventum eorum praeſentiſcant* . Imperator quippe dubio procul remedium auxiliumque hoc Encyclicarum , Arianorum ſuaſionibus , praepediviſſet.

XVI. Dixerat Alexander , & Magnus Baſilius firmaverat , Populorum animis facilè revincendis aptiſſimum per Encyclicas *remedium auxiliumque* afferri , quatenus *indubitatam Dogmatis ſuſceptionem admittant* . Alio id exemplo , eoque ſat inſigni , venit demonſtrandum . Quum Neſtorius ſuamet 428
improba ſcita, fretus Chryſaphii, imo & Theodoſii Imperatoris potentia , apud quem ſtrenuus erat fidei Athleta , liberè in Urbe Conſtantinopolitana diſſeminaret , nemo unus audebat improbum Haereſiarcham , grandia loquentem , faſcinan-

temque

temque Plebem , impetere . Euſebius tunc laïcus , Do-
ryleenſis ſubinde creatus Epiſcopus , tacito libello Popu-
lum peſtiferae haereſis commonendum duxit , in quo qui-
dem non alio documentorum genere uſus eſt , quam colla-
tione facta inter errores Pauli Samoſateni , & Neſtorii ,
aſſumens in ampliſſimum documentum veritatis, Encyclicam
270 à Synodo Antiochena evulgatam . Haec itaque Conteſta-
tio , tacito autoris nomine , totam brevi Conſtantinopoli-
tanam Urbem pervagata eſt . Legitur in Parte I. Concilii
Epheſini p. 1271. , atque hanc praeſefert epigraphen. *Con-
teſtatio propoſita in publico contra Clericos Conſtantinopolitanos ,
& in Eccleſia inſinuata , quia ſectator eſſet Neſtorius Pauli Sa-
moſateni,anathematizati ante annos CLX. ab Orthodoxis Epiſco-
pis* . Brevis illa quidem , ſed vehemens ; & ſucci plena in
hunc modum orditur . *Conjuro accipientem hanc chartam, per
Sanctam Trinitatem , ut eam palam faciat Epiſcopis , Presby-
teris , Diaconibus , Lectoribus , Laïcis habitantibus Conſtan-
tinopolim , inſuper etiam exemplar eis praebeat ad increpa-
tionem haeretici Neſtorii , qui ſimilia ſapit anathematizato Pau-
lo Samoſateno* . Pergit deinde Neſtorii verba cum erroribus
in Encyclica Antiochena deſcriptis , conferre , atque alia
aliis velut è regione locare , concludens . *Propterea deſigna-
vi tibi , o Zelota Sanctae fidei , & partem mathematis* [hoc
eſt , Encyclicae fidem ſtatuentis] *Eccleſiae Antiochenae* . Vi-
debat ergo Euſebius , Encyclicam Antiocheni Concilii ad
Plebem ſuadendam , quod Neſtorius haereticalia doceret ,
efficax illud eſſe remedium , quo praemuniti , ab illius labe
praecaverent . Certè tam vehementes motus apud Urbem
Conſtantinopolitanam , & Plebem excitavit Conteſtatio
haec , ut fundamenta jecerit ſecutae damnationis Neſtorii .

XVII. Eodem hoc tempore Julianus & aſſeclae , earum
probè gnari , quae Coeleſtinum inter & Neſtorium motae
erant de fide contentiones , ad Neſtorium confugientes ,
428 ejuſque patrocinium adepti , Mario Mercatori , Conſtantino-
poli tunc agenti , locum dedere , ut , edito commonitorio ,
publicè apud Conſtantinopolitanum Clerum,& Populum re-
feraret Haereticorum illorum contumaciam . Non alia au-
tem in commonitorio profert veritatis ſubſidia , quam ex
417 Encyclica Zoſimi , ſubſcriptionibus Patriarcharum Con-

ſtantino-

ſtantinopolitanorum Attici, Siſinniique, Neſtorii deceſſorum, Theodoti Antiocheni, Prayli Hieroſolymitani, ceterorumque Africanorum Antiſtitum roborata. Imo vel ex hiſce tantum Encyclicis publica diſputatione ſe contumaces illos Epiſcopos ſpondet reviſturum. *Hos igitur in hujuſmodi impiiſſimis erroribus deprehenſos ...... ad ſatisfactionem Eccleſiae Julianus, & ceteri ſui participes, vel modo condemnent, & ſi quos confidunt adverſus Catholicam fidem non rectè ſentire, nominatim deſignare non dubitent, & Eccleſiaſtico ordine à nobis accipient pro noſtra poſſibilitate reſponſum, aut ab eo certè, quem dicunt à ſenſu Catholico deviare.* Haec ſanè, & alia plurima, quae in hanc rem afferri poſſent, ſed in ſeqq. Diſſert. commodius expendenda reſervamus, ſat demonſtrant, quali quantoque pondere iſtiuſmodi Encyclicae adhiberentur, & quam obvia Plebi etiam & Populo eſſent veritatis ſubſidia.

XVIII. Tandem quòd argumentum ex ipſo adverſariorum uſu petitum quandoque efficacius urgeat, animo paulisper verſari lubet perſuaſionem, qua, ſi per iſtiuſmodi epiſtolas, ultro citroque datas, Epiſcopi perfidiam firmarent, cauſſam omnem ſe tuliſſe, exiſtimabant Haeretici. Dixerat Alexander in ſecunda ſua Encyclica, Arianos, ut, 324
aſſeclis oſtenderent, priori Alexandrinae Encyclicae haud fuiſſe praeſtitum ab Epiſcopis conſenſum, corrogaſſe hinc & inde epiſtolas, quibus non modicam Alexandrinorum partem ſeditiosè ad impietatem protraxêre. Praviſſimae huic arti vires addidit profecta è Nicomedienſi Concilio, 318
praecinente Euſebio, haereticalis Encyclica, cui ſemet, ſuoſque ſuffragatores dedit Paulinus Tyri; atque ſimul omnes, confictis in Alexandri zelum odii livoriſque calumniis, injuſtam multis perſuaſerunt latam ab eo in Arium ſententiam, & ab iiſdem Epiſcopis literas obtinuêre plures, quas in Codicem Encyclicum compactas, cum Ariani primitus, tum deinceps aſſeclae, grande velut perfidiae autoramentum, jactitarunt. Diſcimus id ex Socrate, qui, 440
enarratis Arianiſmi primordiis, ita de epiſtolis ab utraque parte emanatis, ſequitur l. 1. c. 6. *Ceterum quibus Arii opinio abſurda videbatur, ii prolatam ab Alexandro adverſus illum ſententiam approbarunt, eoſque qui ita ſentirent, jure dam-*

natos eſſe cenſuerunt . Euſebius verò Nicomedienſis , & quotquot opinionem Arii amplectebantur , ad Alexandrum ſcripſerunt , ut latam jam excommunicationis ſententiam diſſolveret , & Excommunicatos ad Eccleſiam revocaret : neque enim illos malè ſentire . In hunc modum cum contrariae utrimque literae ad Epiſcopum Alexandriae mitterentur , utriuſque Partis literae in unum Corpus collectae ſunt . Et Arius quidem eas , quae cauſſae ſuae faciebant ; Alexander verò contrarias in unum Volumen redegit . Atque hinc Sectae illae , quae noſtra aetate plurimùm vigent , Arianorum ſcilicet , Eunomianorum , & eorum , qui Macedoniani vocantur , defenſionis ſuae anſam arripiunt . Singuli enim Sectae ſuae epiſtolas, tanquam teſtes idoneos , laudant . Ex his jam mihi dijudica B. Lector , quam profundum ſapiant tralatitiae quidam , & proletariae eruditionis Homines , qui palam aſſerere ſuſtinuerunt , Pontificum , Patrumque Veterum neminem, petitis ex Encyclicarum magiſterio ſententiis, Dogmata, diſciplinamque conſtituiſſe . Vah malum ! nihil praetermittunt noſtrates Hiſtorici : nihil ignorant : dumque vana ſe imagine ludunt, apprimè docti , & intelligentes perhibentur .

Digitized by Google

§. XX.

DE PRIMARIO ENCYCLICARUM, ET SIMILIUM EPISTOLARUM SCOPO, FIDEI UNITATE, ET ANIMORUM CONCORDIA.

Synopſis.

I. *Animorum unio, fideique concordia à Chriſto, & Apoſtolis commendata, ex Cypriano expenditur.* II. *A violata ea unitate praeſumtio Anteneyclicearum manavit.* III. *Ad eandem ſervandam Eneyclicae inſtitutae.* IV. *Ratio hujus adfertur.* V. *Duo imprimis harum epiſtolarum genera.* VI. *Unitas epiſtolis Paſchalibus promota eſt.* VII. *Idem Pacificarum uſus.* VIII. *In his fidei profeſſio exigebatur.* IX. *Id exemplis confirmatur.* X. *Et ex actis Cyrilli cum Paulo Emeſſeno tempore Pacis.* XI. *Quid caverent, & à quibus darentur Pacificae, Formataeque.* XII. *Commendatitiarum uſus & origo.* XIII. *Harum à communicatoriis diſcrimen, per quas multiplex data communio.* XIV. *Formatae unde dictae.* XV. *Quae, quidve earum Forma.* XVI. *Quibus eſſent tradendae.* XVII. *Earum ex Auguſtino uſus.* XVIII. *Et ex Leone M.* XIX. *Has praetexuerunt Schiſmatici.* XX. *Calumnia in Baſilium conflatur, quod Formatam Apollinario dediſset.* XXI. *Formatam quoque obtinuit Marcellus.* XXII. *Data Apollinario Formata ex Nazianzeno expenditur.* XXIII. *Formatarum commercia urget contra Donatiſtas Optatus.* XXIV. *Iis deſtitui, Schiſmatis erat character.* XXV. *Eaſdem Haereticis tradere, grave neſas.* XXVI. *Illuſtratur id in cauſsa Petri Lambeſitani.* XXVII. *Flori teſtimonium de Encyclicarum uſu, autoritate, & ſcopo.* XXVIII. *Diſsertationis Concluſio.*

I. REdemtor, coena peracta, quum in Divino illo ſermone Trinitatis, Redemtioniſque complendae myſteria reſeraſſet, Orationem ad Patrem dixit, atque inter alia, quae ab eo ad Eccleſiae incolumitatem,

& revelatorum Dogmatum cuſtodiam efflagitavit, aptiſſima
velut media, *ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate*. Johan.
17. v. 19., & ſeqq., illud imprimis rogavit. *Non pro eis au-
tem rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum
eorum in me, ut omnes unum ſint ...... ut dilectio, qua di-
lexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis*. Supremam hanc Chriſti
voluntatem illico à glorioſa ejus in Coelum aſcenſione,
relictam velut ſanctiſſimam arrham, veraeque Eccleſiae
ſignaculum, exſecuti ſunt, & amplexi Diſcipuli, & Fi-
deles, adeo ut dixerit Lucas Act. 7. v. 44. *Omnes, qui cre-
debant, erant pariter; & habebant omnia communia*. Et c. 4.
v. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima
una ..... & virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium re-
ſurrectionis J. C. D. N., & gratia magna erat in omnibus il-
lis*. Praeſtat hoc de Divino praecepto differentem audire
248 Cyprianum in libro de Unitate. *Inter ſua divina mandata,
& magiſteria ſalutaria, Paſſioni jam proximus Dominus ad-
didit, dicens: Pacem dimitto vobis; pacem meam do vobis.
Hanc nobis haereditatem Chriſtus dedit: dona omnia ſuae pol-
licitationis, & praemia in pacis conſervatione promiſit. Si
haeredes Chriſti ſumus, in Chriſti pace maneamus. Si Filii
Dei ſumus, Pacifici eſſe debemus: Beati, inquit, Pacifici,
quoniam ipſi Filii Dei vocabuntur. Pacificos eſſe oportet Dei
Filios, corde mites, ſermone ſimplices, affectione concordes,
fideliter ſibi unanimitatis nexibus cohaerentes. Haec unanimi-
tas ſub Apoſtolis olim fuit: ſic novus credentium populus, Do-
mini mandata cuſtodiens, charitatem ſuam teneat. Probat Scrip-
tura divina, quae dicit: Turba autem eorum, qui crediderunt,
anima, & mente una agebant. Et iterum: & erant perſeve-
rantes omnes unanimes in oratione cum mulieribus, & Maria,
quae fuit Mater Jeſu, & Fratribus ejus, & ideò efficacibus
precibus orabant, ideò impetrare cum fiducia poterant, quod-
cumque de Domini miſericordia poſtulabant*. Atque hinc quot-
quot eveniunt mala, ſive in exitiali quovis fidei diſcrimi-
ne, ſive in rebus aliis, ubicumque ſarta tectaque diſciplina
grande emolumentum tribuit Religionis incolumitati, ea
contingere aſſeverat omnia ex ſacratiſſimi moniti hujus ne-
glectu. Quod urget idem Cyprianus epiſt. 8., ubi in Tra-
ctatu quopiam Eccleſiaſtico, conqueritur, *fuiſſe diſſonas voces,*

& diſpares voluntates : & vehementer diſplicuiſſe illi , qui dixerat : Petite , & impetratis ; quod plebis inaequalitas diſcreparet , nec eſſet Fratrum conſenſio una , & ſimplex , & juncta concordia , cum ſcriptum ſit : Deus , qui inhabitare facit unanimes in domo . Et in Actis Apoſtolorum legamus : turba autem , qui crediderant , anima , ac mente una agebant . Et Dominus ſua voce mandaverit , dicens : Hoc eſt mandatum meum, ut diligatis invicem . Et iterum: dico autem vobis , quoniam ſi duo ex vobis convenerint in terra , de omni re quamcumque petieritis , continget vobis à Patre meo , qui in Coelis eſt . Quodſi duo unanimes tantum poſſunt , quid ſi ſecundum pacem , quam nobis Dominus dedit , univerſis Fratribus conveniret ? Jam pridem de divina miſericordia impetraſſemus quod petimus , nec tantum in hoc ſalutis , & fidei noſtrae periculo fluctuaremus animo ; verò nec veniſſent Fratribus haec mala , ſi in unum Fraternitas fuiſſet animata . Jam quippe invaluerat multorum adverſus unitatem ſeditioſa praeſumtio: jam conſcribendarum Antencyclicarum obtinebat prurigo , & id genus epiſtolae coeperant uſurpari , quae , autore Baſilio M. in epiſt. 80. 370
Recuſatrices nuncupabantur , ut alibi accuratius expendemus .

II. Doctores pariter , atque Paſtores iccircò à Chriſto conſtituti ſunt , aït Apoſtolus ad Epheſios 4. v. 13. *Ut occurramus omnes in unitatem fidei* . Quam in rem praemiſerat v. 3. *Soliciti ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis , unum Corpus , unus Spiritus* . Quae quidem verba laudatus Cyprianus Novatiano opponit , qui primus peſſimum morem illum invexerat , ut in Eccleſiis , ubicumque ſchiſmatis gregales habebat , ſuarum partium Epiſcopum conſtitueret , à quo & reliquae deinceps ſectae ſuos pariter Pſeudo-Epiſcopos creare didicerunt . Quantum verò praepoſtera haec agendi ratio Eccleſiae incolumitati obeſſet , ediſſerit in epiſtola 52., quae eſt ad Antonianum , laqueis Novatianorum irretitum. Ac primò illius carpit doctrinam : *Scias , nos primo in loco nec curioſos eſſe debere , quid ille doceat , cum foris doceat . Quiſquis ille eſt , & qualiſcumque eſt , Chriſtianus non eſt , qui in Chriſti Eccleſia non eſt* . Verae ſubinde Eccleſiae , verique Epiſcopatus , & Paſtoratus certiorem proponit indicem , & characterem . *Jactet ſe licet , & Philoſophiam , & eloquentiam ſuam ſuperbis vocibus praedicet , qui nec fraternam caritatem , nec*

Eccleſiaſticam unitatem retinuit, etiam quod prius fuerat, amiſit. Mox autem ad rem noſtram preſſius. *Et cum ſit à Chriſto una Eccleſia per totum Mundum in multa membra diviſa, item Epiſcopatus unus, Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus, ille poſt fidei traditionem, poſt connexam, & ubique conjunctam Catholicae Eccleſiae unitatem, humanam conatur Eccleſiam facere, & per plurimas Civitates novos Apoſtolos ſuos mittit, ut quaedam recentia inſtitutionis ſuae fundamenta conſtituat; cumque jam pridem per omnes Provincias, & per Urbes ſingulas ordinati ſunt Epiſcopi in aetate antiqui, in fide integri, in preſſura probati, in perſecutione proſcripti, ille ſuper eos creare alios Pſeudo-Epiſcopos audeat.* Ab hiſce autem ſuperinductis Epiſcopis mutuas recipiebat, dabatque epiſtolas Novatus, atque, ut in ſuperioribus annotavimus, quatuor direxit cum Encyclica curſores, ut illorum etiam, qui ab Orthodoxia, & unitate ſtabant, mutuas acciperet, ac Schiſma prolataret. Atque ab hoc quidem Novatiano Schiſmate inductam primùm reor Antencyclicarum conſuetudinem, quam ſubinde Ariani arreptam miris artibus propagarunt. Exſcribere ad hanc noſtram firmandam animadverſionem juvat ſequentia Cypriani verba. *Quaſi poſſit* [inquit ille] *aut totum Orbem novi conatus obſtinatione peragrare, aut Eccleſiaſtici ordinis compaginem diſcordiae ſuae ſeminatione reſcindere; neſciens, Schiſmaticos ſemper inter initia fervere, incrementa verò habere non poſſe, nec augere quod illicite coeperint, ſed ſtatim cum prava ſua aemulatione deficere: Epiſcopatum autem tenere non poſſet, etiamſi Epiſcopus prius factus, à Coëpiſcoporum ſuorum corpore, & ab Eccleſiae unitate deſciſceret: quando Apoſtolus admoneat, ut invicem noſmetipſos ſuſtineamus, ne ab unitate, quam Deus conſtituit, recedamus, & dicat: ſuſtinentes invicem in dilectione, ſatis agentes ſervare unitatem Spiritus in conjunctione pacis. Qui ergò nec unitatem Spiritus in conjunctione pacis obſervat, & ſe ab Eccleſiae vinculo, atque à Sacerdotum Collegio ſeparat, Epiſcopi nec poteſtatem poteſt habere, nec honorem, qui Epiſcopatus nec unitatem voluit tenere, nec pacem.* Enimverò quae à Novatiano inducta eſt praviſſima conſuetudo, ut per Antencyclicas fucum veritati faceret, eadem in alio Schiſmate, ſub idem tempus per Africanam Eccleſiam graſſante, Feliciſſimo duce, praeſumta le-

gitur apud eundem Cyprianum, adverſus quem factioſa il-
la turba per extortas iſtiuſmodi Antencyclicas ſeditionem
conflare, diutiùs elaboravit. Haec itaque prior eſt Anten-
cyclicarum origo, quibus quarto ſubinde ſeculo Ariani,
Semiariani, Aëtiani, Macedoniani, Apollinariſtae, Euno-
miani, ſimileſque peſtes perfidiam propagare ſunt conati.
Ubique enim quum haud aliter conſtituiſſent propriae ſe-
ctae Epiſcopos, ab iis epiſtolas in variis diſſitiſque Provinciis
ſubſcriptas, apud plebem, & populum oſtentabant, perver-
ſitatis pomoeria uſquequaque extenſuri.

III. Liquet jam hinc, animorum concordiam, fidei uni-
tatem, & conſonam, conſtantemque dogmatum profeſſionem
harum Literarum praecipuum fuiſſe ſcopum; quippe qui-
bus faciliùs, tutiuſque, perſecutionum praeſertim tempore,
unitas haec ſervaretur. Haud aliter enim, ac epiſtolae, in-
ter abſentes ultro citroque datae, praeſentes velut, conver-
ſantes, confabulanteſque amicos repraeſentant: unde fre-
quens illarum commercium ad amorem fovendum, ſervan-
damque animorum unionem, mirabile quoddam illicium,
aptiſſimum medium, & arctiſſimum cenſetur apud omnes
vinculum: ita Apoſtoli, atque Apoſtolici deinceps Viri, po-
ſteaquam ad ultima terrarum Orbis confinia Chriſtianam
Fidem, & Religionem propagarunt, mandati à Chriſto tra-
diti memores, unitatis fideique ſervandae gratia, epiſtolas
ultro citroque dare coepêre: quod illorum ſubinde exem-
plo ab Epiſcopis factum eſſe, ampliſſimis animadverſioni-
bus, niſi fallor, à nobis prorſus eſt demonſtratum. Hoc
ſane aptiſſimum velut medium fuiſſe habitum, vel unus do-
cere poteſt Cyprianus, qui, quum Novatianus, miſsâ per
Orbem Antencyclica, una cum volumine calumniis opple-
to, quas in S. Cornelium conflaverat, populos, & Provin- 250
cias in factionem pertraheret, Encyclicarum mutuarum re-
medio occurrendum ratus, cum Africanos Antiſtites, tum
Cornelium ipſum, ad fovendam per haſce epiſtolas concor-
diam eſt adhortatus. Scribit hinc ad Cornelium epiſt. 42.
*Cui rei ſopiendae neceſſarium duximus, ut ſcribentium nobis inde
Collegarum noſtrorum firma, & ſolida autoritas pararetur: qui
moribus, ac vitae, & diſciplinae tuae condigna literarum ſua-
rum teſtimonia praedicantes, aemulis quoque, & rerum vel no-*

vitate, vel pravitate gaudentibus, omnem ambigendi, & diſcrepandi ſcrupulum ſuſtulerunt: & ſecundum conſilium noſtrum, ſalubri ratione libratae in hoc fluctu aeſtuantium Fratrum mentes, ſincerè, ac firmiter tuum Sacerdotium probaverunt. Hoc enim vel maxime, Frater, & laboramus, & laborare debemus, ut unitatem à Domino, & per Apoſtolos nobis ſucceſſoribus traditam, quantum poſſumus, obtinere curemus, & quod in nobis eſt, palabundas & errantes oves, quas quorumdam pervicax factio, & haeretica tentatio à Matre ſecernit, in Eccleſiam colligamus, illis ſolis foris remanentibus, qui in obſtinatione ſua, vel furore perſeveraverint, & ad nos redire noluerint, diſcretionis, & ſeparationis à ſe factae, & Eccleſiae derelictae ipſi rationem Domino reddituri. Hiſce autem literis ex multiplici ſubſcribentium Epiſcoporum copia pondus, autoritatemque conciliari, atque adeò felicius improbos Novatianorum conatus, & legitimam ex adverſo Cornelii electionem populis, ceteriſque omnibus ſuaderi poſſe, ſcribit eidem Cornelio epiſt. 45. *Ne in Urbe Schiſma factum abſentium animos incerta opinione confunderet, placuit, ut per Epiſcopos, retenta à nobis rei veritate, & ad comprobandam ordinationem tuam, facta autoritate majori, tum demum ſcrupulo omni de ſingulorum pectoribus excuſſo, per omnes omninò iſthic poſitos literae fierent (ſicut fiunt) ut te univerſi Collegae noſtri, & communicationem tuam, id eſt, Catholicae Eccleſiae unitatem pariter, & caritatem probarent firmiter, & tenerent. Quod divinitus eveniſſe, & conſilium noſtrum providenter profeciſſe, gaudemus. Sic enim tunc Epiſcopatus tui, & veritas pariter, & dignitas, aptiſſima luce, & manifeſtiſſima, firmiſſima comprobatione fundata eſt, ut ex reſcriptis Collegarum noſtrorum, qui ad nos literas inde fecerunt, & ex relatione, ac teſtimoniis Coëpiſcoporum Pompei, & Stephani, & Caldonii, ac Fortunati ordinationis tuae origo neceſſaria, & ratio juſta, & glorioſa quoque innocentia ab omnibus noſceretur. Quod ut ſimul cum ceteris Collegis noſtris ſtabiliter, ac firmiter adminiſtremus, atque ut Eccleſiae Catholicae pacem concordiae unanimitate teneamus, perficiet divina dignatio. Ut Dominus, qui Sacerdotes ſibi in Eccleſia ſua eligere, & conſtituere dignatur, electos quoque, & conſtitutos ſua voluntate, atque opitulatione tueatur, gubernantes inſpirans, ac ſubminiſtrans, & ad improborum contumaciam fraenandam, vigorem,*

&

& ad Lapſorum ſovendam poenitentiam, lenitatem.

IV. Haec quidem erat Eccleſiaſtica conſuetudo. Reſtat ut in ejus rationes exemplis, & animadverſionibus inquiramus. Quod cum per ſemet jucundum eſt, & ſcitu dignum, tum quod ſuſcepimus pertractandum unitatis, concordiaeque argumentum, mirum in modum illuſtrat. Epiſcopi enimverò, & ſupremi quicumque Eccleſiaſticae gubernationis moderatores, animo verſantes fidei unitatem, Eccleſiarum concordiam, atque unam eandemque populorum profeſſionem ſervare; & ad id omne expeditiſſimè tutiſſimèque obtinendum, peropportunas eſſe videntes mutuas haſce epiſtolas, variis inductis earumdem epiſtolarum generibus, inſtitêre propoſito, atque adeò caſtam illibatamque dogmatum, & diſciplinae cuſtodiam poſteris tradiderunt. Quae quidem varia genera partiri, & expendere, quatenus ad hanc rem faciunt, conſtituimus.

Communior autem, & uſitatior Encyclicarum forma ea fuit, qua in gravioribus Eccleſiaſticis fidei, diſciplinaeque controverſiis omnes Eccleſiarum Antiſtites commonebantur, ut in fidei unitate perſeverarent. Quoties enim Eccleſia impoſtorum procellis jactabatur, velut ad aciem, indicto per Encyclicam epiſtolam claſſico, omnes Eccleſiaſtici, Chriſtianique agminis vires excitando, hoſtilemque improborum hominum contra dogmata animum reſerando, & populos ad conſtantiam ſuſceptae fidei adhortabantur, & iſtorum Rectores, Duces, & Epiſcopos excitabant, quatenus eorum operâ, unionis vinculum ſolidaretur, hoſtium tela praecaverentur, & per communem definitionem, unamque dogmatis profeſſionem, tutiſſimo Encyclicarum ſubſidio, fidei unitas victrix perſeveraret. Quod quam feliciter, atque ex voto Eccleſiis ceſſerit, monumentis cum adductis, tum in proxima Differt. preſſius expendendis, omninò conſtabit. A. C.

V. Optimè ſcripſerat Cicero 2. Famil. 4. *Epiſtolarum genera multa eſſe non ignoras: ſed unum illud certiſſimum, cujus cauſſa inventa res ipſa eſt, ut certiores faceremus abſentes, ſiquid eſſet, quod eos ſcire, aut noſtra, aut ipſorum intereſſet...... Reliqua ſunt epiſtolarum genera duo, quae me magnopere delectant: unum familiare, & jocoſum; alterum ſeverum, & grave.* 70
Non ſecus apud Antiſtites, & Eccleſiarum Paſtores grave

unum erat epiſtolarum genus, nec niſi in gravioribus fidei,
diſciplinaeque contentionibus, aut, ut diximus, adhibi-
tum, aut adhibendum; alterum verò familiare, quod qui-
dem Eccleſia, omniſque Chriſtiana Reſpublica nuſquam
praetermiſit. Hic enim Epiſcoporum ſcribendi uſus eò col-
lineabat, ut certis anni tempeſtatibus familiares ultro ci-
troque dantes epiſtolas, mutuum amorem, & affectum, con-
ſtantiam fidei, atque unam profeſſionem, quae in illis ple-
rumque inſerebatur, in dies magis augerent.

VI. Paſchales equidem epiſtolae, quae à Primate, &
Epiſcopis ſive ejuſdem, ſive confinitimarum regionum quo-
tannis mutuò dari conſueverunt, vulgare medium erant ad
animorum fovendam conjunctionem, & neceſſitudinem.
Hinc Primas, eaſdem dirigens, ut Suffraganei noſſent, ad
quos traderent, & à quibus tutò reciperent, quotannis pa-
riter ad epiſtolae calcem nomina recèns electorum Epiſco-
porum ſignabat, necnon eorum, qui à fide erant extorres,
quatenus cum illis Eccleſiaſtica haec commercia interrum-
385 perent. Quod ex Theophili Paſchalibus ſat diſcimus. Sol-
lenne equidem Epiſcopis fuiſſe, per dies Paſchales hoc epi-
490 ſtolarum genere vinculum charitatis fovere, docet Avitus
in epiſt. 67. Ea autem occaſione denunciari conſueviſſe Ec-
cleſiarum ſtatum, & fidei inſeri profeſſiones, demonſtrant
254 argumenta epiſtolarum Paſchalium Dionyſii Epiſcopi Ale-
xandrini, apud Euſebium lib. 7. c. 20. *Praeter ſupradictas
epiſtolas, idem Dionyſius Paſchales illas, quas habemus, epiſto-
las tunc temporis conſcripſit: Encomia in illis, & Panegyricos
ſermones de Paſchali feſto contexens*. Erant itaque in Codice
quopiam compactae, & quarumdam ex illis argumentum
315 cum ibi, tum cap. 21. laudat Euſebius, oſtenditque haſce
378 epiſtolas ad varios fuiſſe directas. Exſtabant aevo etiam Hie-
326 ronymi conſcriptae à S. Athanaſio Paſchales epiſtolae, qua-
rum unius tantum ſupereſt nobis fragmentum, in quo Sa-
crorum Bibliorum Canon exhibetur: quum ceteroquin ex-
ploratum ſit, emiſſas quotannis ab eodem Paſchales in quo-
piam olim codice fuiſſe adſervatas. Diſcimus id ex auto-
re libri, cui titulus: *Deſcriptio Mundi univerſi: ex mente Chri-
ſtianorum, XII. libris diſtributa*; Quemque ex Codd. Vati-
cano, & Florentino Pariſiis edidit ſuperioribus annis Ber-

nardus Montfaucon Benedictinus. Author ab Eruditorum
pleriſque creditur Coſmas Indodopleuſtes, qui, teſte Pho-
tio cod. 36., Juſtino imperante vivebat, atque adeò circa 858
ann. 524. Is autem lib. 10. à pag. 316. ad 319. ex Athana-
ſii epiſtolis laudat Paſchales, ſeu Feſtales 2. 5. 6. 22. 24. 38.
39. 40. 42. 43. 45., quas equidem in codicem aliquem fuiſ-
ſe relatas, nihil eſt ambigendum. Exſtant hodieque XXX.
S. Cyrilli Paſchales, ex quibus epiſtolarum iſtiuſmodi argu- 412
mentum licet ediſcere. Per eas equidem quotannis emiſ-
ſas, cum animorum promotam fuiſſe concordiam, tum
commonitos Primates, ſiquae adverſus dogmata novitates
irrepſiſſent, declarant, quae ſupra laudatae ſunt, Theophi-
li Paſchales. Imo, quod ex geſtis Silvani deprehendimus,
qui in Cirtenſi Traditorum Epiſcoporum Numidiae Conci- 320
lio Epiſcopus fuerat electus, quum ſubinde perpetratum
ab eodem traditionis crimen probandum eſſet, monumen-
ta ex Paſchalium Literarum codice fuiſſe extracta, dignoſci-
mus. Geſta correctiora publicavit Baluzius in II. Miſcellan.
Tomo.

VII. Pacificis (quod erat alterum epiſtolarum genus)
mutua haec Epiſcoporum concordia, continuato velut ſo-
cietatis, paciſque foedere, ſanciebatur. Atque hae plerum-
que dabantur, ubi ſimultates inter ipſos Epiſcopos exarſiſ-
ſent. Quemadmodum quum Athanaſius per Sardicenſis Sy- 347
nodi Encyclicam Eccleſiae reſtitutus eſt, illud contigit, quod
ipſemet in epiſt. ad Solitarios pag. 826. memoriae prodidit.
*Eratque in Eccleſia profunda, & admirabilis pax, invicem
undecumque Athanaſio Epiſcopo pacis, & tranquillitatis literas
accipientibus. Quin Urſacius, & Valens, quaſi à ſua ipſorum
conſcientia flagellati, poenitentiam profeſſi ſunt, Literaſque &
amicas, & Pacificas ad Epiſcopum, tametſi nullas ab eo acce-
perant, miſere.* Pacificae itaque generatim ab Epiſcopis mu-
tuò ad concordiam mittebantur. Athanaſius enim Encycli-
cam Sardicenſem epiſtolam per ſuos Dominicos Curſores
quaquaverſum direxerat, tum ut Epiſcopi ſubſcriberent,
tum ut Pacificas quoque ſuſciperent. Hinc recenſitis Va-
lentis, Urſaciique Pacificis, in quibus antiquarum Pacifi-
carum elucet forma, harum aperit ſcopum. *Has literas cum
dediſſent* (Urſacius, & Valens) *ultro ſubſcripſerunt epiſtolis*

Pacificis , quas Athanaſii Presbyteri , Petrus , & Irenaeus , & Ammonius Laïcus ad id circumeuntes colligebant , cum tamen Athanaſius nihil tale ab Urſacio , & Valente poſtulaſſet . Quis igitur iſta , & tantam Eccleſiae pacem non admiratus eſt? Quis non gaviſus de tanta , & tot Epiſcoporum inter ſe concordia ? Quis Deum non glorificavit, conſpecta in Synaxibus tanta populi laetitia ? In his conſpice Pacificarum ſcopum , in eo ſitum , ut unitas , atque concordia inter Epiſcopos conſtitueretur; unde & ſimultates deponebantur , & una apud populos fidei profeſſio ſervabatur . Viderunt ſanè haereſeos anteſignani malum, quod ex nobili illo triumpho , per Pacificas acto , Arianae cauſſae imminebat . *Metu propterea , invidiaque anxii fuere, & quod tot Epiſcopi cum Athanaſio communionem foverent , & quod formidarent , ne , quos ipſi deceperant , à ſe deficerent , & huic unanimitati, communionique ſeſe adjungerent , neve , quod futurum videbatur , de eorum haereſi jam ubique famoſa, triumphus ageretur .* Id ergò erat Pacificarum Encyclicarum argumentum , ſcopus ille, ut ex conſpirantium Epiſcoporum omnium communione , & fide , certiſſima haberent veritatis documenta .

VIII. *Si* quos verò in communionem per epiſtolas Pacificas ſuſcipiebant Epiſcopi , ſoliciti imprimis erant , cavebantque, an in literis eſſet fidei profeſſio ; ſin minus , ut eam emitterent . Utrumque praeſtitere in epiſtolis ad Julium , & Athanaſium datis , Valens, & Urſacius, addentes & ejurationem Arianae haereſis, & calumniarum , quas in Athanaſium conflaverant , palinodiam . Et haec quidem antiquiſ-
170 ſima fuit primitivae Eccleſiae ſolicitudo, quam Lucianus in Dialogo , cui titulus, Peregrinus, notat , recolens Chriſtianorum ritus , & ſervatam in ſuſcipiendis hoſpitio quibuslibet , conſuetudinem . *Apud illos omnia ex aequo habentur contemtui , exiſtimanturque eſſe communia , quae circa fidem exacte exploratam in communem uſum à quocumque deferentes ſuſcipiunt .* Aït ille , *exacte*; quo oſtendit, priſcos illos fideles , quum ad charitatem fovendam hoſpitalitatis officia exercerent , neminem admiſiſſe , qui ſcriptum ab Epiſcopo de ſua fide , atque integritate documentum non protuliſſet, quatenus, quam ille profiteretur Religionem , conſtaret . Qua de ſolicitudine in hiſce tradendis epiſtolis , cautum

etiam

Digitized by Google

etiam fuit in Concilio Illiberitano Can. 58., ut Epiſcopi, 313
anteaquam haſce epiſtolas darent, à Primate, vel ab anti-
quiore in qualibet Provincia Epiſcopo docerentur de poſtu-
lantium fide. *Placuit, ut ubique, maximè in eo loco, in quo
primae Cathedrae conſtitutus eſt Epiſcopus, ut interrogarentur
hi, qui Communicatorias literas tradunt, an omnia rectè habeant?
Et ſuo teſtimonio comprobent.*

Ex quo confirmatam habemus, quam in ſuperioribus pro-
poſuimus, animadverſionem de Diaconica, Curſoribus Do-
minicis tradita. Etenim ſi Epiſcopi, & Corepiſcopi (his
enim quoque diſtribuendarum Pacificarum jus à Synodo 341
Antiochena tributum eſt) ut publicè eas traderent, vel à
Primate, vel à Seniore Epiſcopo [qui in canone Illiberi-
tano primae Cathedrae vocatur Epiſcopus, apud Graecos
Protothronus; quae nuncupatio ſaepius in Conciliis Africa-
nis occurrit] prius probandi, rogandique erant de Catho-
licorum dogmatum profeſſione, qua quidem probata ex Pri-
matis teſtimonio, tunc demum facultatem illam obtine-
bant: multò magis in Dominicis Curſoribus, ad perferen-
das Encyclicas deſtinatis, id erat exigendum, ut ex ſcrip-
to diplomate agnoſcerent omnes illorum officium, admini-
ſtrationem, integritatem, & fidem. Cujus rei rationem trad-
dit Synodus Chartaginenſis I. ſub Grato Can. 8., quod vi- 348
delicet, niſi in hiſce tradendis epiſtolis diligens ea cautio ad-
hibeatur, *Communio fiet paſſiva*, ſeu promiſcua, nec Ency-
clicarum harum epiſtolarum obtinebitur finis, unitas ſcilicet
fidei, & vinculum charitatis.

IX. Canones itaque, qui leguntur plurimi, cum ordi-
nem ſtatuant ſive reſpectu Dominicorum Curſorum, ſive
Epiſcoporum, quibus facultas quidem tradendarum Ency-
clicarum, Pacificarum & ſimilium conceditur, modo vel
Primatis, vel primae Sedis, ſeu antiquioris Epiſcopi teſti-
monium de propriae fidei integritate habeant; oſtendunt pa-
riter, quanti ponderis eſſet illarum uſus, nobiſque locum
tribuunt, ut quod ex Canone Illiberitano deprehendimus,
exemplis roboremus, validiſſimis licet teſtimoniis in ſupe-
rioribus jam comprobatum. Et primùm quidem hac de
cauſſa Liberius minimè ad communionem ſuſcepit Euſta-
thium, Legatoſque Synodi Lampſacenae, niſi tradito li- 365

bello

Digitized by Google

bello, anathema dicerent Arianae perfidiae, & Nicaenam Synodum profiterentur. Quo tunc demum annuit, ut *Si-*ciliam peragrantes, ceteraſque Occidentis, & Aſiae Provincias, mutuò darent, reciperentque Pacificas. Sic Valens,
347 & Urſacius in Mediolanenſi primum Synodo, deinde in
349 Romana pronunciati ſunt à communione alieni, niſi ſcripto libello Arianam perfidiam anathematiſmis confoderent, admitterent Nicaenam formulam, & palinodiam calumniarum recantarent, quas Athanaſio impoſuerant. Sic, ut alia
432 mittamus, quum Johannes Antiochenus Patriarcha tempore Schiſmatis Paulum Emeſſenum direxiſſet Alexandriam, ut ineundae paci proſpiceret, minimè ſuſcipiendus videbatur Cyrillo, quòd nec in epiſtolis Johannis, nec in illis, quibus jura legationis Paulo concedebantur, ſuſcipi ab Orientalibus anathematiſmos deprehenderet, quos in Neſtorium
431 Oecumenica Epheſina Synodus Conciliari decreto ſanciverat. Duo hinc egit Cyrillus, quorum alterum fuit, propriae fidei profeſſionem à Paulo exigere, anteaquam ad audientiam admitteretur; alterum decernere, quid à Johanne, & Orientalibus, in Synodo Antiochena adhuc congregatis, eſſet agendum, ad laeſam Eccleſiaſticae pacis unitatem reſtituendam.

X. *Sed* rem ſubactius expendamus. Paulus, ut Alexandriam advenit, delegationis quidem ſcripta protulit, ſed abſque neceſſaria, ac ſufficienti tunc à Catholicis receptae poſt vulgatam Epheſinam Synodum unius fidei profeſſione. Quare, eo haec in Eccleſia recitante, ac proponente, obſtitit Cyrillus, & abrupiſſet ſane communionis commercia, niſi Paulus, oblata in ſcriptis profeſſione, catholicum dogma ibidem coram populo teſtatiſſimum feciſſet. Rei hujus & in ſuperioribus dedimus aliqua, & alia in praeſentiarum addimus documenta, ex epiſtola praeſertim ipſius Cyrilli, data Apocriſariis ſuis, Conſtantinopoli degentibus apud Imperatorem, Theognoſto, & Charmoſyno Presbyteris, & Leontio Diacono, qui ſcripſerant, traduci eum vulgò, quòd iis omiſſis, quae in ſuſcipiendis Encyclicis neceſſaria ſunt, Paulum, & Orientales praepoſterè ad communionem ſuſcepiſſet. Oſtendit iccircò Cyrillus, ſe Paulum minimè ſuſcepiſſe, anteaquam ratam haberet Maximiani Conſtanti-

nopo-

nopolitani Epiſcopi electionem, & Encyclicae de eadem editae, atque ubique ſubſcriptae conſentiret: quippe qui poſt Neſtorii depoſitionem electus, à Coeleſtino, ceteriſque Catholicis Epiſcopis communicatorias acceperat, licet à Schiſmaticis ſtatim poſt Epheſini Concilii celebrationem, in ipſa Synodo Antiochena fuiſſet depoſitus, imo & fuiſſent depoſiti quotquot illi communicarent. Inſuper oſtendit, ſe illud quoque à Paulo exegiſſe, ut profeſſionem ſcripto ederet, diſtinčteque profiteretur, Virginem dicendam eſſe Deiparam: quod erat Epheſini Concilii fundamentale dogma. Scribit itaque, in Cod. Caſſin. cap. 85. *Omnia ſunt formata ſuaviter quidem, atque pacificè, cautè verò, ſed ſicut oportuit. Nec enim depoſitionem Dei colentiſſimi Epiſcopi Maximiani receperimus, aut communicatores habere, aut abſolvere (à ſententia) quae prolata eſt ſuper eis. Neque ſimpliciter praefato Paulo communionem dedimus pro ſua perſona tantummodo, niſi obtuliſſet prius chartam, confitens, quia Dei Genitrix eſt Sancta Maria, & quia anathematizat Neſtorii dogmata. Sumens verò dicendi in Eccleſia locum, magna voce dixit: Quia Dei porticem Sanctam Virginem confitemur, & quia anathematizamus eos, qui non dicunt hoc, & quia unus Chriſtus Dominus, non duo.* Clarius id urget, & luculentius in epiſtola ad Donatum Epiſcopum, quae E. in eodem Cod. c. 204. *Mittunt ad Alexandriam Emeſenum Epiſcopum ...... Paulum ferentem literas ad me, communicatorias quidem, non tamen valde competenter dictatas. Simulabant enim, & reprehenſiones inferre, tanquam non rectè quaedam dicta, & geſta in Sancta Synodo fuerint. Et epiſtolas quidem tales minimè attendi, ſed dixi, quia illi, qui & veniam poſtulare in his, quae acta ſunt, debuerunt, quoniam & ſecundas injurias inferunt. Excuſante autem praedicto religioſiſſimo Epiſcopo, & cum Sacramento affirmante, quod talem non habuerint intentionem, ſed potius ex ſimplicitate ad has venerint literas, pro charitate & illud omiſimus. Non autem prius ei Miſſas nobiſcum celebrare conceſſi, niſi libellum dans in ſcripto, anathematizaſſet Neſtorii dogmata, & confeſſus fuiſſet, eum ſe habere depoſitum, & conſentire ordinationi reverentiſſimi, & religioſiſſimi Epiſcopi Maximiani*. Haec quidem cum Paulo Emeſſeno acta ſunt publicè, ſollenniterque, & ſpecimen ſunt nobiliſſimum priſci moris, quo tum de ordinationibus, tum

aliis

aliis de rebus ad ſubſcribendum dirigebantur Encyclicae.

Quod autem ad Johannem, ejuſque epiſtolas attinet, rejecit eas quidem Cyrillus; cauſſas verò proponit ipſemet in epiſtola ad eoſdem Apocriſarios, ſcribens: *Quia verò non venit chartam habens, quod anathematizaret Johannes Neſtorii dogmata, & confiteretur, quod depoſitum haberet, ſed erant ſimpliciter epiſtolae, quae ab eo directae ſunt, nihil neceſſarium habentes, dixi, quia non ei poſſumus communionem reddere, anteaquam faciat haec ..... Scripſimus communicatorias literas: dictata eſt verò charta cum conſilio reverentiſſimi Epiſcopi Pauli, in qua debeat ſubſcribere & Antiochenus. Et miſi cum admirandiſſimo Ariſtolao duos Clericos, itaut ſi ſubſcriberet Johannes dejectioni, vel damnationi Neſtorii, & anathematizaret dogmata ejus, daret ei communicatorias literas, alioquin detineret eas*. Et in epiſt. cit. ad Donatum. *Subſcribente igitur religioſiſſimo Epiſcopo Johanne, & his, qui cum eo ſunt clarioribus* [Metropolitanis videlicet Antiocheni tractus] *& anathematizantibus Neſtorii dogmata, & confitentibus, eum ſe habere depoſitum, conſentientibus quoque ordinationi religioſiſſimi Epiſcopi Maximiani, communionem reddidimus*. Et mox. *Scripſerunt verò eandem epiſtolam, quam direxerunt ad me, & ad Religioſiſſimos, & Sanctiſſimos Epiſcopos tam Xixtum magnae Romae, quam Maximianum Sanctae Eccleſiae Conſtantinopolitanorum. Et neceſſarium fuit, ut de his ſubtiliter doceretur perfectio tua*. Subjecit deinde exemplaria epiſtolarum, quibus de iſtiuſmodi Encyclica Epiſcopos omnes edoceret. Quum verò loquens de Johannis Antiocheni epiſtola, ſcribit, eam à ſe omiſſam, quod *nihil neceſſarium* haberet, ſat innuit, caruiſſe illam ſignis, & characteribus, quibus Communicatoria judicari poſſet, atque Pacifica; proindeque communi dogmatis profeſſione, quae potiſſima id genus epiſtolarum nota erat, caruiſſe. Atque adeò dubitabit nemo, cum in Communicatoriis reliquis inſeri eam conſueviſſe, tum merito Antiocheni Concilii epiſtolam abjeciſſe Cyrillum, ut receptae in his ſuſcipiendis epiſtolis conſuetudini obſequeretur. Quare neceſſe fuit, ut in Encyclicis, quae mittebantur ſubſcribendae, controverſi dogmatis clara adeſſet, diſtincta, minimeque fucata profeſſio.

XI. Itaque Pacificarum, quibus in univerſa Eccleſia pax

ſan-

ſanciebatur, fideique unitas, & inter Epiſcopos concordia ſervabatur, conditio haec potiſſima erat, ut ſancito in illis controverſo dogmate, utraque diſſidentium pars conveniret, atque ambarum una eſſet certa profeſſio, & ab omni ſuſpicione tunc vigentium praejudiciorum libera. Ex quo & illud ſtatuendum eſt, tam in Encyclicis, quàm in Pacificis tradendis (de his enim loquimur, quae publicam faciebant fidem) duo haec imprimis fuiſſe requiſita. I., ut Suffraganei, conſulto Primate Epiſcopo, ſubſcriberent, ne videlicet diſſonae circumferrentur Epiſcoporum ejuſdem Diaeceſeos ſubſcriptiones, ſed quàm fieri poterat, Primatem inter & Suffraganeos unitas ſervaretur. Quod pluribus jam à nobis expenſum eſt. II. ut, ſi vel Clericis, vel Fidelibus, vel etiam Epiſcopis peregrinantibus epiſtola Pacifica, Communicatoria, aut Formata tradenda eſſet, id ab Epiſcopis illis tantummodo fieri poſſet, quibus à Primate, vel ab antiquiori in Provincia Epiſcopo (qui apud Latinos primae Sedis Epiſcopus, apud Graecos Protothronus dicebatur) jus factum eſſet earumdem tradendarum. Nec immeritò quidem cautio haec fuit adhibita. Quum enim peregrini Epiſcopi cum Civitatum Epiſcopis, apud quos diverſari contingebat, ſacra concelebrarent, atque ad Populos ſermones haberent, neceſſe erat, ut Civitatis Epiſcopus fidem illorum, doctrinamque poſſet dignoſcere. Quod ſecus, quam per Formatas, ab Epiſcopis Provinciae conceſſas, fieri haud potuiſſet. Pariter quum Clerici, & Curſores peregrinantes, hoſpitalitatis officia apud Fideles, quibuſcum diverſabantur, & incredibilia experirentur charitatis munera, ne ſub eo praetextu maleferiati Homines fidei candorem contaminarent, cautum eſt & circa fidem Epiſcoporum, haſce epiſtolas concedentium, & circa Formam, qua pro Perſonarum qualitate uterentur. Unde in Concilio Turonenſi II. can. 6. decernitur. *Nullus Clericorum, vel Laïcorum praeter Epiſcopos, epiſtolas facere praeſumat*. 567 Quod & antiquiſſimus Canon inter Apoſtolicos XXXIII. jubet; & quum ea, quae hactenus diſſeruimus, conſtituiſſet, rationem ſubjungit hanc inter alias. *Multa enim per ſubreptionem fiunt*. Et in veteri Scheda de officio, & ordinatione Epiſcoporum, quam vulgavit Baluzius,

perti-

pertinere ad Epiſcopos aſſeritur *earum conſcriptio epiſtolarum , quae Formatae dicuntur* .

Inter multa autem epiſtolarum genera , illae , de quibus diximus , quaſque Communicatorias prior aetas indigetavit, frequenter occurrunt . Hae autem prae ceteris eò collineabant , ut mutuam animorum concordiam , charitatiſque vinculum ſervarent . Hinc eaedem pro rerum tractandarum qualitate dicebantur aliae Commendatitiae , aliae Formatae , Canonicae aliae , & ſimiles , quarum multa veſtigia in Canonibus , & apud ſacros Eccleſiaſticae diſciplinae Tractatores deprehenduntur . Harum aliquas ad eorum , quae dicta ſunt , confirmationem, breviter expendemus , eaſdemque directas conſiderabimus ad fidem , doctrinaeque unitatem ſtatuendam .

XII. Ab ipſo naſcentis Eccleſiae primordio Communicatoriarum origo eſt repetenda . Meminit autem Apoſtolus Commendatitiarum epiſtolarum , eaſque aſſeverat datas , ut ad communionem ſuſciperentur quicumque iis muniti de una in aliam Eccleſiam commigrarent . Scribit enim in epiſt. 2. ad Corinth. c. 3. v. 1. *Incipimus iterum noſmetipſos commendare ? aut numquid egemus , ſicut quidam , Commendatitiis epiſtolis ad vos , aut ex vobis* . Supponit hìc apertè obtinuiſſe ab eo tempore , ut epiſtolas haſce Commendatitias darent alii , alii reciperent , ad dogmatum , & communionis unitatem , & ad miniſteria obeunda . Reſpicit inſuper ad morem, jamdudum apud Hebraeos vigentem . Pontifex enim , ſeu quis alius Patriarcha dictus , aliquos deligebat , qui & *Apoſtoli* nuncupati ſunt , & ad Synagogas miſſi pro eleemoſynis corrogandis ; quorum meminit Epi-
368 phanius , & L. 14. C. Theodoſiani de Judaeis . *Qui ad exigendum aurum, atque argentum à Patriarcha certo tempore diriguntur* . Unde , ut in ſuperioribus commemoravimus ,
250 quos Novatianus miſerat Dominicos Curſores ad uſurpatae Pontificalis dignitatis nuncia perferenda , Apoſtolos nuncupat Cyprianus . Commendatitiarum ſanè epiſtolarum ſpecimen quoddam exhibitum videtur in priori ad Corinth. c. 16. , ubi idem Apoſtolus . *Si autem venerit Timotheus , videte , ut ſine timore ſit apud vos : opus enim Domini operatur , ſicut & ego : nequis ergo illum ſpernat : deducite autem illum*

in pace . Et in epiſt. ad Rom. c. 16. *Commendo autem vobis Phoeben Sororem noſtram , quae eſt in miniſterio Eccleſiae, quae eſt in Cenchris : ut eam ſuſcipiatis in Domino digne Sanctis : & aſſiſtatis ei in quocumque negotio veſtri indiguerit* . Haud aliter de Oneſimo ad Philemonem . *Tu autem illum , ut mea viſcera, ſuſcipe* . Et mox. *Si ergo habes me ſocium, ſuſcipe illum , ſicut me . Si autem aliquid nocuit tibi , aut debet , hoc mihi imputa . Ego Paulus ſcripſi manu mea* . Subſcriptio porrò haec , diſtinctè à Paulo propoſita , ſat innuit , quod aïebamus , dantem ſcilicet iſtiuſmodi epiſtolas , manu propria debuiſſe ſubſcribere , ut dignoſceretur , eum tradendi autoritate frui , proindeque in omnibus ſecurè communicarent .

XIII. Commendatitiae autem à Communicatoriis ſunt
ſecernendae . Illae enim communiter Chriſtianis omnibus
(exceptis Haereticis , & Poenitentibus) dabantur : iis au-
tem tantummodo Commendatitiae , quorum perſpectam
haberent fidem , mores , & opera : & ſuſcipientes ex illa-
rum lectione agnoſcebant , quemadmodum eſſet cum pere-
grinis agendum , & qua eos donari communione oporte-
ret . Unde Canon Chalcedonenſis XI. ſtatuit . *Omnes pau-* 451
peres , & indigentes Eccleſiaſticis auxiliis , cum proficiſcuntur ,
ſub probatione epiſtolii , ſive Pacificis , quae dicuntur Eccleſia-
ſticae , tantummodo commendari ſtatuimus , & non Commendati-
tiis epiſtolis : quia Commendatitias epiſtolas , quas dicimus ,
eos tantum accipere convenit , qui in opere ſunt clariores . Et
jure ſanè optimo . Erat ſiquidem communio ad Sacrificii
participationem , quae dicebatur perfecta , & plena com-
munio ; erat & illa , qua venientes cum hiſce epiſtolis ad
orationes tantummodò admittebant , non verò ad Sacra-
mentorum , & myſteriorum praeſentiam , participationem-
que . Qua de re exſtat Dionyſij Alexandrini epiſtola apud 254
Euſebium l. 7. c. 9. , ubi de quodam peccatore locutus ,
ſubjungit . *Verum ille nullum legendi finem facit , & ad men-*
ſam accedere penitus exhorreſcit : vixque rogatus , intereſſe
orationibus ſuſtinet . Erant hae itaque diſtinctae communio-
nes , ad menſam ſimul & ad publicas orationes , & ad
orationes tantummodo . Cujus diſcriminis clariora reperies
veſtigia in Canonibus poenitentialibus , qui in epiſtola S. Pe- 301

tri Epiſcopi Alexandrini exſtant , quaeque legitur in Co-
dice Canonum Eccleſiae Graecae. Sed & inſuper erat Pe-
regrina , atque Laïca communio , de quarum diſcrimine diſ-
ſerit Gabriël Albaſpinaeus Obſervation. l. 1. c. 3. Omni-
bus enim Peregrinis cujuſque ſtatus , cum hiſce epiſtolis ve-
nientibus , victui neceſſaria ſubminiſtrabant Eccleſiae , in-
humanum cenſentes , eos ſine hoſpitalitatis officiis dimit-
tere . Ad communionem tamen admittebant neminem , ni-
ſi priùs , diſcuſſa epiſtolarum Forma , agnoſcerent , cujus
eſſet communionis dignus . Quapropter de iſtiuſmodi Pe-
regrinantibus in Canone, vulgo Apoſtolico. 33., cautum eſt.
Cum ſcripta detulerint , diſcutiantur attentius , & ita ſuſcipian-
tur , ſi praedicatores veritatis exſtiterint . Atque eandem ob
398 cauſſam Johannes Chryſoſtomus, quum Monachos Origeniſta-
rum Dogmatum ſequaces, ex Aegypto venientes , exciperet ,
iidemque ſe manifeſta calumnia premi , conquererentur , re
perſpecta . *Johannes verò illos honorificè excepit , & à precum*
communione minimè excluſit: Sacrorum verò myſteriorum commu-
nionem indulturum ſe , negavit, antequam cauſsa cognita eſſet . Ut
440 ſcribit Socrates l. 6. c. 9. Clarius autem Sozomenus l. 8. c. 13.
Johannes verò illos ad ſe venientes benignè excepit , & in pretio ha-
buit , & in Eccleſia orare nequaquam probibuit . Cum illis tamen
haudquaquam communicandum ſibi eſſe exiſtimavit , propterea
quod ante cauſſam cognitam id fieri non liceret . Atque hinc Con-
465 cilii Venetici Canon V. lucem foeneratur non modicam , ſta-
tuentis . *Clericis ſine Commendatitiis epiſtolis Epiſcopi ſui, licen-*
tia non pateat evagandi : & in omni loco , ad quem ſine epiſtolis
Epiſcopi ſui , ut dictum eſt , venerint , à communione habeantur
517 *alieni* . Et Concilium Epaonae habitum , quae celebris olim
in Sabaudia Urbs, vicus hodie tenuis eſt ad Rhodanum, *Jenna*
vulgò dictus , ſtatuit Can. VI. *Presbytero , vel Diacono ſi-*
ne Antiſtitis ſui epiſtolis ambulanti , communionem nullus impendat.
Scopus itaque & finis Communicatoriarum is erat , ut qui vel
ſui, vel aliorum cauſsa diſſitas perluſtrarent regiones , ope
earumdem ab Epiſcopis agnoſcerentur , cujus fidei eſſent , &
inſtituti ; Formam autem quum exhibuiſſent , jura obtine-
rent aut plenae , aut alterius ſpeciei communionis , qualem
ipſamet Communicatoriae epiſtolae Forma exigebat . Hinc
314 decreverat jam Arelatenſe Concilium I. Can. 7. , ut Praeſides

ipſi ,

ipſi, qui ad munus ſuum obeundum, longinquiores Urbes adibant, à proprio Epiſcopo *Literas accipiant Eccleſiaſticas Communicatorias*. Quatenus ſcilicet loci Epiſcopus, ubi Magiſtratum acturi erant, qua dignus quiſque eſſet communione, dignoſceret.

XIV. Inter Communicatorias primum ſanè locum ſibi vendicant quae in primitiva Eccleſia Formatae epiſtolae ſunt nuncupatae. Nomen autem Formatae traxiſſe videtur originem à publicis illis epiſtolis, quas Imperatores pro Reipublicae negotiis emittebant. Has *Formales* vocat Svetonius 112
in Domit. c. 13. *Pari arrogantia quum Procuratorum ſuorum nomine Formalem dictaret epiſtolam, ſic coepit: Dominus, & Deus* A. C.
noſter ſic fieri jubet. Qua notione apud Ciceronem l. 7. epiſt. 12. 70
legimus. *Ubi porrò illa erit formula fiduciae, ut inter bonos benè agier oportet*. Ad quae verba Scholiographus annotat. *Hoc eſt Lex fiduciaria: Formula enim pro lege, & inſtitutione ponitur*. Unde & 2. de Orat. *Norma juris, aut judicii Formula*. Et ibidem occurrit: *Praeſcriptum aliquod, aut Formulam exprimere*. Nec aliter pro Cecinna. *Formula pacti, & conventi*. Et 4. contra Verrem. *Poſtulationum Formulae uſitatae*. Atque eodem
ſenſu Ammianus l. 14. ſcripſit. *Ut Formula miſſa latbelali..... occideretur*. Eccleſiae itaque, & Eccleſiarum Paſtores, quibus jus iſtiuſmodi tradendarum epiſtolarum ad publicam faciendam fidem, conceſſum erat, ne fraus intercurreret ulla, verba quaedam, & certam formulam inſerebant: unde & Epiſtolae genus, & conſcribentis autoritas dignoſcebantur; pariterque Formatarum nomen manavit. 375

XV. Formam porrò epiſtolarum attendiſſe Eccleſias, Epiſcopos, & Concilia, docet Facundus, qui quum laudaſſet tres 540
Synodi Antiochenae ſub Johanne epiſtolas, Proclo, Cyrillo, & Theodoſio Imperatori datas; nec non ejuſdem Procli Tomum ad Armenios tranſmiſſum (quae ſanè ſcripta omnia erant Encyclica) aſſeverat, illas ex Forma à Chalcedonenſi Synodo in Adlocutione ad Marcianum fuiſſe laudatas. 432
Sic enim ille l. 2. c. 2. *Et quum Johannes Antiochenus, & ceteri Orientales Epiſcopi .... in eiſdem epiſtolis, quarum Formam ſe attendiſſe in ſuis definitionibus, Chalcedonenſis Synodus fatetur, tanquam Apoſtolicam declarantem doctrinam, ut epiſtolam B. Leonis acciperet*. Synodus itaque ex modo, ſeu Forma, quae 451

ab Antiocheno Concilio ſervata in ſcribendo eſt, collegit, epiſtolas fuiſſe Encyclicas. Hinc in eadem Chalcedonenſi Synodo Act. XIV., ubi diſſidium de Perrhenorum Epiſcopatu inter Athanaſium, & Sabinianum compoſitum eſt, Athanaſius, qui Sedem primò ſponte repudiaverat, & repetere deinde contra Sabinianum volebat, haec habet de Literis Formatis, quas à Cyrillo Alexandrino, & Proclo Conſtantinopolitano ad Domnum Antiochenum eo fine obtinuerat. *Mea cauſsa à longo tempore inchoata eſt: & hanc audierunt Beatae memoriae Cyrillus, & Proclus, & certas Formas ſcripſerunt Domno, qui fuit Antiochenus Epiſcopus*. Et mox de Sabiniano. *Et quum cognoviſſet mortem Beati Cyrilli, reſilivit, & ad judicium me vocavit: ego reſcripſi, quia ſi velles permanere in datis ſententiis ab Archiepiſcopis, paratus eſſem: ſi verò velles aliud aliquid, non audire me ejus citationem. Semel enim praecedentes Epiſcopi rem certiſſimam decreverunt*. Quas ſupra *certas Formas* appellaverat, hîc *Sententias* indigetat, iiſdemque adeo fidit, ut Synodicas citationes ſpernere ſe hinc poſſe aſſeveret. Imo & illae Formatae Cyrilli, & Procli epiſtolae in plena Synodo ibid. relectae ſunt, ex Collect. Hard. Tom. II. p. 575. Quae autem eſſet iſtiuſmodi Forma, vix determinari poteſt. Quidam volunt, ſitam eam fuiſſe in certis, conceptiſque verbis, & ſollennibus formulis, quibus epiſtola ab aliis diſcriminaretur: alii à notis quibuſdam; ab appoſito Sigillo alii: unde & veteres Gloſſae, ubicumque vox Formatae occurrit, explicant, *Sigillata*. Veroſimilius putaverim, à Curſore Dominico, ab epiſtola Diaconica, à Metropolitani ſubſcriptione, & ſimilibus Formatas haſce diſcriminari potuiſſe. Eò vel magis in hac ſententia confirmor, quod Sigilla ſub mediam Eccleſiae aetatem coepta ſint adhiberi. Sed de his Carolus Labbeus ad Synopſim Baſilic., Franciſcus Bernardinus Ferrarius de antiquis Eccleſ. Epiſt., Bignonius in Formulis Veter., Stephanus Baluzius in Appendice ad Capitularia Regum Francorum, & in nova Collectione Formularum, & Philippus Priorius in Differt. de Literis Canonicis. Non tamen abnuerim, varios fuiſſe pro diverſa epiſtolarum Forma characteres. Atque ut in ceteris, ita in Pacificis potiſſimum, & Communicatoriis ab ipſo Chriſtianae Religionis exordio ſignum illud opinor uſurpatum, quod è primis Graecis literis nominis Chriſti

compa-

Digitized by Google

compactum eſt ☧ χρίσιμον, & ab eruditis Antiquariis mono-
gramma Chriſti appellari ſolet. Neque enim arbitrandum
eſt, quod multis placuiſſe novimus, ſignum illud ſub Con-
ſtantino primitùs aut revelatum, aut inventum. Namque
& Euſebius in ejus Vita lib. 1. c. 31. hoc monogramma abſo- 315
ſolutè, ac generatim σωτηρίας προσηγορίας τὸ σύμβολον, *ſignum ſalutiferae
appellationis* indigetat; ideoque rem vulgò notam, explora-
tamque innuit: & Conſtantinus in Occidente natus, & com-
moratus, non Graecis, ſed Latinis characteribus invexiſſet.
Igitur divinare lubet, hoc monogramma tunc primum à Fi-
delibus excogitatum, quum Antiochiae, & per Orientem
Chriſtiani appellari coeperunt: Inſuper ad illud Johannem
in Apocalypſi reſpexiſſe, ubi de inſigni Electorum, quod cap.
7. v. 2. *ſignum Dei vivi*, & cap. 14. v. 1. ipſum Agni nomen
appellat, mentem hauddubiè referens ad literam T. ab Eze-
chiële cap. 9. praedictam, quae à veteribus Samaritanis pinge-
batur, velut noſtrum X, leviori diſcrimine ab eo, quo
de agimus, monogrammate Chriſti. Equidem hujuſcemodi
teſſeram in Epiſtolis commendarunt Apoſtoli: & ſi id hoc
loco ageremus, monumentis vetuſtiſſimarum Inſcriptionum
docere in promtu eſſet, eandem ſepulchris Martyrum fuiſſe
inſculptam, ut in pace, & communione Eccleſiae obiiſſe il-
los, dignoſceretur. Quod & in Gemmis annularibus Antiquo-
rum viderunt non ſemel Antiquarii; & proclive eſt obſerva-
tu in Titulis ſepulchralibus Marii ſub Hadriano, Alexandri
ſub Antonino Pio, Caii ſub Diocletiano, aliorumque apud
Boſium, Severanum, Arringhium, & Fabretum. Romae
in vetuſtiſſimo B. Conſtantiae Templo Volumen opere muſi-
vo expreſſum viſitur, quod Redemtor neſcio cui Apoſto-
lorum tradit, additis hiſce verbis: DOMINUS PACEM
DAT ☧. Unde artificem ad formam Literarum Pacifi-
carum mentem intendiſſe, acutè conjiciebat Vir multa eru-
ditionis laude inſignis, Philippus Buonarotta. Quamobrem
quum diu ante invectam Orientalis, & Occidentalis Eccle-
ſiae diviſionem pro Symbolo communionis, & pacis, &
pro Arcani diſciplina ſervanda adversùs Ethnicorum fraudes,
& criminationes, ſacrum illud monogramma inter Fideles
obtinuerit, nullus dubito, quin illud ipſum inter ceteros
Pacificarum, Communicatoriarum, aliarumque id genus Li-

terarum characteres, & formas ab Epiſcopis adhibitum fuerit. Sed hac de re prolixius ex Veterum monumentis alibi fortaſſe diſputabimus.

XVI. Formatae Epiſcopis praeſertim, & Clericis dabantur, quoties extra regionem, ſeu Provinciam peregrinabantur, ut cum reliquis Orbis Epiſcopis commercia haberent, non quo ad jura tantummodo hoſpitalia, Fidelibus reliquis conceſſa, affatimque ſuppeditata, ſed & plenae, perfectaeque communionis jura. Unde quum poſt liberationem perſecutionis Wandalicae, Epiſcopi Africanarum Provinciarum, qui Romam auſugerant, ibidem perſiſterent, Concilium Car-
532 thaginenſe poſtulavit à Johanne II., tum ut ad Sedes illi regrederentur, tùm ut quod ediderant decretum, confirmaretur, ne abſque Formata reciperentur deinceps Epiſcopi. *Beatitudini tuae credimus intimandum, Fratres aliquantos è noſtro Collegio, relictis ſine cauſſa plebibus ſuis, ad tranſmarinas navigare ſaepius regiones. Hoc diutius Eccleſia toleravit, excuſante eos violentia temporis mali: petimus nunc, ut quicumque forſitan Epiſcopus, aut Presbyter, ſive Diaconus, aut cujuslibet inferioris ordinis Clericus ſine noſtra Epiſtola venerit, & non approbaverit, ſe pro utilitate Sanctiſſimarum Eccleſiarum fuiſſe directum, ſimilis Haeretico judicetur: neque veſtra communione dignus exſiſtat, ut in omnibus, & per omnia Beatitudinis veſtrae di-*
535 *ſciplina laudetur*. Poſtulationi huic Agapetus, Johannis ſucceſſor, ita reſpondit. *Illud quoque, quod Catholicos, qui praeſunt, aut militant Eccleſiae, ſine Sacerdotum ſuorum literis ſuſcipi à nobis minimè debere mandatis, & Canonibus eſt congruum, & diſciplinae prodeſſe judicamus*. Ambae exſtant epiſtolae in Tomo IV. Collectionis Labbeanae Concil. Annotandum interim eſt, fateri Pontificem, id Canonibus eſſe congruum, quod ſcilicet pluribus Conciliorum decretis cautum jam eſſet. Formatae verò epiſtolae Clericis tantummodo tradebantur:
472 quod innuit illud Sidonii Apollinaris lib. 6. epiſt. 8. *Agnoſcitis, profecturo civi, me epiſtolam Clerico debuiſſe Formatam*. Ex quo nihil eſt dubitandum, diſcrimen fuiſſe inter epiſtolas, quae Laïcis, quaeque Clericis tribuebantur: illae ſimpliciter epiſtolae, hae autem Formatae ſunt appellatae. Imò ſi audiamus Sidonium, Formatae non dabantur niſi Epiſcopis; reliquis autem Clericis adinſtar Formatarum. Scribit enim l. 7.

Digitized by Google

epiſt 2. *Literas meas ad Formatae vicem, ſcilicet ut Lector, elicuit*. Nec ſanè immeritò. Quum enim Formata ſpecialem contineret Formam, atque modum, publicumque eſſet, & indubium probitatis, & fidei ejus, cui tradebatur, teſtimonium, tradi imprimis, & principaliter debuit Populorum Paſtoribus, quatenus cum illa ad unamquamque Diaeceſim accedentes, ſuſciperentur ad fidem in concionibus teſtandum, & ad ſedendum in Conciliis Epiſcoporum Provinciae, ſi fortè conveniſſent.

XVII. Hinc lucem foeneratur dictum illud S. Auguſtini 396
in diſputatione cum Fortunio Tuburſicenſi Donatiſtarum Epiſcopo habita. Agebatur de Eccleſia, per Orbem diffuſa, quae cum Catholicis communicabat, & Schiſmaticorum Donatiſtarum commercia exſecrabatur. Inter alia, adducta ab Auguſtino argumenta, quibus univerſalem Catholicarum totius Orbis Eccleſiarum inter ſe communionem probat, unum erat, quod per Formatas invicem communicarent ubique Paſtores: adeo ut, ſiquis Catholicae partis Epiſcopus ad Eccleſias omnes pergere voluiſſet, ilicet ad plenam communionem admitteretur. Id experimento probandum Fortunio offert; audacter affirmans, Epiſcopos Eccleſiarum Apoſtolicarum ultrò eis communionem daturos, qui cùm Formata incederent; à commercio è contra rejecturos, qui ſine illa acceſſiſſent. Sed Auguſtinum ipſum praeſtat audire. *Quaerebam, utrum epiſtolas Communicatorias, quas Formatas dicimus, poſſet quo vellem dare: & affirmabam, quod manifeſtum erat omnibus, hoc modo facillimè illam terminari poſſe quaeſtionem. Parabam autem, ut ſi conſentiret, ad illas Eccleſias literae mitterentur, quas in Apoſtolicis autoritatibus pariter legeremus, jam illo tempore* (quo nempe ob Caeciliani ordinationem Schiſma conflatum erat) *fuiſſe fundatas*. Supponit equidem Auguſtinus, Formatas epiſtolas tunc inter Epiſcopos fuiſſe frequentatas: inſuper ex factis ad eaſdem reſcriptis cognitum illicò, quibus communicarent Apoſtolicae Eccleſiae, & quorum refugerent communionem, iis minimè reſpondendo. Quae ſanè omnia haudquaquam contingere potuiſſent, atque ut manifeſtum veritatis argumentum ab Auguſtino aſſumi, niſi peculiaris fuiſſet iſtiuſmodi Communicatoriarum forma, qua Catho-

licae partis Epiſcopi à ceteris, extra Eccleſiam poſitis, diſcriminari poſſent.

XVIII. Quod de Formatarum uſu, ſcopo, & effectu Fortunio Donatiſtae propoſuerat Auguſtinus, praeſertim ubi fidei, diſciplinaeque cauſſa agitur, idem expreſſit S.
440 Leo in epiſtola ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem. *Omnium quidem literas Sacerdotum grato nos relegere animo, Fraterni Collegii charitas facit; quum per ſpiritalem gratiam tanquam praeſentes amplectimur, quibus ſermone, epiſtolis mutuo commeantibus, ſociamur*. En Formatarum uſus, quibus fidei, animorumque concordia, quodam velut arctiſſimo vinculo, inter Epiſcopos fovebatur, graphicè expreſſus! Moris autem neceſſitatem ſic pergit exponere. *Sed major in his videtur eſſe affectus, in quibus de ſtatu Eccleſiarum certiores effecti, ad exercendae ſolicitudinis vigilantiam, officii noſtri conſideratione compellimur; ut in ſpeculis, quemadmodum Deus voluit, conſtituti, & pro voto noſtro currentibus rebus noſtrum commodamus aſſenſum; & ea, quae depravari aliqua uſurpatione proſpicimus, adhibitae correctionis remediis corrigamus*.

XIX. Haeretici, Schiſmatici, & impoſtores, agnoſcentes Formatarum apud Eccleſias aeſtimium, ubi merito non poterant, fraude elaborarunt, ut haſce epiſtolas quomodolibet extorquerent, ſurriperent, aliosque ſubinde in errorem pertraherent. Id quod factum vidimus à Schiſmaticis illis, qui, ut adverſus Cyprianum inſurgerent, ſubdole ab Apoſtolica Romana Sede Formatam habere curarunt. De quo
248 ipſe Cyprianus epiſt. 55. ad Cornelium, ubi monet, ut Formatam Pſeudo-Epiſcopo tradere caveat, qui ad Urbem hac de cauſſa navigare ſtatuerat. *Poſt iſta adhuc inſuper, Pſeudo-Epiſcopo ſibi ab Haereticis conſtituto, navigare audent & ad Petri Cathedram, atque ad Eccleſiam Principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt, à Schiſmaticis, & profanis literas ferre, nec cogitare, eos eſſe Romanos, quorum fides Apoſtolo praedicante laudata eſt, ad quos perfidia habere non poteſt acceſſum*. Idipſum egit poſtea Coeleſtius, qui quum ſubdola
417 profeſſione apud Zoſimum viſus eſſet Catholici Dogmatis aſſertor, epiſtolam obtinuit ad Afros Epiſcopos. *Atque ob hoc ipſum nonnulla illius Sancti Sacerdotis humanitate dignus*

eſt

eſt habitus, & ſic epiſtolam quamdam benignitate plenam ad Afros Epiſcopos meruit, qua ille abuſus eſt, vel adhuc abutitur ad multorum ignorantium deceptionem. Ut obſervat in ſuo Commonitorio Marius Mercator. 428

XX. Inter accuſationis capita, quae Baſilio Magno objecta fuère, non leve illud erat, quod epiſtolam Apollinario dediſſet. Ita enim Patrophilo ſcribit epiſt. 82. *Haud verò multum temporis interceſſit, confeſtim in Ciliciam legatio, atque inde reditus: mox literae adſunt, communionem nobis denegantes. Abruptionis autem hujus, ac ſeceſſus cauſſam aſſignarunt, quod Apollinario ſcripſerimus, & quod Sympresbyterum noſtrum Diodorum habeamus conſortem*. Quomodo verò, quantave celeritate diſperſae fuerint literae, quibus Baſilii epiſtola Apollinario data denunciabatur, monebanturque ceteri Epiſcopi, ne Formatam à Baſilio ſuſciperent ullam, neve mutuò reſponderent, mox ita deſcribit. *Et praeterea afflixerunt nos & aliae literae, ad Dazizam quendam in ſpeciem, reipſa verò univerſis Mortalibus ſcriptae: cujus indicium eſt, quod tam feſtina diſtributione ſparſae ſunt, ut paucis diebus totam Pontum, & Galatiam pervagatae ſint. Sunt qui iſtos bonarum rerum nuncios & Bithyniam percurriſſe dicant, atque ad ipſum pertigiſſe Helleſpontum*. Abutebatur enim Apollinarius hac Baſilii epiſtola. Unde qui ad modum, formam, textumque ejuſdem haudquaquam attenderunt, in Baſilium conflavêre calumnias, ceu qui Formatas Apollinario dediſſet. 370

XXI. Eadem ratione quum Marcellus pravos libros, ut aït Baſilius M., fraudulenter occultaſſet, ſoloſque Romae oſtenderet eos, quos tueri poterat; unde edita fidei profeſſione, Formatam à Julio obtinuerat, qua ſimpliciores ſubinde in errorem inducebat; Euſebiani in ſua Synodica 347
conventus Philippopolitani, apud Hilarium in fragmentis 354
pag. 1310. ſcribunt. *Etenim Marcellus, quum apud nos Haereticus haberetur, peregrinationis auxilia requiſivit, ſcilicet ut & illos falleret, qui & ipſum, & ejus ſcripta, ſenſuſque profanos occultat; falſa pro veris apponens, quaeſtum ſibi de ſimplicibus, atque innocentibus fecit; quippe ſub praetextu Eccleſiaſticae regulae multos Eccleſiae Paſtores induxit*. Formata itaque erat peregrinationis *auxilium*, eatenus datum, ut pro-

ferentem Paſtores recognoſcerent . Quapropter Marcellus
ſub praetextu Eccleſiaſticae regulae multos Eccleſiae Pa-
ſtores ſeduxit . Apertiſſimè hinc patet , Formatarum uſum
inter Eccleſiaſticas regulas obtinuiſſe locum , eaſdemque
fuiſſe Epiſcopis auxilia peregrinationis : atque adeò eas
conquiſivit Marcellus ; ut falleret illos , qui ſua ſcripta
ignorarent , unicèque ad Literarum formas incautè reſpi-
cerent .

XXII. Mirum ergo deinceps non videbitur , ſi Forma-
tae illae , quarum uſum , vim , & aeſtimium ipſi agno-
ſcebant Haeretici , fuerint apud Eccleſias , Patres , & Fi-
deles grande communionis argumentum . Eas iccircò Gre-
370 gorius Nazianzenus epiſtola 1. ad Cledonium vocavit com-
munionis indices , ex quibus dignoſci poterat , Apollina-
riſtas , eorumque haereſim ab omnibus ubique Epiſcopis
fuiſſe improbatam , qui Formatas illis denegarant . *Ac qui-
dem ſi vel nunc , vel ante ſuſcepti ſunt , qui Apollinarii placita
ſectantur , hoc oſtendant , & nos acquieſcemus . Perſpicuum
enim erat , eos , ut novae doctrinae aſſentientes, ſuſceptos fuiſſe:
nec enim aliter res ſe habere poteſt , ſi hoc conſecuti ſunt Om-
ninò autem oſtendant , vel per Synodalem libellum , vel per epi-
ſtolas communionis indices . Nam hic Synodorum mos eſt . Si
autem hoc merus ſermo eſt , ac figmentum ſpecioſi cujuſdam co-
loris cauſſa , & ut fidem ſibi ob perſonarum autoritatem apud
multitudinem concilient , ab ipſis excogitatum , quieſcere ipſos
doce , ac coärgue . Tuae quippe vitae , rationi , ac rectae fidei
hoc convenire exiſtimamus : ne Homines iſti alios decipiant , vi-
ciſſimque ipſi decipiantur .* Diù equidem cauſſam ſuam pro-
moverunt Apollinariſtae per epiſtolam imprimis Baſilii , per-
inde ac ſi illa Formata fuiſſet , & publicae autoritatis ,
non autem privatim ſcripta : deinde ex Synodo Occiden-
talium , ut ipſi jactitabant . Iccircò Gregorius ad fraudem
reſerandam ſcribit , monetque Cledonium , ut eos ad alio-
rum Epiſcoporum Formatam , aut libellum Synodicum
proferendum cogeret . Gravi enim acerboque animo Theo-
logus ille ferebat , quod Apollinariſtae pravam doctrinam
ſubdolè ac veteratoriè ſimpliciorum animis inſtillare cona-
rentur , quodque Epiſcopos traducerent , ceu qui per For-
matas , communionis indices , ſecum ipſis commercia fre-

quentarent. Inſuper audacter aſſerit, oportuiſſe eos recipere, ut rectae doctrinae aſſentientes, ſi, quae ab illis proferebantur Formatae, figmentum excogitatum non praeſetuliſſent. Hoc vel inde arguit, quod nullibi in communionem ſuſcepti ſint: pariterque ſat oſtendit, quanta circumſpectione Formatae ab Epiſcopis traderentur.

XXIII. Optatus, ut probaret, Eccleſias Africanas, Caeciliani ordinationem defendentes, in vera eſſe Eccleſia, ab hiſce Formatis, ut communionis, veraeque Eccleſiae indicibus, id adſtruit, aïendo, eaſdem Eccleſias cum Cathedra Petri, ceteriſque per Orbem Epiſcopis mutuo Formatarum commercio fuiſſe ſemper, atque eſſe unitas: Donatiſtas verò ab illis divulſos eſſe, quòd mutuas haſce epiſtolas nec darent, nec reciperent. Libro enim 2. quum probaſſet, Eccleſiam meritò Catholicam dici, & eſſe, quae per univerſum Mundum multiplicata, fidei, & animorum concordiâ una eſt, quaeque, licet in remotiſſimas partes diſterminata, commercio nihilominus Formatarum conjungitur, Parmenianum Donatiſtam ita interpellat. *Igitur negare non potes, ſcire te in Urbe Roma Petro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam: in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput, Petrus. Unde Cephas appellatus eſt: in qua una Cathedra unitas ab omnibus ſervaretur, ne ceteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent: ut jam Schiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram, alteram collocaſſet. Ergò Cathedra unica, quae eſt prima de Dotibus. Sedit prior Petrus.* Mox omnes ad Siricium uſque, tunc ſedentem, enumerat, ſubjungitque: *Siricius hodie, qui noſter eſt Socius, cum quo nobis totus Orbis commercio Formatarum, in una communionis Societate concordat.* Quòd videlicet ad ipſum ſive in ordinationibus, ſive in Paſchate quotannis, ſive in aliis plerumque controverſiis epiſtolas mitterent, mutuaſque acciperent. Quamobrem concludit. *Igitur quum manifeſtum ſit, & ipſa luce ſit clarius, nos cum tot innumerabilibus populis eſſe, & tot Provincias nobiſcum: jam videtis, vos, in parte unius regionis poſitos, & ab Eccleſia veſtris erroribus ſeparatos, fruſtra vobis ſolis hoc nomen Eccleſiae cum ſuis dotibus vendicare: quae magis apud nos ſunt, quam apud vos: quas conſtat ita ſibi connexas, & individuas eſſe, ut intelligatur unam ab altera ſeparari non poſſe. Etenim nume-* 368

rantur

Digitized by Google

rantur in nomine, ſed uno intellectu ſuo junguntur in corpore: ut in manu digiti, quos intervallis ſingulos videmus eſſe diſtinctos, unde qui tenet unum, totos teneat neceſſe eſt, quum unuſquiſque à paribus ſeparari non poſſit. Adde quod non unam ſolum, ſed omnes propriè poſſidemus. Formatarum ſcilicet epiſtolarum commercio, quarum opera Primates univerſi, & per Primates Suffraganei, unanimitate fidei, & diſciplinae junguntur. Equidem qui ex his non omninò perſpiciunt Coeleſte Magiſterium, in auguſtiſſima Eccleſiarum compage expreſſum, non tam ipſi quid verum ſit, non vident, quam ſe videre diſſimulant.

396 XXIV. Argumentum idem proſecuti ſunt Auguſtinus, ceterique deinceps ſacri Tractatores, qui ex Univerſalitate Eccleſiarum, in ea forma perſeverantium, orthodoxiam argumentantur: quemadmodum Schiſmaticos pronunciant quotquot abſtinerent à Formatarum uſu. Hinc quum Epiſcopi Hiſtriae, poſtquam Apoſtolica Sedes, ceteraeque Orbis principaliores Eccleſiae Conciliaria decreta Synodi V.
553 receperant, ſuſcipere ipſi refragarentur, atque abs Formatarum commercio ceſſaſſent, in Schiſmaticorum cenſum
555 relati ſunt. Quod urget in epiſtolis ſuis Pelagius I., ubi Thuſciae Epiſcopos monet, ut decreta illa ſuſcipiant, quibus jam Apoſtolicae Sedes conſenſerant. Sic enim ad rem noſtram Pontifex. *Beatiſſimus Auguſtinus, Dominicae ſententiae memor, fundamenta Eccleſiae in Apoſtolicis Sedibus collocavit. In Schiſmate eſſe dicit, quicumque ſe à Praeſulis earumdem Sedium autoritate, vel communione ſuſpenderit, nec aliam manifeſtam eſſe Eccleſiam, niſi quae in Pontificalibus Apoſtolicarum Sedium eſt ſolidata radicibus.* Quod repetit in altera ad Viatorem, & Pancratium epiſtola. *Sicut Beatus Auguſtinus ait, omnis Catholicus ſecurus eam partem deteſtatur, cui Eccleſiam univerſalem, Apoſtolicis Sedibus roboratam, non communicare cognoſcit.* Neque enim alii erant communionis indices, quam frequentata cum Apoſtolicis Sedibus Formatarum commercia. Unde aſſertum laudat S. Auguſtini, ſcribentis. *Qui adverſus autoritatem illarum Eccleſiarum, quae Apoſtolicas Sedes, & epiſtolas accipere meruerunt, temerè credit, immaniſſimi Schiſmatis crimen à ſe propulſare non poterit.*
579 Eodem ſenſu loquuntur Pelagius II., Gregorius M. aliique

adver-

adverſus eoſdem Schiſmaticos differentes, & potiora hinc ad eorum infringendos conatus, ſubſidia repetunt.

XXV. Epiſcopos enimvero ſedulam navaſſe operam in Formatis tradendis, ne qua fraus intercurreret, facile unuſquiſque deprehendet, qui earum ſecum reputet ſcopum, in eo conſtitutum, ut fidei unitas, vigor diſciplinae, atque Paſtorum integritas eſſent incolumes: quatenus ſiquid plebi, & Populis communi calculo proponerent Epiſcopi, id ſumma fide, conſenſione, obſequioque ſuſciperetur. Levis ſuſpicio, eaque calumnioſè Baſilio impoſita de Formatarum cum Apollinario communione, ampliſſimam Diaeceſim Ponticam, plurimorumque Epiſcoporum, & populorum animos ita diſtraxit, perturbavitque, ut brevi Exarchae proprii communionem evitarint. Et tamen ante XX. annos Baſilius viſus fuerat Apollinario communicaſſe, idque per epiſtolam, quae omnibus Formatae notis erat deſtituta. Quod Euſtathio objicit epiſt. 79., qui calumniae fuiſſe videtur architectus. *Jam una epiſtola, eaque ambigua (neque enim dices te illam ex certis ſubſcriptionis notis cognoviſſe, quum non eam, quae primum ſcripta, ſed quae poſtea tranſcripta eſt, in manus acceperis) ex unis inquam, literis, iiſque vetuſtis periclitatur inter nos amicitia.*

Ut autem Euſtathium, ſocioſque Lampſaceni Concilii Legatos, Formatam poſtulantes, ad audientiam nequaquam admiſit Liberius, niſi poſtquam, ſubſcripto libello, Nicaenam fidem profeſſi eſſent; quo demum praeſtito, & Formatam obtinerent, & ceterorum Epiſcoporum communionem promererentur: ita Baſilius eoſdem non admiſit, niſi primùm ampliori fidei profeſſioni ſubſcripſiſſent, cujus exemplar ediderat Baſilius, & exſtat epiſt. 78., ſub cujus finem legitur eorum ſubſcriptio. *Euſtathius Epiſcopus tibi Baſilio. Legi, agnovi, & probavi haec praeſcripta. Subſcripſi autem cum his, qui mihi aderant Fratribus, Phortone, & Coröpiſcopo Severo, atque aliis nonnullis Clericis.* 352

XXVI. Privatus Lambeſitanus ob multa, eaque graviſſima delicta damnatus fuerat, ut eſt S. Cypriano epiſt. 55. proditum. Id quod ipſe Eccleſiis omnibus denunciaverat, ut fidei unitas ſervaretur, & damnatis intercluderentur epiſtolarum commercia. Ille verò clanculùm à Romano Cle- 248

250 ro Formatam extorquere tentavit .. Clerus tamen , Sede
tunc vacante , Eccleſiam moderans , ſolicitis Dominicorum
Curſorum nunciis à Cypriano commonitus , reſcripſit epiſt.
40. *Quod autem pertinet ad Privatum Lambeſitanum , pro tuo
munere feciſti , qui rem nobis ſolicitam nunciare voluiſti : omnes
enim nos decet , pro corpore totius Eccleſiae , cujus per varias
quaſque Provincias membra digeſta ſunt , excubare . Sed nos etiam
ante literas tuas fraus callidi hominis latere non potuit . Nam
cùm antehac quidam ex ipſius nequitiae cohorte veniſſet Vexilla-
rius Privati , & furto , ac fraudulenter literas à nobis elicere
curaret , nec quis eſſet latuit , nec literas , quas volebat , accepit.*
En quanta indagine Romani Presbyteri in fraudes , & ma-
chinationes inquirunt ; qui Formatam epiſtolam hoc uno de-
negarunt , quod miſſus ad ſe Curſor , Privati Vexillarius ,
characteribus illis , & notis deſtitueretur , quibus id hominum
genus inſigniri conſueverat .

Haec potiora erant Eccleſiaſticarum epiſtolarum genera ,
quae publici exercendi officii gratia dabantur ab Eccleſia-
rum Praeſulibus . Nos quidem eas hìc tantummodo cenſui-
mus , quae vel fidei controverſias proponebant , vel datae
exiſtimantur , ut Paſtores , quorum erat probata fides , at-
que integritas , neceſſitate compellente , poſſent ſuo aſſenſu ,
& ſubſcriptione , ſententia , & voto , ut par erat , dogmata
confirmare , & fideles cum à noxiis , noviſque doctrinis aver-
tere , tum in Majorum traditionibus erudire . Iſtiuſmodi au-
tem omnes epiſtolae , qualeſcumque eſſent , eò collineabant ,
ut una fides , dogmatum eorumdem una profeſſio , & il-
libata animorum concordia , juxta Chriſti praeceptum , &
Apoſtolica exempla ſervaretur . Quod exemplis hactenus ,
variiſque animadverſionibus oſtendere conati ſumus .

XXVII. Sed unum pro Diſſertationis coronide teſtimo-
nium minimè eſt praetereundum , quo , quae hactenus de
Encyclicarum uſu , & ſcopo diſputata ſunt , egregiè , & lu-
culenter confirmantur . Florus Magiſter , nomine Lugdu-
837 nenſis Eccleſiae opuſculum edidit adverſus Johannem Sco-
tum Erigenam , qui plurimos induxerat contra dogma Prae
deſtinationis errores . Atque imprimis circa liberum Arbi-
trium , Gratiam , & Praedeſtinationem , tres aïebat fuiſſe Se-
ctas , in quarum tertia multas effutierat propoſitiones con-

tra

ſtra receptam Eccleſiarum doctrinam. De tertia itaque haereſi, juxta Johannis aſſertionem, haec ad rem Florus. *Tertiam baereſim ponit, Praedeſtinationibus neceſſitates, & vim inferentem: cujus, ut ſibi videtur, autorem non tacet, vocans eam Gotteſchalcanam, à quodam videlicet miſerrimo, & infeliciſſimo Monacbo, jamdudum (illic neſcimus quo ordine) damnato, & annis jam plurimis carcerali ergaſtulo retruſo, nomine Goteſchalco, qui ſi aliquid tam grande, & periculoſum contra Fidem Catbolicam docere praeſumſit, ut neceſſario judicio tali, ac tanta damnatione pleɛteretur, profeɛto dignum fuerat, juxta antiquum Eccleſiae morem, ut tantus error, propter cautelae ſtudium, ne eo plures inficerentur, ceteris Eccleſiis in diverſis Regni partibus conſtitutis, etſi non initio, quando tantum malum eſt deprebenſum, vel in fine, quando tanta eſt ſeveritate damnatum, ſaltem poſtea per literas Synodicas, & Eccleſiaſticas ad omnium Fratrum, & Coëpiſcoporum notitiam perferretur. Quod ſi more, ut diximus, Eccleſiaſtico, ſemper à Patribus obſervato, factum fuiſſet, melius nunc ſciremus, & paratiores eſſemus ad redarguenda, & convincenda, quae iſte cum docuiſſe proponit.* Hactenus ille cap. 4. pag. 609. ex Editione Mauguini Tom. I. Veterum Auctorum, qui IX. Seculo de Praedeſtinatione, & Gratia ſcripſerunt.

In hoc quidem teſtimonio graphicè proponuntur quaecumque de epiſtolis Encyclicis, earum uſu, utilitate, neceſſitateque hucuſque ex Veterum monumentis aſſeruimus. Erat, ut Florus, & Eccleſia Lugdunenſis teſtantur, *Antiquus Eccleſiae mos, & à Patribus ſemper obſervatus*: Ut quum nova oriretur haereſis, novus error, damnationi abs Epiſcopo quovis ſubjiceretur: quae ſententia *ceteris Eccleſiis perferretur, & per literas Synodicas, & Eccleſiaſticas ad omnium Fratrum, & Coëpiſcoporum notitiam perveniret*. Morem autem hunc invectum ea de cauſſa aſſerit, quod apprimè conduceret ad occurrendum erroribus, atque impediendum, *ne iis plures inficerentur*: quippe *Judicio*, quod univerſa probarit Eccleſia, omnes fideles ultrò acquieſcebant. Denique conſcribebantur Eccleſiaſticae illae epiſtolae, quatenus emergebant fidei defenſandae opportunitates: atque ex iis repeti conſueverant argumenta, ad *redarguenda, & convincenda* quaecumque vel pridem docuerant, vel deinceps docere poſ-

ſent

ſent proſcripti hiſce Encyclicis, damnatique Haeretici. Nihil hoc Flori loco illuſtrius, nihil dilucidius afferri poteſt, ad praeclariſſimam hanc Eccleſiarum diſciplinam, dogmatum, Traditioniſque cuſtodem, commendandam, & pro merito ſuo, noſtroque inſtituto illuſtrandam.

XXVIII. Atque haec quidem nos pro modulo noſtro de ſaluberrimo, & antiquiſſimo Encyclicarum more diſſeruimus. In quibus tantum abeſt, ut aliis omnino ſactum ſatis credamus, ut ne nobis quidem omni ex parte ſatisfecerimus. Plurima enim occurrunt alia, quae accuratiorem, diuturnioremque meditationem, & ſolicitam rerum collationem efflagitant; quaeque in ſequentibus Diſſertationibus explanare conati ſumus, ut quam hîc habes communiorem priſci hujus moris ideam, juſtam ſubinde, numeriſque omnibus abſolutam in cenſu Encyclicarum Primitivae Eccleſiae deprehendas. Noſti equidem ita hominum animis comparatum eſſe, ut ſegnius rerum contemplatione, quam experimentis, difficiliuſque ratiociniis, quam factis, exempliſque ad aſſenſum trahantur. Haec interim aequi conſule, quae nobis vel recèns lectio, vel vetuſtioris obſervationis memoria ſuggeſſit: dijudica etiam ſi lubet. Ut enim id nobis concedi non poſtulamus, ut regnemus in literis (quod ab iis, & inique quidem fit, qui opprimunt judiciorum libertatem, atque in verba, legeſque ſuas homines adigunt) ita Eruditorum placita aequo animo patimur, ſint modo ſubacta, &, quod exigit veritatis amor, ac Religionis ſtudium, poſt ſolers, diutinumque monumentorum examen prolata. Modo itaque candidè judicetur, ſat eſt: quid cenſores, quid naſutuli, οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ.

FINIS.

INDEX

RERUM, CONCILIORUM, ET VIRORUM ILLUSTRIUM.

A

S. Abercii Acta. 130.
S. Abundius, Leonis M. Legatus Cplim. 170. 171.
Abyſſini ſubſcribunt Concil. Nicaeno. 91.
Acacius Caeſarienſ. Arianus. 71. 95. 98. 100. 106. Cur privatus jure Primatiali congregandae Synodi in Palaeſtina. 103.
Acacius CP. à Felice reprehenſus. 133. 240. Reſiſtit Antencycl. Baſiliſci, & ad Simplicium ſcribit. 252. Ejus zelus. 254. 255. 260. Synodum celebrat. 255. 256. 258.
Acaciani Schiſmatici ſubſcribunt Formulario Hormiſdae. 196. 204. Baſiliſci Antencyclicae Quingenti ſubſcripſerant Epiſcopi. 257. Aliqui ſupprimere tentant ſubſcriptiones. 204.
Acacius Melitinenſis. 171.
Acephali Tomos Encyclicos Catholicorum inſectantur. 225.
Achetas Diaconus cum Evocatoriis ad Athanaſium miſſus. 101.
Adlocutio Patrum Chalced. 85. 96. 161. 171. 271. 273. 305.
Aegyptii Epiſc. Dioſcoriani. 195. Renuentes ſubſcribere Dogmaticae S. Leonis, haereſis poſtulati. 207. Quomodo tolerati uſque ad electionem Archiepiſc. Alexandr. Ibid.
Aelianus Proconſul cauſſam Felicis Aptungit. cognoſcit. 35. 36.
Aeſchines. 26. 279.
Aëtius Archivorum Cuſtos in Africa. 32.
Aëtius Archidiaconus, & Presb. CPnus. 234. 235. 236.
Aëtius Arianus. 95. 205. Encyclicâ Concilii CPni cum aſſeclis damnatus. 206.
Africani adhibent Salutatorias, & quodvis decretum *Salutem* appellant 20. 22. Voces pro arbitratu confingunt. ibid. Vigilium P. excommunicant. 40.
Agapiti Encyclica adv. Acephalos laudata ab Orientalibus. 279. Scribit ad Africanos. 308.
Albaſpinaeus Gabriel. 304.
Alexander Alexandrin. contrahit Presbyterium Alexandrin., & Mareoticum in cauſſa Arii 71. 85. Encyclicam adv. Arium ſcribit, & argumentis oppugnat. 168. 196. 197. 245. Cur eam Alexandro CPno inſcribat. 244. Uſum Encyclicarum commendat. 42. 282. Subſcribi curat per Aegyptum Acta Nicaena. 191.
Alexander CPnus Acta Nicaena ſubſcribi curat in inſulis Cycladum. 192.
Alexander Hieropolitanus S. Cyrillum uſque ad mortem exagitat. 225.
Alexander Hieroſolymit. 29. Electionem ſuam denunciat Antiochenis per Clementem Alexandrin. Presbyt. 135. 136.
Alexander I. P. Heracleonem damnat. 136.
Alexander Presbyter Curſor Siricii P. 140. 141.
Alexander Theſſalon. curat in Illyrico ſubſcribi Acta Nicaena. 191. 192.
Alexandrinum Conc. pro Athanaſio Encyclicas laudat. 107. 269.
Aliud ſub Athanaſio Encyclicas Synodorum Sardicenſis, & Hieroſolymitanae approbat. 104. 125. 145.
Aliud ſub Athanaſio vim Encyclicarum confirmat. 193. 217. 218.
Aliud ſub Theophilo. 178.
Aliud ſub Cyrillo contra Neſtorium. 150. 162.
Aliud ſub eodem Cyrillo de Pace cum Orientalibus. 160.

A

Aliud ſub Timotheo Aeluro . 201. 202.
Aliud contra Timotheum . 202. 228.
S. Ambroſius. 196. 145. Suſcipit Encyclicam Siricii . 140.
Ammianus Marcellinus . 90. 91. 199. 305.
Ammonius Laicus, Curſor S. Athanaſii erat Magiſtrianus . 104. 105. 196.
Anaſtaſius Bibliothecarius . 150. 127. 204.
Anaſtaſius Hierſolymit. probat Antencycl. Baſiliſci . 257. 258. 259. Obiit . 263.
Anaſtaſius Pont. probat Paſchales Theophili . 11.
Anaſtaſius Theſſalonicenſis . 149.
Anathematiſmi S. Cyrilli adv. Neſtorium ab Orientalibus exagitati . 224. Quomodo ſuſcepti . 298. Encyclicis ſaepe adjuncti . 48. 49.
Anatolius CPnus . 39. Dogmaticae S. Leonis M. ſubſcribit 170. Promulgat Encyclicam Leonis Imp. 87. 227. 230. 233. 252.
Anatolius Presb. Alexandrin. Curſor, creatur Epiſcopus Laodicenus . 137.
Ancyranum Concil. 65. 66.
Angari vox, & officium . 111. Angariare, quid ſignificet . 112.
Anomoei unde dicti . 204.
Antencyclicae quae . 243. 289. Earum origo. 290. 291. Donatiſtarum contra Caecilianum . 32. 33. 34. 35. 36. 245. Novatiani . 63. 243. 244. 245. Euſebianorum contra Marcellum, & Athanaſium . 107. 222. 246. Euſebii Nicomedienſ. pro Ario . 196. 197. 221. 246. 285. Baſiliſci pro Eutychianis . 249. 250. 251. 252. 257. Retractatae . 261. Quomodo à Catholicis obviam itum . 247. 248.
Ἀντιγραφεῖς qui apud Gentes . 26.
Antiochenae Eccleſiae Schiſma . 86. 202.
Antiocheni Doctores Apoſtolici . 60. 135.
Antiochenus Patriarchatus dictus Orientalis. 91. Ejus ſupra Palaeſtinam jura . 103.
Antiochenum Concil. adv. Paulum Samoſaten. 137. 144. 168. 270. 272. 273. 284.
Alterum Arianorum ſub Euſebio Nicomed. 59. 199. 274. 297.
Alterum ab Arianis, Semiarianis, & Homoouſianis ſuſceptum . 204. 205.
Alterum, in quo Tomus Damaſi ſubſcribitur . 203.
Alterum, in quo ſuſceptus Tomus Procli. 166.
Alterum ſub Johanne, ubi de Pace cum Cyrillo . 160. 298. 305.
Antropomorphitae in Paſchali Theophili damnantur . 19.
Ἀπολύσεις, quid in Act. Apoſt. 26.
Apollinaris Hierapolitan. Phryges oppugnat . V. Prooemium .
Apollinaris haereſiarcha Formatam à Baſilio obtinet . 311. Aſſeclae ea Formata gloriantur . 312. 313.
Apollinarius Alexandrin. libellum fidei ad Vigilium mittit . 51.
Apollonius refutat Themiſionem. 5.
Apoſtoli apud Judaeos qui dicti . 302.
Apoſtoli Encyclicas ſcripſerunt . 4. 113. 291. Synodicam in Orbem emittunt . V. Hieroſolymitan. Conc. Apoſtoli nomine vocati aliquando Presbyteri . 62. Apoſtoli XL. apud Hermetem, qui. 62. 64. Multa oeconomice egerunt . 274.
Apoſtolicorum Doctorum ſolicitudo . 43.
Apoſtolicus Canon de Formatis . 301. 304.
Apronianus Eccleſiae defenſor . 33. Ingentium, Curſorem Donatiſtarum refellit . 34. 36.
Apuleii phraſis quae . 22.
Aquileienſe Concil. ſub S. Ambroſio . 96. 145.
Archelaüs Manetem impugnat . 62. 63.
Arelatenſe I. Conc. non damnat Traditores, ſed Martyrum de iis decreta confirmat . 55. Statuit, Paſchales à Rom. Pontifice in Orbem emittendas . 9. Communicatorias à ſolis Epiſcopis dari . 21. 22. 304. 305. Ejus Canon XIII. illuſtratus . 37. Vult ſua decreta à Silveſtro P. publicari . 146. Ejus Actis ſubſcribunt Diaconi . 124.
Alterum Arianorum, in quo depoſitus Athanaſius . 198.
Ariminenſe Conciliabulum . 79. 94. 95. 96. 138. 205. Improbatur ab Orientalibus . 81. 82. 218. 219. 283. Item à Liberio, & Occidentalibus . 83. 218. 219.
Arius ab Alexandro oppugnatus . 168. 282. Opponit Antencyclicas . 71. 107. 196. 221. 246. 285. A multis Epiſcopis

com-

A

communicatorias obtinet. 197. 246. 285. 286.
Ariani. V. Euſebiani.
Ariſtides Orator. 112.
Ariſtolaus à Cyrillo ad Orientales miſſus. 300.
Armenia Pontico Exarchae ſuberat. 277.
Arſenius Meletianus Schiſmaticus reſipiſcit, & formulam retractationis mittit ad Athanaſium. 151. 152.
Aſclepiades Diac. Curſor Anatolii CP. 227. 230. 233.
Aſiae Concilia ejurant formulam Ariminenſem. 81. 82.
Aſiarchae in liberis Aſiae Civitatibus. 25. Scribas ſuos habebant. 26.
S. Athanaſius Alex. laudatus. 15. 59. 91. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 108. 148. 197. 199. 270. Paſchales ſcripſit plurimas. 18. 19. 294. 295. Ejus epiſtola ad Epictetum velut fidei regula habetur. 171. 273. Origo depoſitionis ejuſdem, quae. 130. Ab Euſebianis depoſitus, fugit Romam, & Sedi reſtituitur. 98. 274. Damnatur in Conciliis Tyrio, Arelatenſi, & Antiocheno. 198. 199. 247. Scribit ad varios Presbyteros de rebus Eccleſiae. 137. Encyclicas ad Orthodoxos ſcribit. 274. 275. Coram Julio à ſuis Presbyteris defenditur. 138. Encyclicam Sardicenſem ſubſcribi curat. 99. 295. Evocatorias à Conſtantio ſuſcipit. 99. A Conſtantio, ab Epiſcopis, atque à Synodo Hieroſolymitana ſuſcipitur. 102. Pacificas ſcribit, & ſuſcipit. 295. 296. Nicaenam fidem ex Orbis conſenſu, & Encyclicis probat apud Jovianum Imp. 193. 217. 218. Arſenio Meletiano reſipiſcenti communicat. V. Arſenius. A Baſilio M. commendatur. 38. 86. 141.
Athanaſius Ancyranus Epiſcopus. 84.
Athanaſius de Perrhenorum Epiſcopatu contendit. 306.
Atticus CP. ſuſcepit Tractoriam Zoſimi. 272. 285.
Augendus Diac. Curſor Novatiani. 243. 244.
S. Auguſtinus. 6. 22. 23. 54. 63. 72. 75. 112. 118. 139. 171. 174. 188. 206. 224. A Pelagio II. P. commendatus. 314. Provocat Fortunium Donatiſtam ad uſum Formatarum. 309. 310.
Auguſti in imperio duo. 89. 90.
Auguſtus Imp. Curſum, & Curſores publicos inſtituit. 112.
Avitus Viennenſis. 15. 294.
Aurelianenſe I. Concil. 174.
Aurelianus Imp. 58.
Aurelius Victor. 112.
Author Praedeſtinati morem Paſchalium elucidat. 10. Laudatur. 50. 136. 174.
Auxentius Arianus. 185.
Auxentius, Joviniani ſectator. 140.

B

Bacchylides impellit Dionyſium Corinthiacum ad Encyclicas conſcribendas. 212.
Baccillus Corinthiorum Epiſcopus ſcribit de Paſchate. 216.
Baluzius non aſſequitur, quid ſint Salutatoriae Epiſtolae. 13. Lapſum Notariorum in Actis Conc. Chalced. perperam ſuſpicatur. 195. Laudatus. 17. 20. 35. 149. 199. 229. 295. 301. 306.
Baptiſmus non ſufficit peccatoribus ad ſalutem. 136.
Barnabas Presbyter Doctor Antiochenus. 135.
Baronius cit. 11. 54. 130. 139. 153. 171. 252. 253.
Baſianus Magiſtrianus. 130.
Baſilica S. Anaſtaſiae. 66.
Baſiliſcus Imp. factus, Encyclicam contra Concil. Chalced. evulgat. 249. 250. 257. 258. 259. 261. Intimat Acacio CP. 252. Redarguitur à Simplicio Pont. 253. 254. Et à Monachis. 256. Coactus revocare Encyclicam per Antencyclicam. 259. 260. 261.
Baſilius Ancyranus juſſu Conſtantii ſcribit Encyclicam. 87. Promovet Formulam Ariminenſem. 122. 148.
S. Baſilius M. 38. 145. 154. 165. 202. 219. 289. Suadet Athanaſio, ut Encyclicas ſcribat, & per Presbyteros mittat ad Occidentales. 141. 147. 148. 283. Scribit Tractatum Encyclicum de Spiritu S. 85 86.

B

86. 273. Accuſatur, Formatam Apollinario dediſſe. 311. 312. 315. Suadet Meletio, ut arcanam formam in Encyc. adhibeat. 247. 248. Petit à Damaſo, & Occidentalibus, ut Encyclicam ſcribant. 277. 278. 279. 280. 283. Euſtathium Sebaſt. exagitat. 280. 282. 283. Ejus libellum fidei ſuſcipit. 315.
Baſilius Antiochen. ad defenſionem Conc. Chalced. excitatus. 235. 239. Cur à Leone M. reprehenſus. 243. 244.
Baſilius Seleucienſis. 162.
Baſilius Monachus preces Theodoſio porrigit. 270. 272.
Bibliothecarii dignitas in Eccleſia Romana. 127. 128.
Bignonius. 306.
Bituricenſe Concil., duce Hilario, Athanaſii cauſſam defendit. 199.
Bracarenſe I. Concil. ſuſcipit Turribii, & Leonis M. Encyclicam adv. Priſcillianiſtas. 176. 177.
Breviculus Eutychianiſtarum. 133. 227. 258. 261.
Breuverius. 117.
Briſſonius. 111.
Bucherius. 15.
Buonarotta Philip. 307.
Burrhus, Diaconus Curſor Eccleſiarum Aſiae, ab Ignatio commendatus. 122.

C

Caecilianus Carthaginenſis accuſatur traditionis. 31. Innocens declaratur. 185. Subſcribi curat Acta Nicaena per Africam. 192.
Caeſareenſis Exarcha jus habebat in Palaeſtinam. 103. 149. Ponticae Dioeceſi praeerat. 154. Et Armeniae. 277.
Caeſareenſe Conc. ſub Victore P. 149.
Caeſares apud Romanos, qui dicerentur. 89. 90. Dicti Nobiliſſimi. 249.
Caldonius Epiſcopus. 123.
Calendio Antiochenus Catholicus. 262. 263.
Cancellarii Eccleſiaſtici ad Encyclicas ferendas adhibiti 128. Encyclicis ſubſcribebant. ibid.
Candidianus Exorciſta, Curſor Semiarianorum. 129. 139.
Capitolinus Aelius. 126.
Capreolus Carthaginenſis ſcribit ad Epheſinum Conc., non tetractandum judicium in Encyclicis latum de Pelagianis. 76. 273. Scribit Dogmaticam ad Vitalem, & Tonantium. 274.
Carterius Diaconus Antiochenus, & Curſor. 125.
Carthaginenſe Conc. ſub S. Cypriano de Rebaptizatione Haereticorum. 182. 183. 184.
Aliud ſub S. Grato, in quo Sardicenſis Encyclica ſubſcribitur. 104. 297.
Aliud ſub Johanne II. Pont. 308.
Carthagin. III. Conc. 66.
Carthagin. V. laudat Formatas. 15.
Cartophylax, quis in Eccleſia CPna. 127.
Caſaubonus. 6.
Caſſianus deſcribit morem Paſchalium. 19. Leporii profeſſionem laudat. 47.
Caſſiodorus. 179. 241.
Caſtabalorum Urbs in Cilicia. 81.
Caſtitatis praeceptum à Pynito contra Dionyſium aſſeritur. 212. 213.
Catholicae cur dictae Encyclicae. 4.
Cecropius Epiſcopus, aſſerens mille ducentos Epiſc. ſubſcripſiſſe Dogmaticae S. Leonis, vendicatur. 195.
Chalcedonenſe Concil. Gen. 55. 131. 132. 148. 151. 158. 169. 177. 182. 195. 201. 207. 225. 259. 270. 272. 276. 303. 306. In dubium revocatur, duce Timotheo Aeluro. 227. 228. 249. 259. Defenſum ab univerſali Eccleſia. 229. Et à Leone M. 234. 239. 240.
Chatenſis Vicus in Meſopotamia. 62.
Chares Presbyter Arii ſocius. 71.
Charmoſynus Presb. legatus S. Cyrilli. 298.
Chronicon Alexandrinum. 249. 261.
Chryſaphius Eunuchus ſub Theodoſio. 132. 251.
☧ Chriſti Monogramma in Encyclicis adhibitum. 306. 307.
Chryſoſtomus Johannes. 114. 121. 135. Quomodo Origeniſtas ſuſceperit. 304.
Cicero. 113. 127. 193. 305.
Cirtenſe Concil. in Africa. 55. 295.
Clementius Hypodiaconus, & Curſor Cleri Romani. 201.

Cle-

C

Clementis I. Pont. Encyclica olim diebus Dominicis lectitata. 157.

Clemens Alexandrin. 64. Mittitur ab Alexandro Hieroſolymit. ad Eccleſiam Antiochenam. 135. 136. Oſtenditur ſcripſiſſe adv. Judaeos. ibid.

Clericae cur olim dictae Encyclicae. 3. 201.

Clericis interdictum mulierum contubernium. 106. Soli aſſumebantur ad gradum Curſoris 118. Eorum crimina Laïcis occultata. 177. Peregrinantes ſine Commendatitiis non ſuſcepti. 304.

Codicis Eccleſiae Oriental. Canon XXI. illuſtratus. 49. 304.

Codex Caſſin. 38. 131. 146. 163. 225. 299.

Coeleſtius Zoſimo imponit. 310. 311.

S. Coeleſtinus I. Pont. 124. Damnat Neſtorium. 150. Suſcipit Unitivam S. Cyrilli. 161. Reſcribit ad Cyrillum de Neſtorio. 162. Laudat Encyclicam Zoſimi. 272.

Collatio Carthaginenſis cum Donatiſtis. 55. 186.

Collatio CPna cum Severianis. 274.

Collegiarii Miniſtri apud Gentes, qui. 25.

Coloſſenſes ab haereſi per Encyclicam revocantur. 156.

Comarius Epiſcopus, legatus Cyrilli ad Neſtorium. 164.

Commendatitiae Epiſt. à S. Paulo memoratae. 302. 303. Quibus darentur. 303. 304.

Communicatoriae Epiſtolae quae. 43. 302. Eas petebant Eccleſiae, recèns fundatae, ab Apoſtolicis, & Matricibus. 47. Quomodo, & à quibus tradendae. 297. Quomodo dignoſcerentur. 300. 304. 306. Quibus datae. 303. 304. 305.

Communio Lapſis quomodo data. 172. 212. Multiplex dabatur. 303. 304. 308. Accuſatoribus falſis uſque ad obitum dilata. 37. Paſſiva qualis. 297.

Concilia ſeparatim ab Orientalibus, & Occidentalibus habita. 94. 95. 96. 200. Generalia laudant Magiſterium Encyclicarum. 272. 273.

Conciliorum Acta Edit. Labb. 40. 91. 227. 308.

Eadem Edit. Hard. 11. 40. 91. 127. 128. 130. 131. 132. 133. 148. 149. 150. 158. 160. 171. 177. 178. 181. 182. 190. 193. 196. 197. 201. 203. 219. 221. 223. 228. 229. 239. 241. 246. 264. 270. 271. 274. 276. 279. 282. 284. 306.

Confeſſores ſcribunt Encyclicas. V. Martyres.

Confraternitas, & Conſalutatio in primitiva Eccleſia. 14.

Conſenſus Epiſcoporum in Encyclicis editus. 47. 48. 53. 83. 88. 100. 101. 105. 106. 120. 143. 147. 150. 152. 185. 186. 187. 188. 231. 236. 273. 277. Idem non paſſivus tantum fuit, ſed activus. 72. 264. 282. 314. Ejuſdem neceſſitas. 70. 71. 228. Quomodo dignoſceretur. 180. 193. 209. 309. 310. 313.

CPni Populi zelus adv. Baſiliſcum. 252.

CPnum II. Gen. Conc. 96. 202. 279.

V. Gen. 51. 128. 133. 182. 241. 314.

VI. Gen. 51. 128. 200. 139. 276.

VIII. Gen. 127. 129. 204.

Aliud ſub Conſtantino damnat Marcellum Ancyranum. 222.

Aliud Semiarianorum, Encyclicam adv. Aëtianos promulgat. 206. 281.

Aliud Acacii zelo celebratum contra Baſiliſcum. 254. 255. 256.

Aliud ſub Flaviano contra Eutychetem. 146.

Aliud ſub Anatolio. 230. 233.

Aliud ſub Menna. 87. 178. 230. 276.

Duplex ſub Pyrrho Monothelita. 264. 265.

Conſtantinus, obſes apud Maximianum, quomodo evaſerit. 6. Juſſit haberi Concil. Arelatenſe in cauſſa Donariſtarum. 124. Indicit Concil. Nicaenum. 130. Epiſcoporum animos conciliat. 230. Ejus Encyclica in Orbem miſſa. 190. Apellatur Apoſtolus 63. Curam exſcribendorum Codicum mandat Euſebio Caeſar. 128. Monogramma Chriſti non invexit. 307. Ejus filii Orbem Romanum partiuntur. 90.

Conſtantius, & Galerius Auguſti. 89.

Conſtantius Imp. 87. Judicia Eccleſiaſtica

Digitized by Google

C

uſurpat. 92. 108. 109. Ejus improbitas. 91. Damnat Athanaſium. 198. Liberii P. conſenſum exquirit. 199. 200. Conſtantis fratris ditionem accipit. 106. Evocat Athanaſium. 99. Encyclicam Sardicenſem appellat Dei Decretum. 101. 102. Scribit Encyclicam ad Catholicos, & alteram ad Alexandrinos pro Athanaſio. ibid. Iterum perſequitur Athanaſium. 107. 108. Liberium accuſat occultatae Encyclicae. 159. Formulam praeſcripſit Patribus Ariminenſibus. 96.

Conſtantis Imp. zelus. 98. Mittit Paulum, & Macarium ad compeſcendos Donatiſtas. 223. Ejus mors. 106.

Conteſſeratio priorum Chriſtianorum quae. 45. 210.

Corëpiſcopi in Concilio Apoſtolico. 58. Pacificas tradere poterant. 297.

Cornelius I. P. ſcribit Encyclicam ad Fabium Antiochenum. 29. 144. 216. 217. Novatum damnat. 185. 217. 270. Catalogum Italorum Epiſcoporum cum Encyclica evulgat. 189. Novatianorum reſipiſcentiam deſcribit. 67. Decretum, ſeu Communicatoriam ad Lapſos ſcribit. 28. 53. 166. Obſiſtit Encyclicae Feliciſſimi. 156. 157.

Coſmas Indodopleuſtes laudat Tomum Paſchalium S. Athan. 295.

Cotelerius. 71.

Couſtantius. 252.

Creſcens Presbyt. Curſor Siricii P. 140. 141.

Creſconius ab Auguſtino refutatus. 171. 172.

Curſores Eccleſiaſtici, ab Apoſtolis inſtituti. 153. In V. Teo ab Ezechia adhibiti. 9. A S. Ignatio *Dominici* vocati, & commendati. 116. 121. 188. Ex Clericis eligendi. 118. Erant plerumque Diaconi. 27. 120. 121. 222. Scientia, & probitas cum Diaconatu in iiſdem requirebantur. 114. 117. 188. 122. 123. Quomodo eligerentur. 514. 116. 118. 119. Muniebantur Diaconica. V. Diaconica. Multa oretenus eis commiſſa. 115. Eorum celeritas. 112. 113. 126. 205. 232. 233. 245. 311. Eorum nomina in Encyclicis annotata. 115. 125. Eccleſiarum Presbyteriis intererant. 123. 219. 220. Chartis, & profeſſionibus fidei, ſubſcribebant. 125. 128. Similiter Actis Conciliaribus. 124. Mittebantur à Pontificibus ad Conc. Orientalia. ibid. Eorum ſolicitudo quae. 114. 155. 156. Legere apud Eccleſias tenebantur Encyclicam. 531. Etiam invito Metropolitano. 156. 157. Exemplar ſubſcriptum relinquebant. 36. 165. 166. Hoſpitalitate fidelium gaudebant. 113. Cuſtodiebant Encyclicas, & exſcribendas dabant. 119. 120. 124. 125. 528. Ad Eccleſiaſticas dignitates aſſumti. 127. Gradus Curſoris in Inſcriptionibus ſepulcralibus expreſſus. 117. Curſores privati. 113.

Curſus publicus in Imperio. 6. A Cyro quomodo invectus. 111. Ab Auguſto, & Trajano ordinatus. 512. Penes ſolum Imperatorem jus concedendi erat. 125. 126. Conceſſus à Conſtantino Clericis Euſebii Caeſar. 128.

S. Cyprianus laudatus. 3. 22. 23. 28. 31. 39 52. 63. 65. 66. 67. 69. 78. 87. 117. 118. 119. 120. 123. 146. 149. 154. 156. 157. 166. 245. 269. Conſulit Stephanum Pontificem R. de Marciano Arelatenſi. 145. Vendicatur ab haereſi Rebaptizantium. 571. 172. 184. Encyclicae adv. Novatianos adjungit librum de Unitate. 171. Librum etiam de Lapſis Romam, & in Orbem mittit, & Encyclicus dicitur. 573. 174. Novatianos Encyclica damnat. 183. 244. 290. De Encyclica, & libello Novatianorum ſcribit ad Cornelium. 177. 244. 291. 292. 310. Ejus Epiſtola ad Jubaïanum erat Encyclica. 181. Rejicit Encyclicas non ſubſcriptas. 201. Feliciſſimum Encyclica damnat. 183. Scribit de Petro Lambeſitano. 315. 316. Cur Catalogum Epiſcoporum Catholicorum Africae miſerit ad Cornelium. 189. Commendat animorum unionem. 288. 289. 290. Quando obierit. 54.

Cyprianus Diaconus Curſor, ab Auguſtino laudatus. 116.

Cyria-

C

Cyriacus Ariminenſis damnat Marcellum Ancyr. 222. 223.

S. Cyrillus Alexandrin. Paſchales ſcripſit. 15. 18. 19. 295. Paſchali Encyc. Neſtorium denunciat. 10. Alterâ eundem damnat, & ſuffragium Coeleſtini P. obtinet. 150. 151. 162. Eadem ſubſcripta à ſex mille Epiſcopis. 194. 195. A Pontificibus dein confirmata. 77. 78. Suſcepta ab Illyricianis. 181. A Leone M. laudata. 123. 124. Vices agit Coeleſtini in cauſſa Neſtorii. 150. Praeeſt Concilio Epheſino. 59. Depoſitus ab Orientalibus propter Anathematiſmos additos. 224. Literas Orientalium reſipiſcentium cur primò abjecerit. 159. 298. 300. Promulgat Encyclicam Pacis. 131. 160. 191. 299. Pacificae adjuncta Epiſt. S. Athanaſii ad Epictet. 171. Canonica appellatur. 272. Velut Magiſterium habentur eaedem Encyclicae. 274. tradit Formatas Athanaſio Perrhenorum Epiſcopo.

Cyrillus Scythopolitanus. 258. 259. 263.

Cyrus Rex Perſar. inſtituit Curſum publicum. 111.

D

DAlmatius Monachus. 194. 195.

Damaſi Epiſt. adv. Apollinarem. 49. 96. Mendum in ejus teſtimonio expurgatum. 186. Mittit Tomum ad Occidentales. 185. 202. Item ad Illyricianos. 141. 142. V. Tomus. Conſulitur à S. Hieronymo. 145.

Daniël Epiſcopus, Cyrilli ad Neſtorium legatus. 164.

Daniël Stylites Baſiliſco obſiſtit. 255. 256.

Datianus Praetor Encyclica ſcripta perſequitur. 56.

Declarativae Encyclicae, quae. 7.

Demetrianus Antiochenus. 29.

Denunciativae Encyclicae, quae. 7.

Depoſitum Dogmatum in Eccleſia. 43. 44. 46.

Diaconi Archivorum, & Scriptorum cuſtodes. 22. 130. Eorum nomina Encyclicis inſcripta. 39. 40. 41. 125. Saepe electi Curſores. V. Curſores. Teſtes in dubiis adhibiti. 130. 197. 198.

D

Diaconicae Literae Eruditis non exploratae. 24. Captu difficile, quid eſſent. 25. Apud Euſebium Διακονικὰ eſt genus Epiſtolarum. 27. Erant diplomata Diaconis Curſoribus data. 28. 29. 36. 297. A Leone M. adhibentur. 30. 126. Diaconicam Ingentio tradunt Donatiſtae. 34. 35. Tradit Conſtantinus Imp. Achetae. 101. Earum neceſſitas. 120. 125. A falſis Diaconis confictae. 126.

Diaconion quid eſſet. 39. 40.

Διάκονος, quid apud S. Paulum. 120. 121.

Diocletiani perſecutio. 20. 54. 89.

Diodorus Presbyter. 62.

Diomedes Silentiarius ſub Leone Imp. 239.

Dionyſius Alexandrin. 52. 127. 137. 244. 303. Ejus Paſchales Encyclicae. 4. Agitur in iis de peſte Aegypti, & perſecutionibus Tyrannorum. 17. Continent profeſſionem fidei. 18. 294. Mittuntur Romam per Hippolytum. 29. 30. Eidem Diaconicam tradit. 27. 28. 29. Interpolatas fuiſſe Encyclicas conqueritur. 34. 215. In Tomum redactae. V. Tomus. Tractatoris more ſcribit adv. Sabellium. 166. 174.

Dionyſius Corinth. ſcripſit Catholicas Epiſtolas. 5. 211. In Tomum redactae. V. Tomus. Soteris P. Encyclicam publice die Dominico lectitabat. 157. 163.

Dionyſius Mediolan. 92. Exſilio multatur. 109. 199.

Dioſcorus Chalcedone accuſatus. 132. Dogmaticam S. Leonis perjurus occultat. 158. Ejus crimina abſentibus Judicibus in Concilio examinata. 177. Damnatus. 227. 257. Origeniſmi poſtulatus. 276.

Diptyheis ſacris inſerta nomina Martyrum. 52.

Diſputationes habitae cum Haereticis, adjunctae Encyclicis. 171.

Doctores olim vocati Presbyteri. 64. 65. 118. CPli quales eſſent. 251. Cur inſtituti. 289.

Domitiani Imp. arrogantia. 305.

Domitianus Ancyranus, Origeniſta. 170. Scribit ad Vigilium P. 179.

Domitianus Epiſc. legatus Leonis M. 237.

Domuus

Digitized by Google

D

Domnus Antioch. libellum fidei offert Vigilio. 51.

Donatiſtici Schiſmatis origo. 31. Donatiſtae Encyclicam ſcribunt. 32. 245. Eorum fraudes. 33. 34. 35. 245. Damnati à Melchiade, appellant ad Conſtantinum. 35. Affectant communicare Martyribus. 22. Per Tractoriam damnandi. 7. Subſcriptiones Epiſcoporum confingunt. 186. Subſcribunt Antencyclicae Philippopolit. Conc., & Euſebianis junguntur. 223. 224. Ad Formatas provocati. 309. 313. 314.

Donatus Illyrici Metropolita. 151.

Dorotheus Meletii Diacon. Curſor, à Baſilio laudatus, & Daconica donatus. 38. Mittitur ad Athanaſium. ibid. & 86. 147. 202. Mittitur Romam. 148.

Dracontius ſuadetur Epiſcopatum ſuſcipere. 137.

Du-Pin notatus. 159.

Dyuatus in Epiro Epiſcopus. 151.

E

ECcleſia primitus erat in Republica. 3. Unitate potiſſimum gaudet. 42. 172. 289. 290. 292. 313. 314. Multiplex ejus repraeſentatio. 44. Ejus indefectibilitas. 46. 209. 314. Quomodo à Spiritu S. tegatur. 58. Cuſtodit dogmata. 43.

Eccleſiae quomodo Apoſtolicae. 45. Conſulendae de fide. 46. Principaliores habebant ſuos Curſores. 117.

Ecthesis Heraclii Imp. in Synodo, & per Orbem probata. 264. 265.

Elpidius defert ad Afianos Tomum Damaſi, & Synodicam Illyricianorum. 142.

Elpiſtus interrogat Dionyſium Corinth. 212.

Encyclicae à Graeco ἐν & Κύκλῳ dictae. 2. In Politicis adhibitae. ibid. Ab Eccleſia quando potiſſimum adhibitae. 3. Saepe ad Eccleſiam Catholicam inſcriptae. 5. 88. Dictae ſunt Tractoriae, Tractatoriae, Denunciativae, Declarativae, Indicativae, Enthroniſticae, Paſchales, Salutatoriae. V. ſuis locis. Editae pro unitate fidei, & refellendis erroribus. 48. 291. 293. Agebant de Haereticis. V. Haeretici. Arcanis notis exaratae. 247. 248. 306. 307. Errores ex Scripturis refutabant. 168. Earum partes, & conditiones. 73. 232. Autores. 74. 85. Quomodo conderentur. 68. Quomodo ab Epiſcopis vulgarentur. 65. 144. Ad Metropolitas deferebantur. 148. 149. 150. 231. Ad Sedes praeſertim Apoſtolicas. 143. 144. Quae illarum autoritas. 109. 111. 152. 153. 268. 270. 274. A Romano Pontifice confirmandae. 145. 228. Quemadmodum à Conciliis differant. 192. 232. 233. 264. 272. 280. 282. Recitabantur in Eccleſiis haereſi infectis. 155. 156. Praeſertim diebus Dominicis. 157. 162. 164. Invito, etiam Metropolitano. 156. 157. Quale crimen, ſi abſconderentur. 153. 158. 159. Dignoſcebantur ex ſubſcriptionibus. 201. 202. 292. 300. 306. Qui ſubſcribere tenuebant, haeretici habiti. 205. 206. 207. Eis adjungebantur libelli. V. Libelli. Appellantur Tractatus. 174. Traditae ad exſcribendum. 120. Cur earum fierent duo authentica exemplaria. 129. 130. 219. 221. Cur ad varios inſcriptae ſaepe occurrant. 144. 239. 271. In Archivis Metropol. & Primat. aſſervatae. 157. 217. 219. 220. Appellantur Coeleſtia decreta. 69. 269. Cur in Cathedra Epiſcopali aſſervatae. 23. Adhibitae ad Hiſt. Eccleſiaſt. adornandam. 210. In Tomos redactae. 210. 211. 212. 213. 214. 215. 216. 217. 218. 219. V. Tomus. A Novitatis cenſura vendicantur. 72. 73. 231. 232. 233. 286.

Enthroniſticae Literae, & Homiliae. 8. 50. Fidei profeſſionem continebant. 244.

Ε'ὀρταςικαί Ε'πιςολαί quaenam eſſent. 15.

Epaonenſe Conc. in Sabaudia. 304.

Epheſinus Exarchatus ſubjectus Patriarchae CP. 258.

Epheſinum Gen. III. Conc. 59. 132. 150. 151. 181. 250. 270. 299. Suſcipit Encyclicas Coeleſtini, & Cyrilli. 163. 273. 298. Examinat Legatos Cyrilli ad Neſtorium. 164.

Epheſinum Latrocinale Conc. 56. 132. 158. 182.

Digitized by Google

E

182. 225. 251.
Aliud ſub Timotheo Aeluro. 257. 258. Ejuratur. 263.
Ephraemius Antiochenus. 225.
Epictetus Centumcellenſis Epiſcopus Arianus, 200.
Epicurus Vocum notiones quaerere jubet. 2.
Epiphanius. 49. 144. 302.
Epiphanius Diac. Curſor Acacii CP. 254.
Epiphanius Scholaſticus Tomum Encyc. Leonis Imp. latio donat. 229. 241.
Epiſcopi electi Enthroniſticas emittebant. 8. 50. Epiſcopi primae Cathedrae, qui dicti. 297. 301. Defuncti, & Electi in Encyclicis denunciati. 145. 146. 294. Presbyteria contrahebant. 61. 62. 65. Nihil ſine Presbyterio agebant. 67. 117. 119. Conciliis in ſua Civitate habitis praeerant. 59. Rei ſiqui erant, in Conciliis extra ſubſellia ſtabant. 55. 56. Habebant Diaconos exceptores. 124. Nihil agebant ante ſententiam Metropolitani. 180. 207. 301. Iiſdem intimabant Encyclicas, eorumque ſubſcriptiones ſequebantur. 150. 151. 153. 264. Evulgabant Encyclicas Martyrum. 86. 87. 149. Eorum Encyclicae ab Apoſtolica Sede probandae. 77. Quo in pretio habitae. 85. 86. 315. Aliis reſpondere tenebantur. 131. 133. Peregrini quomodo exciperentur. 301. 308. Supplicationes in evulgandis Encyc. adhibebant. 251. 252. Neminem ſine fidei profeſſione admittebant. 296. 297. 298. 299.
Epiſtolarum in vita communi uſus. 291. Varia genera. 293. 294.
Epocha Aſſertorum Trinitatis. 47.
Ethnicorum ſacri mores. 25.
Etymologicon Magnum. 3.
Evagrius laudatus. 8. 178. 230. 239. 249. 257. 258. 259. 260. 263.
Eulogius Alexandrinus. 232. 233. 235.
Eudoxus Arianus Epiſc. 81. 95. 122. 281.
Eugenius Nicaenus Arianus. 199.
Eunomius Diaconus Curſor Arianorum ab Eudoxo creatus. 122.
Eunomiani qui eſſent. 122.
Eunuchorum improbitas. 95. 103. Occaſio Nicaeni Canonis de illis editi. 106. Mittuntur à Conſtantio ad ſolicitandam Liberii fidem adv. Encyclicam Sardicenſem. 108. 199.
Euſebiani affectant dici Orientales per aſſentationem. 91. 93. Decernunt ſolvi ab ipſis poſſe, quod ſtatuerent Occidentales. 94. 246. Deponunt Marcellum Ancyranum. 49. 222. 311. Celebrant Conventum Philippopolitanum. 222. Irritare ſtudent Synodum Sardicenſem. 95. Suam Encyclicam falſo Sardicenſem inſcribunt. 91. 93. 222. Mittunt in Orbem, & ſpecialiter ad Donatiſtas. 223. Depoſito Athanaſio, ordinant Epiſcopum Alex. Georgium. 98. Metuunt poſt Encyclicam Sardicenſem è Sedibus dejici. 100. Eorum palinodia. 105. 296. In Synodo Hieroſol. Athanaſium ſuſcipiunt. 108. Suadent Conſtantio, ut iterum Antencyclicis damnetur Athanaſius. 106. Per vim cogunt Clericos, & Epiſcopos Antencyc. ſubſcribere. 107. 109. 147. Poſtulant confirmationem R. Pont., & à Liberio refutantur. 108. Jactant ſubſcriptiones. 109. Per Legatos Athanaſium accuſant apud Julium. 138. 197. A Julio refutantur. 159. 246. Tomos Encyclicos affectant. V. Tomus.
Euſebius Caeſarienſ. Hiſtoricus. 4. 5. 8. 15. 17. 18. 52. 54. 89. 128. 136. 137. 157. 166. 174. 181. 285. 211. 216. 230. 244. 294. 303. 307. Arium ſuſcipit. 192. Encyclicis Marcellum Ancyranum oppugnat. 214. 215. Encyclicam de voce ὁμοούσιον ſcribit ad Caeſarienſes 191. Ejus locus de Diaconicis illuſtratus. 27. 28. 29. Hiſtoriam Eccleſiaſt. ex Encyclicis adornat. 209. 210.
Euſebius Caeſareae Cappad. intereſt Synodo Tyanenſi. 84.
Euſebius Diaconus Curſor Alexandrin. eligitur Epiſcopus Laodicenus. 127. 137.
Euſebius Dorylenſis conteſtationem adv. Neſtorium evulgat. 284.
Euſebius Eunuchus Arianus ſub Conſtantio. 95. 199.
Euſebius Mediolanenſis ſuſcipit Dogmaticam S. Leonis. 148. 149.

Euſe-

Digitized by Google

E

Euſebius Nicomedienſis Arii patronus. 59. 130. 196. 197. 221. 246. 285. 286. Seditionem in Conſtantinum meditatus. 246.
Euſebius Samoſatenus ſubſcriptiones Antiocheni Concilii Conſtantio reſtituere abnuit. 204. 205.
Euſebius Vercellenſis. 92. 125. Exſilio multatur. 109. 199.
Euſtachius Lilybaetanus Epiſcopus. 136.
Euſtathius Antiochenus ſubſcribi curat Acta Nicaena. 191. Euſtathiani Petrum Fullonem exagitant. 262. 263.
Euſtathius Berroënſis. 144.
Euſtathius Epiſcopus Sebaſtenus. 81. 154. Legatus Orientalium. 219. 277. 297. 298. Deficit ad Arianos, & ſuo munere abutitur. 277. Ejus mores, & varia fides à Baſilio deſcribuntur. 278. 281. 282. 203. Ejus profeſſio ab Occidentalibus miſſa ad Baſilium. 280. Libellum communionis porrigit Baſilio. 315.
S. Euthymius. 263.
Eutropius. 89.
Eutyches appellat ad Leonem M., & ſcribit ad Petrum Chryſologum. 146.
Eutychiani petunt à Leone Imp. Concilium. 169. 227. 229. Falſarunt Dogmaticam S. Leonis. 170. Omnem fidei formulam, praeter Nicaenam, reſpuebant. 225. 250. 251. Repreſſi per Encyclicam Leonis Imp. 232. 233. Epheſi Synodicam ſcribunt ad Baſiliſcum. 258. Seditiones excitant per Monachos. 257.
Eutychius CPnus Enthroniſticam ad Vigilium ſcribit. 51. Ejus profeſſio fidei ſubſcribitur à Vigilio. ibid.
Eutychius Erthororum Epiſcopus. 151.
Euxitheus Theſſalonicenſis. 235.
Examen Encyclicarum praemiſſum. 68. 71. 72. 166. 315. Poſt Encyclicas, ubique ſuſceptas, denegatum. 76. 253. 273.
Exucontii Ariani cur ita dicti. 204.
Ezechias Rex Judae Paſchales Encyclicas adhibet. 9.

* * * * * *

F

Fabius Antiochenus. 29. 144.
Facundus Hermianenſis. 166. 178. 179. 231. 238. 270. 305.
Fauſtinus, & Marcellinus laudati. 20.
Felicianus Acolythus, & Curſor Cornelii P. 189.
Feliciſſimi ſchiſma contra Cyprianum. 156. 290. 291. Damnatur. 183.
Felix Aptungitanus Traditionis poſtulatus à Donatiſtis. 12. 31. 32. 245. A Proconſule abſolutus. 13.
Ejus acta Purgationis laudata. 12. 27. 31. 36. 37.
Felix Joviniani Sectator. 140.
Felix Pont. Romam citat Acacium CP. 132. 133. 240.
Felix Diaconus Scriba ſub Caldonio, & Decimo. 127.
Ferrarius Fran. Bernard. 306.
Feſtales Encyclicae. V. Paſchales.
Fides quomodo per Eccleſiam illuſtretur. 42. 43.
Flacillas Antiochenus. 59.
Flavianus CPnus damnat Eutychem. 146. Scribit de eo ad Leonem M. 147.
Flavianus Philippenſis Epiſc. 181.
Florus Magiſter Lugdun. commendat uſum Encyclicarum. 316. 317. 318.
Forma Encyclicarum conſtituta. 201. 229. 232. 304. 305. 306. Arcana, & ignota adhibita. 247. 248. 306. 307. An haberet ☧ Monogramma Chriſti. 306. 307.
Formatae Literae eaedem quae Salutatoriae. 23. 45. Quibus darentur. 15. 305. 308. 309. Eis erat reſpondendum. 15. A ſolis Epiſcopis datae. 301. 302. Ortae à Formalibus Imperatorum. 305. Cur dictae ſint auxilium peregrinationis. 311. 312. Dictae Communionis indices. 312. 313. Uſus, & earum autoritas. 306. 309. 310. 312. 313.
Formula quid apud Romanos. 305.
Formulario Hormiſdae ſubſcribunt Acaciani. 196.
Fortunatus. 14.
Fortunius Donatiſta ſe defendit Tomo Encyclico Euſebianorum. 223. 224. Provocatur ad uſum Formatarum. 309.

G

G

GAllienus Imp. Ediſtum Metropolitis inſcribit. 181.
Gangrenſis Synodus. 49.
Garnerius Johannes. 50.
Gelaſius Cyzicenus. 130. 190. 192. 193. 198.
Gelaſius I. Pont. 40. 50. 259. 262.
Geminianus Epiſc. legatus CPlim S. Leonis. 237.
Gemnitius Presbyter Carthagin. 65.
Genialis Joviniani aſſecla. 140.
Georgius Syncellus. 28.
Georgius, Arianus Alexandriae intruſus Archiep. 98. 100. 106. 199. 274. Aëtium primò ſequitur, poſtea damnat. 205. 206. Encyclica Athanaſii oppugnatus. 275.
S. Germanus CPnus Encyclicam opponit Iconomachis. 153.
Germinator Joviniani aſſecla. 140.
Germinius Sirmienſis ſemel ejuratam Ariminenſem perfidiam, conſtanter oppugnat. 129. Tentatur per Legatos ab Euſebianis. 139.
Geruntius Magiſtrianus, & Subadjuva. 133. Factus Archimandrita, & Eutychianorum fautor. 159. 263.
Goar Jacobus. 28.
Gottheſcalcus Encyclicis damnandus. 217.
Gothofredus. 111.
Γραμματεῖς qui apud Gentes. 25.
Graevii Theſaurus Rom. Antiquit. laudatus. 111.
Gratus Carthaginenſis interfuit Concilio Sardicenſi. 104. Celebrat Synodum Carth. 297.
Gregorius Alexand. pro Athanaſio intruſus, per Encyclicam dejectus. 275.
Gregorius Ceraſuntis. 182.
S. Gregorius M. 50. 232. 314.
S. Gregorius II. 50.
S. Gregorius Nazianzenus. 66. 84. Scribit ad Cledonium Encyclicam. 49. Laudatur ut regula fidei. 273. Formatas appellat Communionis indices. 312.
Gruterus. 111.

H

HAeretici corrumpere ſtudent Encyclicas. 34. 215. Eorum nomina, & fraudes in Encycl. denunciabantur. 7. 49. 50. Haereſes pariter damnabantur. 65. Nullum illis poſt Encyclicas effugium. 161. 162. Praeſumunt uſum Encyclicarũ. 105. 107. 108. 109. 122. 221. 222. 223. 243. 285. 310. V. Antencyclicae. Tomos Encyclicos jactitant. 221. 222. 223. 224. 225. Tomos Catholicorum calumniantur. 225.
Harduinus laudatus. 27. Reprehenſus. 133.
Harpocratio. 279.
Harpocratio Subadjuva ſub Heracliano. 134.
Heracleonis haereſis damnatur. 136.
Heraclii Ecthesis. V. Ecthesis.
Hermes Diaconus Curſor Bituric., dein Narbonenſ. Archiep. electus. 127.
Hermetis locus de XL. Apoſtolis illuſtratus. 62. 64.
Herodotus. 111.
Heſychius Diac. Curſor Euſebianorum. 138.
Heſychius. 3. 111.
Hierax Presb. Doctor ſub S. Athanaſio. 137.
S. Hieronymus. 135. 139. 145. 184. 199. 219. 222. 294. Latinè vertit Paſchales Theophili, & Origeniſtis opponit. 11. 18.
Hieroſolymitana Sedes quo jure in Palaeſtina gauderet. 103.
Hieroſolymitanum Concil. Apoſtolicum. 58. 274. Encyclicam per Curſores mittit. 60. 113. Curſoribus adjungit Presbyteros. 114. 135. 144. 167. Ejuſdem Encyclica legitur in Eccleſiis. 155. 156.
Alterum ſub Maximo probat Acta Sardicenſia, & Encyclicam pro Athanaſio emittit. 102. 103.
Hilarius Pictavienſis. 80. 96. 104. 125. 129. 138. 139. 162. 198. 213. 214. 311. Cum Gallis Epiſcopis multatus exſilio. 199.
Hilarus Diaconus. 66. 158. Curſor primum, dein Pontifex electus. 127.
Hincmarus. 170.
Hippocomi quinam eſſent. 113.

Y Hyp-

H

Hippolytus Diaconus ſub Dionyſio Alexand. 27. 28. 29. 30. 31.
Hiſtoria Miſcella. 133.
Hiſtriae Schiſmatici nirebantur Tomo Encycl. Leonis Imp. 240. 241. Formatae illis denegatae. 314.
Holſtenius notatus. 206. Laudatus. 254. Ejus Collectio Romana. 165. 185. 202. 220. 254. 255.
Honorii pacta, & fides orthodoxa. 265.
Hormiſdas P. 195. 196. 204. 241.
Hoſpitalitatis concœſſeratio, quid. 45. 303. 304.
Hypatius Epheſinus laudat Encyclicarum Magiſterium. 274.
Hypoſtaſis vox. 85. 145.

I

Jacobus Apoſt. cur in Concil. Hieroſol. praeſiderer. 59.
Januarius ſectator Joviniani. 140.
Ibae Edeſſeni cauſſa in Synodo V. ventilata. 182.
Iconienſe Concil. 85.
Iconomachi Encyelica praedamnati. 153.
Idololatria Ezechiae Paſchalibus inter Judaeos evertitur. 9.
S. Ignatius Antioch. 60. 61. 116. 121. 188. Ejus Encyclicae in Tomum redactae à à S. Polycarpo. 210.
S. Ignatius Patriar. CPnus. 127.
Illyberitanum Concil. Communicatorias examinari jubet. 297.
Illyricianum Conc. ſuſcipit Tomum Damaſi, & ſcribit ad Aſianos. 142.
Illyriciani Epiſcopi formulam Ariminenſem ejurant. 79. 80. Subſcribunt in Conc. Chalced. Dogmaticae S. Leonis, una cum Palaeſtinis. 151.
Imperatores, quo jure Encyclicas ſcripſerint. 87. 230. 249.
Imperii limites qui. 89. 90.
Incarnationis Myſterium explicarum. 169.
Indicativae Encyclicae quales eſſent. 7.
Ingenioſus Joviniani aſſecla. 140.
Ingentius ſcriba Donatiſtarum interpolavit Galatii epiſtolam. 32. Defert Encyclicam per Numidiam, & Mauritaniam. 33. 245. Refutatur ab Aproniano. 33. 34. Mendacii redarguitur. 36. Damnatur. ibid.
Innocentii I. Pont. Encyclica adv. Pelagium. 75. 76. 77. 273. Vicariatum Apoſtolicae Sedis tradit Rufo Theſſalonicenſi. 219. 220.
Interceſſores in alienis Provinciis cur à Pontificibus darentur. 219. 220.
Johannes Apamenus Antiochiae ab Eutychianis intruſus. 262.
Johannes Antiochen. credidit, Neſtorium reſipuiſſe. 164. Adventum ſuum nunciat Patribus Epheſinis. 130. Agit cum Cyrillo de pace. 159. 169. 298. Cur à Cyrillo primum rejectus. 300. Suſcipit Epheſina decreta, & Neſtorium damnat. 161. Alexandrum Hierapolitan. ad pacem ſolicitat. 131.
S. Johannes Damaſcenus. 61.
Johannes Diaconus. 50.
Johannes Erigena Scotus à Floro oppugnatus. 316. 317.
Johannes Perſa mittitur in Perſidem, & Magnam Indiam, pro ſubſcriptione Actorum Nicaenorum. 191.
Johannes II Pontifex laudat profeſſionem Leporii. 48. 270.
Johannes IV. Pont. Typum fidei, & Apologiam Honorii edidit. 265. 266.
Joſephus Hebraeus laudatus. 111.
Jovianus Imp. fidei formulam ab Athanaſio petit. 193. 217. 218.
Jovinianus Diaconus Curſor Euſebianorum. 139.
Jovinianus haereſiarcha à Siricio damnatus. 139. 140.
S. Irenaeus. 43. 63. 66. 143. Scribit ad Victorem Pont. de Paſchate. 135. 216.
Irenaeus Diaconus Arii ſocius. 71.
Irenaeus Presb. Curſor S. Athanaſii. 104. 296.
Irenaeus Comes Tragoediam adv. Conc. Epheſinum edidit. 163. 224. 225.
Iſchyras impoſtor ab Arianis probatus. 130.
Iſidori collectio laudata. 139.
Iſocrates. 279.
Iſraëlitae in Deſerto Tabernaculum ſequebantur. 146.
Italica Synodus ſub Liberio. 79. 80.

Ju-

Digitized by Google

I

Judaïzantes in Conc. Hieroſolymit. damnati. 58. 168.
Judas electus Curſor ab Apoſtolis. 113. 114. 135.
Julianus Antiochenus Patriarcha Orthodoxus. 258.
Julianus Coënſis legatus S. Leonis. 234. 235.
Julianus Imperator, quae mala Eccleſiis invexerit. 217.
Julianus Pelagii aſſecla notatus. 72. Damnatus. 206. A Neſtorio ſuſceptus. 272. 284.
Julius I. Pont. exigit profeſſionem à Marcello Ancyrano. 49. 311. Scribit ad Orientales. 91. 270. Abſolvit Athanaſium. 98. 269. Confirmat Encyclicam Sardicenſem. 49. Supprimit Encyclicas Euſebianorum. 159. Literas Occidentalium Athanaſio tradit. 101. Legatos Euſebianorum cauſſa ceridiſſe ſcribit. 138. Encyclicas comparat Concil. General. 270.
Jus primae ſententiae apud Romanos quale. 59.
Juſtinianus Imp. Tractatum edidit adv. Origenem. 11. 178. Tradit Mennae CP. evulgan[illegible], & à Patriarchis approbatur. 87. 178. 230. 276. Praeſcribit modum evulgandi Encyclica ſcripta. 144. Scripſit Dogmaticam ad Zoïlum Alex. 276.
Juvenalis Hieroſol. in Synodo Chalced. reſipiſcit. 151. Pro Concil. Chalced. ſtetit. 235.

L

LAbbeus Carolus. 306.
Labbeus Philip. V. Conc. Acta.
Lactantius Firm. 6. 89.
Lampſacenum Conc. 82. 129. 142. 154. 277. 280. 297. 315.
Laodiceni ſuſcipiunt Pauli Encyclicam ad Coloſs. 156.
Lapſi, & Libellatici per Encyclicas comprimuntur. 69. 118. 120. 244. 268. 269. Praepoſteram communionem petunt. 172. 206.
Lectores erant Scribae. 26.

L

Legalia Judaeorum antiquata. 59.
Legum majeſtas quomodo exploretur. 60.
Leontius Antiochenus Caſtratus. 99. Cur privatus jure congregandae Synodi in Palaeſtina. 103. Ejus vita obſcaena. 106.
Leontius Caeſareenſ. ſubſcribi curat in Exarchatu Pontico Acta Nicaena. 191.
Leontius Diac. Curſor S. Cyrilli. 298.
Leontius Diac. Curſor, & Cancellarius Sophronii Hieroſolymit. 128.
Leo Iſauricus Imp. combuſſit Octagonum CP. 251.
Leo Junior Imp. 249.
Leo Imp. ſcribit Encyclicam de Conc. Chalced. 87. 229. 230. 231. Quomodo publicata. 105. 229. 230. 252. Adhibet Magiſtrianos. 131. 133. 169. 227. Miſſa ad Leonem Pont., & ad omnes Metropolitas. 229. 231. 234. V. Tomus. Edicto damnat Timotheum Aelurum. 238.
S. Leo M. Paſchales ſcripſit. 10. Laudat Paſchales Theophili Alex. 11. Uſus eſt Diaconicis. 30. Contrahit Presbyterium in cauſſa Eutychetis. 123. 124. Scribit ad Anatolium CP. 39. Ejus Dogmatica ad Flavianum CP. ubique à Metropolitis ſubſcripta. 148. 149. 151. 169. 170. 271. A mille ducentis Epiſcopis ſubſcripta dicitur. 195. 207. Haeretici dicti, qui ſubſcribere renuerent. 207. 253. A Dioſcoro fuerat occultata. 158. Eidem adjuncta teſtimonia Patrum. 168. 169. 170. 271. Scribit ad Illyricianos. 150. 236. Alteram Dogmaticam ad Leonem Imp. ſcribit. 169. 170. 237. Fuit Encyclica. 238. 239. 253. 254. Scribit ad Epiſcopos Aegypti. 133. 237. Fraudes detegit libelli porrecti Leoni Imp. ab Eutychianis. 202. 237. Legatos ad Imp. mittit. 237. Scribit pro defenſione Conc. Chalced. 234. 235. 236. 237. Confirmat Encyclicam Turribii adv. Priſcillianiſtas. 175. 176. Jubet in Hiſpaniis haberi Concilium. 176. Diaconum impoſtorem in Galliis corripit. 126. Laudat uſum Encyclicarum. 310.

L

Leopardus Presb. Curſor Siricii Pont. 140. 141.

Leporii expoſitio fidei ab Eccleſia approbatur. 47. 270. Aſſumitur velut Regula fidei. 48. 270. Laudatur ſub nomine Auguſtini. 271.

Libellatici. V. Lapſi.

Libelli Encyclicis adjuncti. 167. 273. Libellus Cypriani de Unitate. 172. Item de Lapſis ejuſdem. 173. 174. Item de bono patientiae. 184. Libellus Novatianorum Encyclicae additus. 177. Libellus Turribii adv. Priſcillianiſtas. 175.

Liberatus. 8. 50. 178. 227. 241. 262.

Liberius Pont. laudatus. 144. Scribit Encyclicam de lapſu PP. Ariminenſium. 79. 80. 81. 219. Reſipiſcentes Semiarianos Orientis ſuſcipit. 82. 83. 219. 279. 298. 315. Eorum Libellos mittit ad Occidentales, & reſipiſcunt. 83. 84. Occidentalium Encyclica recitatur ab Orientalibus in Synodo Tyanenſi. 84. 219. Obſiſtit Antencyclicis Conſtantii, & Euſebianorum. 108. Accuſatur, non publicaſſe Encyclicas. 159. Solicitatur pro damnatione Athanaſii. 199. Ob conſtantiam exſilio multatur. 200. Tradit Παρ'ἐμοι'α Euſtathio Sebaſteno. 278. 279.

Lipſius. 6.

Longinus Curſor Novatiani. 243. 244.

S. Lucas Apoſt. Ejus Acta Apoſtolorum. 58. 59. 60. 22. 26. 113. 114. 135. 155. 288.

Lucianus laudat Chriſtianorum ſolertiam circa fidem. 296.

Lucianus Martyr nomine Confeſſorum Encyclicam ſcribit, praeſentibus duobus Clericis. 4. 26. 53.

Lucifer Calaritanus. 92. Exſilio multatur. 109. 199.

Lucilla Donatiſtarum patrona. 31. 245.

Lucius Diaconus Scriba ſub Caldonio. 123.

Lucretius Braccarenſis. 176.

Lugdunenſis Eccleſiae Encyclica. 52. 135.

M

Macarius Hieroſolymit. mittitur cum Euſebio Caeſ. in Palaeſtinam, Arabiam, & Phoeniciam pro ſubſcriptione Act. Nicaenorum. 191.

Macarius Origeniſta, damnatus. 179.

Macarius Presb. Euſebianorum legatus ad Julium. 138.

Macedonius Epiſcopus CP. intruſus. 98.

Macedoniani improbant Semiarianos. 79. 81. Communicant Liberio P. 84.

Machaeus Curſor Novatiani. 243.

Macrianus Tyrannus. 89.

Magiſterium activum in Encyclicis vendicatum. 72. 73. 233. Quomodo innoteſceret. 143. 190. 264. V. Conſenſus.

Magiſtriani Curſoribus Eccleſiaſticis cur adſociati. 105. Civiles, & Eccleſiaſtici, qui. 130. Adhibiti à Conſtantino pro indictione Conc. Nicaeni. ibid. Et à Leone Imp., ac Johanne Antiocheno. 131. Ad Diaconatum promovebantur. 131. 132.

Majorinus Donatiſta. 32. 185. 245. Primas Carthaginenſis electus. 34.

Manes haereſiarcha nomen Apoſtoli ſibi ſumit. 62. 63. Encyclicam ſcribit. ibid.

Manſenii Antiquit. Trevirenſ. laudatae. 117.

Marcellus Ancyran. Fidem profitetur. 49. Haereſeos à Baſilio M. poſtulatus. 165. Ab Euſebianis damnatur. 222. Formatam à Julio P. obtinuit, eaque abutitur. 311. 312.

Marcianus Arelatenſis damnatus. 145.

Marcianus Imp. 170. 244. Leges Theodoſii de una formula Nicaena abolet. 251.

Marculphus. 6. 15.

Marcus Arethuſius formulam Semiarianam interpolavit. 205.

Marcus Baſiliſci fil. Caeſar dictus. 249.

Marcus Gazenſis. 130.

Marius Mercator. 6. 163. 164. 203. 204. 206. 311. Cur ediderit Commonitorium. 284.

Martianus Joviniani ſectator. 140.

Martinus I. Pont. Monothelitas Encyclica damnat. 204.

Mar-

M

Martyres veri à falſis diſtincti. 52. Eorum Encyclica adv. Traditores. 20. 55. 57. 70. 87. 269. A Luciano ſcripta. 26. 53. Eorum Encyclicae Epiſcoporum conſenſu firmatae. 53. 70. 86. Ab Epiſcopis vulgatae. 149. Plurimum à Fidelibus habitae. 52. Eorum nomina, & acta Indicativis Encyclicis denunciata. 8. 52. Ab iis libellos petunt Fideles. 21.
Martyrius Diacon. Curſor Euſebianorum. 138. 139.
Martyrius Hieroſolym. probat fidem Chalced. 263.
Martyrologium Gallicanum. 127.
Mavguinus Gilbertus. 238. 317.
Maxeotius Tyrannus. 106.
Maximinianus CP. mittit ad Pontificem Enthroniſticam. 78. Ab Orientalibus Schiſmaticis depoſitus. 299. In communionem ſuſcipitur. 161. 298. 299.
Maximiani Herculei, & Diocletiani Impp. abdicatio. 89. 90.
Maximinus Treviренſis Epiſc. 98.
Maximus Hieroſolymit. ſuſcipit Alexandri Alex. Encyclicam. 144. Quo jure Epiſcopos Syriae, & Palaeſtinae congregarit. 102. 103. Reprehenſus ab Euſebianis, quod ſeotentiam de Athanaſio mutaſſet. ibid.
Maximus Lector ſub S. Athanaſio. 137.
Maximus Martyr Pyrrhum CP. oppugnat. 152. 153. 266.
Maximus Presb. Curſor Novatiani. 243. 244.
Mediatoris neceſſitas, & officium in Chriſto. 169. 170. 237.
Mediolanenſe Conc. ſub S. Ambroſio 140. 141.
Aliud de Athanaſio, & fide Nicaena. 104. Suſcipit Encyclicam Sardicenſem. 161. 298.
Mediolanenſis Epiſcopi antiqua Dioeceſis. 140.
Melchiades Pont. V. Roman. Concil.
Meletiani Schiſmatici reſipiſcunt. 151. 152.
Meletius Antiochenus. 38. 86. 145. 147. 148. 202. 204. 247.
Menna CP. Patriarcha. 87. 144. 178. 276.
Menophantus Epheſinus, Arianus. 199.
Metrodorus Martyr Sectae Marcioniticae. 52.
Metropolitae examini ſubjiciebant Encyclicas. 159. 166. Suffraganeis intimabant. 144. 148. 149. 150. 181. 195. Errorem facti ſi adverterent, denunciabant. 165. Reſcribere tenebantur. 149. 156. 164. 196. 229. Tractoria reſpondebant, ubi diverſae eſſent Encyclicae. 166. Juramento ſpondebant earum lectionem. 158. Suffraganeorum conſenſum cur ipſi intimarent. 151. 152. 181. 182. 195. 231. Suffraganei ſequebantur illorum ſubſcriptiones. 207. 216. 264. 265. Authentica ſcripta in Archivis aſſervabant. 153. 154. 217. Ultimum votum ſaepius edebant. 184. 185.
Militarium Viarum Stationes pro curſu publico 112. 113.
Modus Curſoris qualis. 33. 35.
Monachi ad exſcribendum adhibiti. 177. 178.
Monachorum CP. zelus adv. Baſiliſcum Imp. 256.
Monothelitae Encyclica damnati. 204. Encyclicas ipſi uſurpant 264. 265.
Montaniſtae damnati per Encyclicas. 70. 75. 216.
Montanus Toletanus laudat Turibii Encyclicam. 175.
Montfaucon Bern. 294. 295.
Morellius. 27.
Moyſes Presbyt., & Martyr Romanus. 269.

N

NAcholienſis Epiſcopus cur in Synodo VII. damnatus. 153.
Narciſſus Hieroſolymitanus. 216.
Narciſſus Neroniadis Arianus. 98. 100. 106. 199.
Neocaeſareenſis Exarchatus in Ponto. 182.
Neocaeſareenſe Concil. 58. 65.
Neſtorius in Paſchali ad Cyrillum errorem proponit. 174. Accuſatur ab Euſebio laïco. 283. 284. Tergiverſatur ad denunciationes Cyrilli, & Coeleſtini Pont. 163. 164. Fatetur ſubdole Virginem

N

ginem Deiparam. 164. Damnatur à Coeleſtino 150. 162. Et ab Orientalibus 160. 161. Favet Pelagianis. 76. 272. 284. Ejus dicta in Concil. Ephef. expenſa. 273.
Nicaenum I. Gen. Conc. ex quarum Provinciarum Epiſcopis conſtiterit. 218. Jura Sedis Alexandrinae confirmat. 151. 152. Ejus Canon. VII. illuſtratus. 103. Et Canon de Eunuchis. 106. Acta in Orbem mittit, ut ſubſcribantur. 190. 191. 192. 193. Ejuſdem Formula fidei propugnata. 82. 84. 95. 193. 218. 270. Confirmavit Encyclicam Synodi Antiochenae. 272.
Nicaenum II. Gen. VII. Concil. laudatum. 153.
Nicanor Seleucus Alexandri M. ſucceſſor. 90.
Nicolaüs I. Pont. 127. 129. 221.
Nicolaüs Presb. Curſor S. Leonis M. 149.
Nicomedienſe Conc. à Conſtantio indictum. 87.
Aliud ſub Euſebio celebratum pro Ario. 107. 196. 285.
Nicoſtrati Diac. Curſoris Rom. defectio, & facinora. 39.
Nonnus Monachus Origeniſta. 178.
Nonnus Edeſſenus promovet Tomum Encycl. Leonis Imp. 241.
Novatianus ſcribit nomine Cleri Romani ad Cyprianum. 70. 78. 86. 269. Schiſma invehit in Eccleſiam Romanam. 29. 144. 166. 171. 177. 183. 185. 217. 243. 292. Mittit per Urbes Apoſtolos cum Encyclica. 63. 243. 290. 302. Suos Epiſcopos ubique creat. 289. 290. Novatiani ejurant Antencyclicam, & Schiſma. 67. 68. 171. 172.
Numechius Laodicen. ſubſcribi curat in utraque Phrygia Acta Nicaena. 192.
Nomidarum Martyrum Author. 54.
Numidiae LXX. Epiſcopi Donatiſtae. 31. Eorum fraudes retectae. 34.

O

Occidentales Epiſcopi qui dicti. 91. Separantur ab Orientalibus. 94. Legatum ad Concil. Orient. mittebant cum Encyclica ſubſcripta. 200.
Octagonus CP. qualis. 251.
Odonatus Tyrannus. 89.
Oeconomia Eccleſiaſtica à Baſilio promota. 148.
Oecumenicus Doctor, quis. 251.
Oecumenius Epiſtolas Apoſtol. cenſuit Encyclicas. 4.
Olympius Magiſtrianus Leonis Imp. 133 237.
Olympius Monachus Baſiliſco Imp. obſiſtit 256.
Ὁμουσίου intelligentia ex Encyclicis propugnata. 213. 214.
Optatus Lector Carthagin. 64. Doctor Audientium à Cypriano creatus. 118.
Optatus Milevitan. 3. 4. 14. 37. 55. 145. 185. 223. 313.
Oratores lectionem Scriptorum imponebant Scribis. 26.
Orbis Occidentalis, & Orientalis diviſio, & appellatio quando coeperit in imperio. 89. Quando in Eccleſia. 90. 91. 246. Conſenſio utriuſque. 81. 84. 85.
Orientales Epiſcopi qui. 91. 93. Eorum ab Occidentalibus ſchiſma. 93. 94. 96. Unio eorum ſub Damaſo. 96. Orientis limites. 90. 93. Eorum ſectae Arianae. 217.
Origenes cum ſuis ſcriptis damnatus. 178. Origeniſtae Paſchalibus Theophili damnantur. 11. 275. 276. Similiter tractatu Encyclico Juſtiniani Imp. 178. 179. 230. 276. Quomodo ſuſcepti à Chryſoſtomo. 304.
Oſculum Pacis mutuo dabant fideles. 14. Denegatum à Donatiſtis. ibid.
Oſius Cordub. mittitur cum Vitone, & Vincentio Presbyt. in Italiam, & Hiſpanias pro ſubſcriptione Actorum Nicaenorum. 190. 191. Subſcribit Encyclicae Sardicenſi. 100. Solicitatur ab Euſebianis, ut Antencyclicae ſubſcribat. 108.
Otrejus Meletinae Epiſcopus. 84.

P

PAcianus. 173. 174. 269.
Pacificae Literae. 45. 52. 295. 296. Cur dictae Salutatoriae. 20. Ab iis Pacifici dicti Epiſcopi. 23. Ab Athanaſio datae. 100. A Siricio laudatae. 139. Pacifica Cyrilli. V. Cyrillus. Unam fidem continebant. 300. 301.
Pagius Anton. 252.
Palladius Arianus. 96.
Palaeſtinae Primas quis eſſet. 149.
Palma cur Primas fuerit habitus. 212. 216.
Pancirolus. 90. 111. 131.
Parammon Diac. Arii ſocius. 71.
Παῤῥησία quid apud Baſilium, & Scriptores. 278. 279.
Paryſatis Darii Nothi uxor. 279.
Paſchales Encyclicae in V. Tto adhibitae. 9. In Eccleſia à Primatibus ad Epiſcopos miſſae. 8. 294. 295. Agebant de Feſto, & fidei profeſſione. 18.
Paſchatis controverſia ob Aſianis mota. 135. 149. Definitur per Encyclicas.
Paſchaſinus legatus S. Leonis. 170. In Synodo Chalcedon. Dioſcorum damnat. 158.
Patriarchae apud Judaeos, qui dicti. p. 302.
Patriarchae Anathematiſmos Encyclicis addebant. 51. 298. Metropolitis eas intimabant. 144. 146. 147. Formatas Epiſcopis dabant. 306 Eorum electio cur Pontifici denunciata. 235. 243. 244.
Patritius Diac. Curſor Anatolii CP. 39.
Patrophilus Scythopolitanus Arianus. 199.
SS. Patrum teſtimonia Encyclicis addita. 168. 169. 271. Eorumdem etiam additi. tractatus. 170. 171. 172. 173. 174. 175. 176. 177. 178.
Paulinus Antiochenus. 85. 125. 147.
Paulinus Tyrius ſuſcipit Arium. 197. 221. 285.
Paulinus Trevirenſis Euſebianis obſiſtit. 92. 198.
S. Paulus Apoſt. 26. 27. 42. 50. 59. 113. 114. 120. 135. 189. 302. 303. Ejus Epiſtolae ad Epheſ., & ad Coloſſ. ſunt Encyclicae. 115. 156. Item Epiſt. ad Galat. 167. 168.
Paulus CP. in Conc. Sardic. abſolutus. 98.
Paulus CP. Monothelita. 266.
Paulus CP. Photianus depoſitus, ab Ignatio creatur Eccleſiae Cartophylax. 127.
Paulus Emeſſenus Epiſc. Orientalium legatus ad Cyrillum. 84. 159. 171. Encyclicam defert ſubſcriptam à Schiſmaticis. 160. Cur primum à Cyrillo rejectus. 298. 299. Confeſſus Virginem Deiparam. 299.
Pacem cum Cyrillo promulgat. 161.
Paulus Eutychian. Epheſi intruſus. 257. 258.
Paulus Samoſatenus damnatus. 94. 137. 144. 270. 284.
Pelagius Diac., & Apocriſarius Vigilii P. 178.
Pelagius Epiſcopus Laodicenus. 84.
Pelagius I. Hiſtriae Epiſcopos redarguit. 314.
Pelagius II. Pont. laudat Dogmaticam S. Leonis ad Leonem Imp. 238. 240. 241. 244. Hiſtriae Schiſmaticos arguit. 314.
Pelagius haereſiarcha cur Origenis errores ejurarit. 11. Judicio Eccleſiae diſperſae, & Encyclicarum damnatus. 72. 76. 203. 206. 272. Et in Prooemio. Pelagiani ad novum examen provocant. 76. 272. 273.
Peregrini Epiſcopi, aut Clerici quomodo excepti. 301. 303. 304. 308.
Perſecutiones annotatae in Encyclicis Salutatoriis. 17.
Perſeus Cornelii Pont. Curſor. 189.
Pertinax Ael. Praefectus, deſtitutus imperiali diplomate Curſus publici, pedeſtris ſuſcipit iter. 126.
Peſtis Aegyptiaca in Paſchalibus Dionyſii enarrata. 17.
Petronius confecta Diaconica Gallias pererrat. 126.
Petronius Presb. Ravenii Arelatenſ. legatus. 123.
S. Petrus Alexand. Epiſc. Canones Poenitent. edidit. 303. 304.

Petrus

P

Petrus Alexandrin. Primicerius Notariorum ſub Cyrillo. 163. 164.
Petrus Alexand. Presb. Curſor ſub S. Athanaſio. 104. 141. 296.
S. Petrus Apoſtol. praeſidet Hieroſolymit. Conc., & jure primae relationis) ſententiam dicit. 59. Romae ſedit. 313. Quomodo Romanae Sedi adhuc praeſidere dicatur. 146.
S. Petrus Chryſologus Ravennat. ſcribit ad Eutychem. 146. 151.
Petrus Fullo Eutychian. Antiochiae intruſus. 250. 251. 257. 258. Ab Euſtathianis depulſus. 262.
Petrus Moggus Eutychianus, Diac. Curſor Timothei Aeluri. 227. 262. Diaconio removetur. 40. Intruſus Alexandriae dejicitur. 262. 263.
Phidus Diac. Curſor Martyrii Hieroſolymit. 263.
Philippenſes petunt à Polycarpo Tomum Encyclicarum Ignatii. 210. 211.
Philippopolis Urbs erat Imperii Limes. 90.
Philippopolitanum Concil Euſebianorum. 91. 93. 222. 311. Ejuratur ab Urſacio, & Valente. 104.
Philippus Cretenſis Epiſcopus. 212.
Philogonius Antiochenus. 144.
Philoſtorgius. 122. 206.
Phorton ſocius Euſtathii Sebaſteni. 315.
Photinus haereſiarcha. 49. 80.
Photius citatus. 101. 127. 225. 232. 295. Photiani ſupprimunt Catholicorum ſubſcriptiones. 204.
Pionii Martyris confeſſio. 5.
Piſtus Marcionopolitanus ſubſcribi curat per finitimas Provincias Acta Nicaena. 192.
Piſtus Presb. Arii ſocius. 71.
Plinius ſenior. 92.
Plinius junior veniam uſurpati publici Curſus apud Trajanum exorat. 125.
Plotinus Joviniani ſectator. 140.
Plutarchus. 279.
Pollio. 17. 89.
Pollux Jul. 26.
S. Polycarpus mittit ad Philippenſ. Tomum Encyclicarum ſuarum, & Ignatii. 210. 211. Ejus acta per Encyclicam denunciantur. 52.
Polycrates Epheſinus. 135. 216.
Polyeuctus Curſor Sophronii Hieroſolymit. 128.
Pontifices R. Enthroniſticas cum fidei profeſſione emittebant. 50. 243. Encyclicas ſaepe conſcripſerunt. 75. 236. Editas ab aliis confirmabant. 77. 78. 148. 198. 199. 233. 234. 235. Occultare non poterant. 159. In Presbyterio legebant. 157. Occidentalibus intimabant. 236. Mittebant Diaconum ad Concil. Orient. 124. Saepe etiam Presbyterum. 142. Eis definitionem controverſiae dabant. 200. 310. Mittebant Interceſſores. V. Interceſſores.
Porphyrius Gazenſis. 130.
Poſſidonius Diac., dein Curſor Eccleſiae Alexand. 124. 150. 162.
Potamon Epiſc. legatus Cyrilli ad Neſtorium. 164.
Praepoſitorum Eccleſiaſticorum praerogativa quae. 43.
Praeſides Sacerdotales Ethnicorum. V. Aſiarchae.
Praylus Hieroſol. ſuſcepit Encyclicam Zoſimi. 285.
Presbyteri Doctores ab Apoſtolis inſtituti. 60. Commendati ab Ignatio. 61. 62. 63. Quomodo eligerentur. 64. Cur ſoli appellarentur Doctores 64. 65. Aſſeſſores dati Romanis Pontificibus. 67. Cur Diaconis Curſoribus adſociarentur. 115. 134. 135. Mittebantur quum Epiſcopi erant corrigendi. 129. Miſſi cum Encyclicis ad haereſes oppugnandas. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 141. Miſſi à Pontificibus ad Concilia Generalia. 142. 200.
Presbyterium contrahunt ab Epiſcopis. 140. 206. Ejuſdem dignitas. 67.
Primates electi Enthroniſticas emittebant. 50. 243. Encyclicas aliquando conſcribebant. 85. Ultimum in iis votum emittebant. 184. 185. Suffraganeis intimare debebant. 53. Catalogum ſuorum Epiſcoporum cur ſaepe vulgarent. 145. 146. 189. 294. Eorum obitus

Digitized by Google

P

tus Pontifici denunciatus. 52.
Primicerii Scriniorum publicas chartas ſubſcribebant. 128. Autographa Encyclicarum aſſervabant. 129.
Priorius Philippus. 306.
Priſcillianiſtae Encyclica Turribii damnantur. 174. 175. 176. 177.
Privatus Lambeſitanus damnatus à Clero Rom. Formatam petit. 315. 316.
Probus Imp. eligitur. 58. Probus, & Florianus Impp. 89.
Proclus CP. Tomum ad Armenios ſcribit. 165. 166. 305. Tradit Formatas Athanaſio Perrhenorum Epiſcopo. 306.
Proconſules Curſum publicum nec dabant, nec ſumebant. 125. 126.
Procopius. 112.
Prophetia ſecundi gradus Apoſtolicis Viris conceſſa. 114.
S. Proſper laudatus. 203.
S. Proterius Alexandrin. à Timotheo Aeluro occiſus. 201. 227.
Protogenes Sardicenſis in finitimis Provinciis ſubſcribi curat Acta Nicaena. 192. Damnat Marcellum Ancyranum. 222. 223.
Prudentius. 56.
Prudentius Epiſc. Tricaſſinus. 238.
Publicus Epiſcopus Athenienſium. 212.
Pullentius Diac. Curſor Semiarianorum. 129. 139.
Pynitus Epiſc. praeceptum caſtitatis defendit. 212. 213.
Pyrrhus CP. Monotheliſmum Encyclicis ſtabilire conatur. 152. 264. 265. 266.

Q

Queſnelli Editio Opp. S. Leonis. 10. 39. 123. 133. 169. 170. 175. 229. 234. 243. 271.

R

Rationales cur appellentur Encyclicae. 4.
Ravennius Arelat. Primas. 123. Monetur, ut Petronianum Diac. impoſtorem corripiat. 126. Suſcipit Dogmaticam S. Leonis. 149.
Recoſtatrices Epiſtolae, quae. 289.
Regulus Diac. Curſor Ravennii Arelat. 123.
Rei quicumque in politico regimine palam denunciandi. 50.
Reparatus Carthaginenſis. 173.
Rhodiginus Coel. 111.
Rigaltius. 39.
Rodanus Subadjuva Curſor S. Leonis. 133.
Romanus Clerus ſcribit ad Cyprianum. 69. 120. 201. 268. Fraudes detegit Privati Lambeſitani. 316.
Romana Concilia legatos ad Conc. Oecumenica Orientis mittebant. 96. Adverſus Novatum, Sabellium, & Valentinum plura ſunt habita. 94.
Roman. Conc. ſub Bonifacio II. P. 220.
Aliud ſub Cornelio. 185. 216. 217.
Aliud ſub Damaſo. 202. 203.
Aliud ſub Julio pro Athanaſio. 98. 247.
Aliud ſub eodem, in quo Valens, & Urſacius reſipiſcunt. 104. 298.
Aliud ſub Melchiade adv. Donatiſtas. 22. 35. 177. 184. 185. 230. 245.
Aliud ſub Simplicio adv. Baſiliſci Encycl. 237.
Romanae Eccleſiae Primatus. 145. 146. 147. 148. 310. 313. Solicitudo Eccleſiarum omnium. 236. 310. Subſcriptiones authenticas Eccleſiarum aſſervabat. 203. 204. 219. 220. 221.
Romani Impp. Curſum publicum conſtituunt. 112. 113.
Romani Imperii diviſio. 89. Limites. 90.
Romani Senatus jura in electionibus. 58.
Rufinus laudatus. 64. Notatus. 28.
Rufus Theſſalonicenſis Primas. 181. 195. 219.
Ruſticus Diaconus. 77. 241.
Ruſticus, & Sebaſtianus Diac. Curſores à Vigilio Pont. deficiunt. 40. Ab eodem damnati. 128. 129. 188. 203.

S

Sabellius Encyclica Dionyſii Alexandrini damnatus. 164.
Sabinianus Perrhenorum Epiſcopus. 306.
Sabinianus Presb. Doctor adv. Heracleonem miſſus. 136.

Digitized by Google

S

Sabinus Diac. Curſor ſub Damaſo. 165.
Sabinus Epiſcopus, primus Conciliorum collector. 84. 210.
Sacerdotes nomine Apoſtolorum cohoneſtati. 63.
Salutationes in Encyclicis adhibitae. 14.
Salutatoriae Encyclicae quaenam. 12. Cum Deificis Inſtrumentis in Cathedra Epiſcopali reconditae. 13. 31. Quo in argumento verſarentur. 15. 16. 20. 45.
Sardica Urbs Imperii utriuſque limes. 90.
Sardicenſe Conc. Occidentalium. 91. 295. Cur caverit, ut Epiſcopi Diaconos mittant ad Comitatum. 126. Teſtes pro Athanaſio Diaconos adhibet. 130. Ejus Canon de Interceſſoribus Pontificiis illuſtratur. 219. 220. Mittit Acta ad Julium, & evulgari ab eo rogat. 146. 147. Encyclica ab eodem confirmata. 99. Quibus in Provinciis ſit ſubſcripta. 100. 106. Subſcribitur per Orbem. 97. 98. 100. 102. Subſcribitur in Concil. Carthag. ab Africanis. 104. Item in Mediolanenſi ab Italis. 161. Publicatur in Tractu CPno, & per Occidentem. 100. 102. Numerantur ab Athanaſio Epiſtolae LX. reſponſivae, & CCCXLIV. ſubſcriptiones. 101. Quot reipſa fuerint ſubſcriptiones. V. Subſcriptiones. Vocatur Divinum Decretum à Conſtantio. 101.
Saturnini, & Sociorum Acta. 20. 54.
Saturus Diac. Curſor Cypriani. 117. 118. 119. Cur electus. 119. 120. 154.
Schefferus. 6.
Schiſma, quid. 290. 314.
Scribae, qui apud Gentes. 26. Publica ſcripta legebant. ibid. Eorum apud Populos autoritas. ibid. Nomina in nummis expreſſa. 27. Acta publica cuſtodiebant. 27. 32.
Scripturae Divinae exagitantur à Diocletiano. 54.
Secretarium quale. 163.
Secundianus Presb. Semiarianorum legatus. 129. 131.
Secundus Primas Numidiae, Epiſcopos Traditores abſolvit. 55.

S

Seleucienſe Conc. Arianorum. 95. 205.
Semiariani. 79. 81. Reſipiſcunt. 82.
Senecion Curſor Rufi Theſſalonicenſis. 219. 220.
Sepulchra Martyrum quomodo inſignita. 307.
Serapion Diacon. Atii ſocius. 71.
Seſſio Presbyteris conceſſa, qualis. 65. 66.
Severus Antiochen. in Enthroniſticis anathematizat Concil. Chalcedon. 8.
Severus Corepiſcopus Euſtathii Sebaſteni. 315.
Severus Subadjuva, & Magiſtrianus. 132.
Siculum Concil. ſub Alexandro I. Pont. 136.
Aliud ſub Liberio Pont. 83. 84.
Sidonius Apollinaris. 308. 309.
Sigilla an in Encyclicis, & Formatis adhibita. 306.
Silas Curſor Apoſtolorum. 113. 114. 135.
Silvani Cirtenſis Epiſc. electio. 55. 295. Acta expenſa. 17.
Silvanus Tarſenſis Epiſcopus. 81. 86.
Silveſter P. R. ſuſcipit Encyclicam Alexandri Alex. 144.
Simoniani à S. Paulo compreſſi. 156.
Simplicius Pont. ſcribit ad Baſiliſcum Imp. 252. 253. Scribit ad Acacium CP. 253. 254. 255. Confirmat Chalced. Concil. in Synodo Romana. 257. Cogit Baſiliſcum revocare Encyclicam ſuam. 259. 260.
Singedunenſis Civitas Hungariae. 138.
Singedunenſe Concil. 129. 138. 139.
Siricius P. Rom. 23. 79. Jovinianum per Encyclicam damnat. 139. 140. Ab Optato commendatus. 313.
Sirmondus laudatus. 266. 274.
Siſinnius CP. ſuſcepit Tractoriam Zoſimi. 272. 285.
Sixtus I. P. R. Neſtorii damnationem probavit. 124. Unitivam Cyrilli confirmat. 161.
Smyrnenſe Concil. 82.
Smyrnenſis Encyclica ad Catholicam Eccleſiam inſcripta. 5. De Martyrio S. Polycarpi. 52.
Socrates Hiſtoricus. 59. 79. 81. 83. 84. 94. 98. 99. 102. 103. 104. 107. 128. 161. 198.

Digitized by Google

S

198. 205. 210. 221. 246. 269. 285. 304.
Sophronius Patriarcha Hieroſolymit. Encyclicam ſcribit. 51. 128.
Soterus P. R. Encyclicam ſcribit. 157.
Sozomenus. 84. 87. 94. 95. 96. 99. 105. 107. 144. 198. 199. 210. 304.
Spanhemius. 27. 113.
Spiritus S. Eccleſiae quomodo aſſiſtat. 43. 44. 46. 231. 232.
Sponius. 27.
Stephanus Antiochenus Epiſc. Arianus. 99. Alter ſub Zenone Imp. 262. 263.
Stephanus I. Pont. conſulitur de Marciano Arelatenſi. 145. Durius increpat Africanos. 184.
Strabo Geographus. 25. 89.
Strategius Diac. Curſor Himerii Nicomedienſ. 39.
Studia Antiquitatum quomodo inſtituenda. 194. 233.
Subadjuva quis eſſet. 132. 133. 134.
Subſcriptiones Encyclicarum quaeſitae. 80. 81. 97. 98. 100. 108. 109. Manu propria ab Epiſcopis factae. 303. Earum numerus non eſt incredibilis. 193. 104. Uſus qualis eſſet. 187. 158. Pontificum quales eſſent. 200. Quales Epiſcoporum. 200. 201. Erant Encyclicarum character. 201. 202. 247. Falſis ſubſcriptionibus obviam itum. 186. 189. 201. 202. Authenticae in Archivis primae Sedis aſſervatae. 202. 203. 204 219. Subſcriptiones Actorum Nicaenorum mille, vel ducentas ſupra mille laudat Athanaſius. 192. 194. Cur, & quomodo exigitae ab Epiſcopis Orbis. 190. 191. 192. 193. In Tomum redactae. 192. 193. Subſcriptiones Act. Sardic. ab Athanaſio vel CCC., vel CCCC., vel DCC. memoratae. 193. 194. 198. Subſcriptiones Tomi Damaſi. 203. Subſcript. ſex mille Epiſcoporum factae ſunt ad Encyclicam S. Cyrilli. 194. 195. Subſcript. mille, & ducentae quomodo factae ad Dogmaticam S. Leonis. 195. Subſcript. 1600. factae Tomo Encycl. Leonis Imp. 232. 233. Subſcript. Formularii Hormiſdae. 196. Numerantur à Ruſtico bis mille, & quingentae. 242. Subſcript. D. factae Antencycl. Baſiliſci. 257.
Svetonius. 112. 113. 305.
Suidas. 111. 279.
Sulpicius Sev. 93. 95. 198. 199.
Supplicationes publicae in evulgatione Encycl. adhibitae. 251. 252.
Surgentius Primicerius Vigilii P. 129.
Surius. 54. 255. 258.
Συνέδριον Alexandrinae Eccleſiae, quid. 206.
Syneſius. 134.
Synodicus Libellus. 63. 257. 259. 265.
Synodus quaelibet Encyclicas ſcribebat. 85.
Syriae Epiſcopi, qui dicerentur. 93.

T

T. velut X. apud Veteres Samaritanos. 307
Tabularii. V. Angari.
Tacitus Imp. quomodo electus. 58. 59.
Tacitus Hiſtoricus. 113.
Taraſius Patriarcha CP. 153.
Tertullianus. 14. 22. 25. 45. 46. 64. 66. 75. 99. 143. 209.
Themiſion haereticus Encyclicam audet conſcribere. 5. Uſurpat nomen Apoſtoli. 63.
Theodoritus. 15. 38. 106. 107. 108. 144 168. 200. 204. 205. 206. Anathematiſmos S. Cyrilli pertinacius oppugnat. 224. A Dioſcorianis Chalcedone accuſatur. 55.
Theodorus Caeſareenſis Origeniſta. 178.
Theodorus Claudiopolitanus laudatus. 158.
Theodorus Heracleenſis Arianus. 98. 100 106. 199.
Theodorus Diac. Alex. Dioſcorum Origeniſmi accuſat. 275. 276.
Theodorus Lector. 249. 250. 251. 252. 254. 256. 261. 263.
Theodorus Magiſtrianus, dein Diac. Curſor Alexandrinus. 131. 132.
Theodorus Mopſueſtenus, ejuſque impietas. 188. 203.
Theodorus Panormitanus Epiſcopus. 136.

T

Theodorus Pont. ſcribit ad Paulum CP. de fide. 266.
Theodoſius Diac. Curſor ſub Proclo. 165. 166.
Theodoſii Imp. lex de una fidei formula. 250. 251.
Theodoſius Monachus Eutychianiſta. 259.
Theodotus Antiochen. ſuſcepit Encyclicam Zoſimi. 285.
Theognis Nicaenus adv. Athanaſium conſpirat. 130.
Theognoſtus Presb. Apocriſarius S. Cyrilli. 298.
Theonas Cyzicenus ſubſcribi curat in Aſia Acta Nicaena. 191.
Theopaſchitae haeretici, qui. 225.
Theopemptus Episc. legatus Cyrilli ad Neſtorium. 164.
Theophanes. 251. 254. 256. 258. 260. 262.
Theophilus Alexand. Paſchales edidit adv. Origeniſtas. 10. 11. 30. 145. 146. 168. 275. 276. Earum argumentum. 18. 19. 295. Damnat Origenem. 178. Docet quibus Epiſcopis Pacificae dari queant. 23. 234. Paſchales laudatae à Caſſiano. 79. A Concil. Epheſino. 273. A Theodoro Alex. 276. A Juſtiniano. 276.
Theophilus Caeſarcenſis. 149. 216.
Theophilus Caſtabalorum Epiſcopus. 81.
Theſſalonicenſis Primas Encyclicas evulgabat. 149. 181. 204. Ejus Diaeceſis. 182. Vicariatum Apoſtolicae Sedis habebat. 219. Ditio imminuta à Patriarchis CP., & de eo mittuntur legati ad Bonifacium II. P. 220.
Thomas Subadjuva Vigilii P. 133.
Timotheus Salophaciolus Sedi Alexand. reſtitutus. 262.
Timotheus Aelurus Eutychianiſta. 40. 87. 133. 201. 202. Alexandrinam Sedem invadens, occidit S. Proterium. 227. Denunciatur per Encyclicam Synodi Alex. 228. Damnatus per Tomum Encyclicum. 228. 229. 239. Exſilio multatus. 238. Revocatur à Baſiliſco. 249. 250. 251. 257. 261. Damnatur à Simplicio. 257. Et à Baſiliſco. 261.
Toletanum II. Concil. 175.

T

Tomi Encyclici, quid. 225. 226.
Tomi Encyclici Euſebianorum adv. Athan. & Marcellum. 221. 222. 223. Eos ſuſcipiunt Donatiſtae in Africa. 223. 224.
Tomus Encyc. adv. Aëtium qualis. 106.
Alter pro Ario collectus. 206. 285.
Alter in cauſſa Athanaſii. 100. 101.
Alter Aſſertorum Trinitatis adv. Arianos. 213. 214.
Alter in ſubſcriptione Actorum Nicaenorum. 192. 193. 218.
Alter Paſchalium S. Athanaſii. p. 294. 295.
Alter Cornelii P. adv. Novatianos. 216. 217.
Alter Damaſi P. 165. 185. 202. 203. Ejus occaſio, quae. 279.
Alter Dionyſii Corinthiaci. 211. 212. 213.
Alter Dionyſii Alexand. 15. 26. 27. 29. 30. 215. 294.
Alter ſub Leone Imp. pro Conc. Chalced. editus. 105. 133. 162. 227. 239. 240. Velut Magiſterium laudatur à Pontificibus, Conciliis, & Patribus. 240. 241. 242. 252. 253. 254. 255. 257. 268. Multae ejus Epiſtolae interciderunt. 239.
Alter Occidentalium poſt Conc. Ariminenſe. 79.
Alter in controverſia Paſchatis. 215. 216.
Alter Orientalium Schiſmaticorum adv. S. Cyrillum. 224. 225.
Alter Epiſtolarum Polycarpi, & Ignatii. 210. 211.
Alter Procli ad Armenios. 165. 166. 203. 305.
Tractatores, qui eſſent. 174. Tractatoris more ſcriptae Encyclicae, quales. 166.
Tractatoriae Encyclicae cur appellatae. 67. 125. 174. Cur appellentur Tractatus. 174.
Tractoriae Encyclicae dictae. 5. Dabantur Epiſcopis ad Concilia evocatis. 6. Illarum formula, quae. ibid.
Traditionis cuſtodia in Eccleſia. 44. 45. 208.

T

208. 209. 210. 213. 214.
Traditores quomodo probandi. 37. Quae poenae in illos decretae. 53. 54. A Martyribus per Encycl. damnati. 20. 21. 57. Epocha eorumdem quando incoeperit. 54.
Trajanus Imp. Curſum publicum diſponit. 112.
Tralles qui eſſent. 25.
Turribius Encyclicam, & libellum adv. Priſcillianiſtas evulgat. 174. 175. 176.
Turonenſe II. Concil. 301.
Tyanenſe Concil. 84. 277. 280. Encyclicam ſcribit. 84. 154.
Tychicus Diaconus, Curſor S. Pauli. 115. 120. 156.
Tyranni XXX. Imperium Rom. dividunt. 89.
Tyrium Concil. contra Athanaſium. 98. 103. 138. 159. 197. 198. 246.

V

Valens Imp. Arianis favet. 281. 283.
Valentinianus Orbem Rom. cum fratre Valente partitur. 90.
Valerianus Magiſtrianus. 130.
Valeſius H. laudatus. 186. 206. 275. Notatus. 27. 28.
Wandalica perſecutio in Africa. 308.
Veneticum Concil. de commendatitiis agit. 304.
Verina Leonis Imp. uxor creat Imper. Baſiliſcum. 247.
Vertabiet quis apud Armenos. 64.
Veteranorum publica onera apud Romanos. 112.
Victor P. R. ad clementiam pro Arianis flectitur. 135. Scribit ad Theophilum Caeſareenſem de Paſchate. 149. 216.
Victor Tunnenſis. 179.
Vigilius Pontifex Judicatum primum emittit. 128. Offenſioni eſt Occidentalibus. 40. Damnat Rusticum, & Sebaſtianum Diaconos. 40. 128. 129. 188. 203. Scribit ad Eutychium CP. de fide. 51. Subadjuvam mittit Antiochiam. 133. Approbat Tractatum Encyclicum Juſtiniani Imp. 178. 179. Laudat Dogmaticam S. Leonis ad Leonem Imp. 238.
Vigilius Tapſenſis. 170.
Vincentius Capuanus Liberii Legatus conſenſit damnationi Athanaſii. 198.
Vincentius Diac., & Martyr apud Tyrannum reſiſtit pro cuſtodia Encyclicarum. 58.
Vincentius Lirinenſis. 208. 273.
Vitalis Antiochenus. 86. 147.
Ulpianus Ictus. 112.
Unio, & concordia Animorum à Chriſto commendata. 14. 287. 288. 289. Quando violari coeperit. 289. Erat ſcopus Encyclicarum. 291. 293. 294. 295. 296. 301. 302. 310. 313. 315. 316.
Unitas Eccleſiae. 42.
Vocum notio imprimis quaerenda. 2.
Vopiſcus Flavius. 58. 59.
Vota à ſubſcriptionibus diſtincta. 182. 223. Encyclicis adjuncta ab Epiſcopis. 68. 183. Qualia eſſent. 183. Examinata. 182. 183. Ultimum erat Primatis. 184. Plura intercciderunt. 68. 182. 183.
Uranius Subadjuva, & Subdiaconus Felicis I. Pont. 133.
Urſacius, & Valens, Ariani Epiſcopi. 79. 80. 148. Excitant Conſtantium Imp. adv. Athanaſium. 92. 198. Decipiunt Patres Ariminenſes. 95. 96. Tentant in partes revocare Germinium Sirmienſem per legatos. 129. 138. 139. Condemnantur. 98. Pacificas, & libellos retractationis mittunt ad Athanaſium. 104. 162. 295. 296. Julio offerunt libellos poenitentiae. 161. 162. 296. 298.
Urſacius Curſor in Inſcriptionibus laudatus. 118.
Uſiae vox diu controverſa. 85. 146.

X

Xenophon Hiſtoricus. 111.
Xiſtus Pont. V. Sixtus.

Z

ZAchagna laudatus. 63.
Zacharias Rhetor. 257. 260.
Zeno Tyri Epiſcopus. 84.
Zeno Imp. electus opera Verinae dejicitur. 249. 259. Reſtitutus imperio, confirmat fidem Chalced. 261. 262. Opera Anthemii, deponit Petrum Moggum. 262.

Z

Zenonides Baſiliſci Imp. uxor, favet Eutychianis. 249. 251.
Zephirinus Pont. Montaniſtas Encyclica damnat. 70. 75.
Zoſimus Diaconus Arii ſocius. 71.
Zoſimus P. edidit adv. Pelagium Tractoriam. 6. 76. 273. Qui ſubſcribere detrectarunt, haeretici habiti. 206. 272. 284. 285. In Archivis Eccleſiarum aſſervata. 203. 204. Litteras pro Coeleſtio ſcribit ad Africanos. 310. 311.

ANT 13/6/33

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google

Digitized by Google

160. / 160

800

Digitized by Google